Rubrich
Instituti
Theor
Par
Vilnæ 1

3 S.Huberta Bisk:	23 Jakowa A

Ew: *O wskrzeszeniu Corki iedn*

4 N.23.po Swi Kar	24 N. 22. po So
5 P.Emeryka Kro:	25 Markiana M
6 W.Leonarda W	26 *Dymytrya M*
7 S.Engelberta M.	27 Nestora Mu
8 C.Czterech Kor:	28 Terent. i N
9 P.Teodora Męc:	29 Anastazyi N
10 S.Andrzeia z Aw.	30 Zynowvia N

Ewau. *O nasieniu dobrym i o ką*

11 N.24.Opieki MP	31 N.23. po So
12 P.Marcina Papi:	1 NOE. *Kosm*
13 W.Dydaka Wy.	2 Ss. Muczen
14 S.Jukunda Bisku:	3 Georhyia w
15 C.Gertrudy Pa:	4 Joanykyia V
16 P.Edmunda Bisk:	5 Jepystymyi
17 S.Salomei Krolo:	6 Pawła Jepys

Ewan: *O ziarnie gorczycznym i*

18 N.25.Stanisł: Ko	7 N. 24. po Sob
19 P.Elżbiety Krol:	8 Sobor Mych
20 W.Felixa de Va:	9 Onysyfora M
21 S.Ofiarowa: MP.	10 Szesty Aposto
22 C.Cecylii Panny.	11 Ss. 3. Muczen
23 P.Klemensa Pap.	12 Joana Mylost
24 S.Jana od Krzyża	13 *Ioana Złatous*

Ewan: *O brzydkości spustosze*

25 N.26.Przedadw:	14 N.25.Fyly Za
26 P.Piotra Alexan:	15 Ss. 3. Ispowie
27 W.Iozefata Pus.	16 *Masteia Ap*
28 S.Rufina Mecz:	17 Hryhorya Je
29 C.Saturnina Mę.	18 Płatona Muc
30 P.Andrzeia Apo:	19 Warłaama N

kszą daleko niepewnością, uważaią
czyli 40. Meczennikow. *Powtore:* o
nych świątek. *Potrzecie:* dzień Boż
S. Jana Chrzciciela, mowiąc: iż ie
iest mroz, 40. ieszcze mrozow sp

pogodn,
...no wietrzne,
no dzdzyste, 7.
pogodny.

Kwad: Paźdz.
ż g. 3. m. 25. z
8. 9. przy wie-
nym zatępią na
Reszta dni tey
po nocach i po-
chłodnych, cza-
ymrozkami, ie-
pogodą przystu-
procz 12 i 14-
deszcz wiatrem

w Listopada d. 16.
r. go 12. m, 13.
cy 16. po ranney
deszcz podeyźrza-
18 na czas posę-
godne, 19 20. 21.
rym wiatrem, do
, mieyscem śnie-
nne.

Wstęp d. 22.
r. go 6. m. 28. z
a. Jesieni Część
raz.

rw. Kwad. Listopa
egoż go 9 m. 36.
hodzie. Kwadra
wietrze na czas
ym, wilgotney po-
odmianie podle-
eyscem śnieg po
ostrym przy-
znaczy się, oso-
22, 25. i 26.

eln. Listopada d. 29
er. go. 11. m. 50.
połnocą. 29. 30.
estateczne w pogo-
na czas z wiatrem.

INSTITUTIONES THEOLOGIÆ

SCHOLASTICÆ

QUAS AD USUM SEMINARIORUM

E PROPRIIS SUIS PRÆLECTIONIBUS

Contraxit Petrus Collet, Presbyter Congregationis Missionis, Sacræ Theologiæ Doctor & Professor.

TOMUS PRIMUS,

Continens Tractatus.

I. *DE PROLEGOMENIS ET ATTRIBUTIS DIVIN.*

II. *DE SS. TRINITATE.*

III. *DE INCARNATIONE.*

Opus ad Juris Romani & Gallici normam exactum.

EDITIO NOVA.



VILNÆ

Typis S.R.M. Penes Academiam.

Anno Domini MDCCLXXXIV.

MONITUM

VEtus est adagium, eos ludere operam, qui idoneas cuique palato dapes condire moliuntur; eo quia raro fiat, ut quæ apud alios gratiam, apud alios nihil habeant offensionis. Id cùm in pluribus, tum maximè in rebus Theologicis multiplici experimento compertum est. Ex quo nimirùm satagentibus viris, quorum donec manebit Ecclesia, honos laudesque manebunt, Burdæsium dico, Ollerium, & qui, coronatâ jam sanctitate, ceteros supereminet, Vincentium à Paulo, erecta sunt instituendæ juventuti Seminaria, nihil non tentatum est, ut ei commodiora quæque studendi media suppeditarentur. Placuerunt præ ceteris quæ & capiti simul & marsupio parcerent. Hinc, fluctuum instar, quorum alii alios propellunt, uno minùs seculo prodierunt Manualia Theologica, Theologicæ medullæ, compendia Theologica, manuductiones Theologicæ Institutiones, &c. Verùm è tanta Operum multitudine, nè unum quidem hactenùs emicuit, quod unanimi seu Candidatorum, seu etiam Magistrorum calculo commendetur. Illud nimiæ brevitatis titulo, istud obscuræ prolixitatis nomine; aliud, nec forte unum, jactis perniciosæ novitatis seminibus; aliud laxioribus regulis infamatum est.

Erat unde meliorem sibi fortunam sponderent contractæ Tournelyi Prælectiones; at hinc vituperium nactæ sunt, unde laudem meruisse videbantur. His illa ipsa quâ turgent eruditio, cecidit in malum, peneque in omnibus Provinciis inclamatum est, luxuriantem octingentis paginis Tractatum de Deo uno, Parisiensibus quidem Seminariis, quæ studia majora capiunt, non autem Provincialibus, quæ mensium quindecim, & angustiori quandoque spatio concluduntur, inservire posse. Id ego senseram jampridem; at speraveram simul, ut quæ eruditum malum adauxerat pia manus, hæc eidem mederetur: atque utinam ità res cessissent! neque nos alienæ messi incumbere, neque incœptum de re Sacramentariâ laborem abrumpere, & à gravioribus Eucharistiæ argumentis ad relationes secundùm *esse in*, & secundùm *esse ad*, impertransito medio avolare cogeremur.

Esset quidem illud justi doloris lenimentum, si

quam sibi, seu obscuritatis, seu intempestivæ prolixitudinis labem intulerunt alii, hanc ab isto compendii compendio propulsare potuissemus: at id quis prudens confidat? Jam obstrepunt auribus malevolæ cohortis obmurmurationes: Satis quidem, aiunt, dixit de Trinitate, at plura de Incarnatione, pauciora vero de Attributis. Indulgete, viri pacifici, emendabo factum; & conversâ methodo fusè prosequar quæ breviter, breviter autem quæ fusiùs expendi. Obmutescetis tandem? si sic, bene est: si secus, valete. Interim hæc à nobis accipite; 1°. quidquid in hâc Opellâ boni est, alienum esse; quidquid mali, nostrûm, qui passim multa ab Autore vel prætermissa, vel segniori tractata calamo addidimus. 2°. Etsi scholasticæ, ut vocant, Theologiæ studium æquo pretio metimur, nobis tamen id esse persuasum, moralem disciplinam, quæ ut plurimùm sola prodest populis, eam esse, cui potiori studio incumbere debeant juniores Clerici.





INDEX TRACTATUUM ET QUÆSTIONUM.

TRACTATUS DE DEO AC DIVINIS ATTRIBUTIS.

TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

Explic. Index Tractatuum & Quæstionum.





DISPUTATIO PRÆVIA
DE THEOLOGIA.

Disputationis hujus tria erunt Capita: I. De natura, objecto & divisione Theologiæ. II. De ejusdem proprietatibus. III. De usu rationis & humanæ Philosophiæ in Theologia. His succedet Appendix de Locis Theologicis.

ARTICULUS PRIMUS.
De natura, objecto & divisione Theologiæ.

Theologia, quæ secundum vim Græci nominis idem est ac Sermo de Deo, rite definitur *habitus ex revelatione evidenter discursivus.* Vox *habitus* locum habet generis, ceteræ voces differentiam exhibent: discrepat enim Theologia à fide, quia discurrit à scientiis naturalibus, quia ex revelatione sua desumit principia; ab opinione, tum certitudine principiorum, tum discursûs evidentiâ.

Existere Theologiam nemo est qui neget: illius autem objectum distinguitur in materiale, formale, adæquatum & attributionis.

Materiale est quælibet veritas ex revelatione dedu-

cibilis: ſic enim attingitur à Theologia, ut ab alia diſciplina attingi quoque poſſit; quæ trita eſt objecti materialis notio.

Formale eſt deducibilitas ex revelatione; etenim objectum formale dicitur ratio specialis ſub qua aliqua diſciplina ſuum materiale attingit objectum: porro Theologia non verſatur circa veritates ex revelatione deducibiles, niſi ratione illius deducibilitatis; ergo.

Objectum adæquatum ex materiali & formali coaleſcit; igitur veritates ex revelatione deducibiles quatenus deducibiles, ſunt adæquatum Theologiæ objectum.

Nomine objecti attributionis vulgo intelligitur id quod diſciplina quæpiam potiſſimum attendit, & ad quod refert cetera quæcumque tractat. Porro ex illa notione manifeſtum eſt, Deum eſſe objectum attributionis Thelogiæ; hæc enim ad Deum attendit potiſſimum, cunctaque tractat in ordine ad divina attributa; ſic etiam dum agit de peccatis, indè ſanctitatem, miſericordiam, denique juſtitiam manifeſtat. His breviter expoſitis, reſtat ut cetera quæ ad naturam Theologiæ pertinent evolvamus. Hic autem præcipue quæritur cujusnam ſpeciei ſit habitus Theologiæ, an ſcientia & ſapientia? Ut ſolvatur quæſtio,

Not, 1°. Scientiam ſumi poſſe vel ſtricte, & tunc eſt cognitio evidens rei neceſſariæ per cauſas; vel late, & tunc eſt quidem certa per cauſas cognitio, ſed non neceſſario evidens. Sapientia ſtricte dicta eſt cognitio evidens altiſſimarum rerum per altiſſima principia; quod ſi hæc cognitio, licet certa & immobilis, non eſt evidens, appellatur ſapientia late ſumpta.

Not. 2°. Evidentiam triplicem hic diſtingui: primam *illationis*, cum conſequens clare infertur ex præmiſſis, quidquid ſit de utrarumque veritate. Secundam *credibilitatis*, quando motivis extrinſecis ita evincitur veritas aliqua, puta Trinitas, ut de ea nihil dubii ſuperſit, nec tamen intima ejus natura clare intelligatur. Tertiam *veritatis*, qua mens ita veritatem tenet, ut ſimul illius naturam clare intueatur. Sit

Conclusio. Theologia eſt ſcientia & ſapientia lato ſenſu, non autem ſtricto. Prob: 1. pars: 1°. ex Scripturis. Jeremiæ 3. *Dabo vobis Paſtores, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* I. Cor: 12. *Alii datur ſermo ſapientiæ. alii ſermo ſcientiæ.* Sane Paſtores illi quibus conceſſus eſt ſermo ſapientiæ & ſcientiæ, quique gre-

gem pascunt in scientia & doctrina, non nudam tradunt ovibus fidei expositionem, sed principia firmant & evolvunt, inferunt consectaria, variis illustrant ratiociniis; sed Theologia nihil aliud est quam evolutio fidei principiorum, illatio consectariorum ex illis principiis profluentium; ergo Theologia in Scripturis sapientia dicitur & scientia; ac proinde donari debet hoc duplici nomine saltem late sumpto. Unde S. Augustinus L, 14. de Trinit: c. 1. *Scire quemadmodum & piis opituletur, & contra impios defendatur* (fides) *proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus.*

2°. Ex ratione. Theologia est habitus mentem inclinans ad verum: atqui hujusmodi habitus vel est intelligentia, vel sapientia, vel scientia, vel prudentia, vel ars; ergo ad aliquam ex his speciebus revocanda est Theologia: atqui non potest dici intelligentia, siquidem discursu & ratiocinio utitur; restat ergo ut sit sapientia, dum de rebus altissimis discurrit per altissimum principium, nempe revelationem: sit quoque & scientia, dum certo veritatem assequitur: qua autem parte mores dirigit, scientia est vere practica, quæ & prudentia rite nuncupari potest, modo honestas quæ est prudentiæ finis, non sit mera honestas moralis, sed etiam honestas in ordine supernaturali.

Prob: 2. pars: ad scientiam stricte sumptam requiritur evidentia rei quæ scitur: atqui Theologia non ministrat evidentiam rei quam nos edocet: Habet quidem evidentiam illationis, qua nobis constat discursum esse legitimum, habet & adjunctam credibilitatis evidentiam, cujus ope principia & ex illis deductæ conclusiones admittuntur absque ulla errandi formidine, sed circa illorum naturam mens semper manet tenebris involuta; ergo.

Obj: contra 1. part: Scientia supponit sua principia, eaque non probat: atqui Theologia sua probat principia, ut mysterium aliquod esse revelatum.

R. dist: Scientia quæ lumine naturali nititur, sua supponit principia, transeat; hæc enim principia non adeo semper clara sunt, ut nunquam indigeant probari. Scientia quæ nititur revelatione, N. Cum enim revelatio male proponi possit, puta ab hereticis, æquum est ut & principia ejus discutiantur ab iis, qui de amplectenda fide cogitant, & à Catholicis rite probentur.

Obj: 2°. Scientia est cognitio certa rei universalis

& immutabilis: atqui Theologia certa non eſt, ut conſtat ex variis Theologorum opinionibus: non eſt rei univerſalis, tractat enim de Chriſto, de B. Virgine, &c. non rei immutabilis, cum agit de humanis actionibus; ergo.

R, nego min: quoad ſingulas partes: 1°. enim Theologiæ principia atque præcipue ejus concluſiones certæ ſunt, quod ad ſcientiam ſufficit, ut in ipſa patet Philoſophia, quæ plura habet incerta; 2°. objectum Theologiæ quantumvis ſingulare aut mutabile dum in ſe conſideratur, certam tamen ac fixam habet immutabiliter veritatem, dum divinæ ſubeſt revelationi, divinæque voluntati, quæ regula eſt immobilis actuum humanorum.

Obj: 3°. Diſciplina quæ methaphyſica gaudet certitudine vera eſt ſcientia, licet evidentia careat: atqui Theologia metaphyſice certa eſt ob divinam revelationem; ergo.

R. neg: maj: quia ad ſtrictæ ſcientiæ notionem, quam à Gentilibus hauſimus Philoſophis, requiritur evidentia, quæ gignat certitudinem; ac proinde diſciplina quæ evidentia caret, ſcientia dici nequit. Quod ſi ad ſcientiam ſtricte ſumptam ſola requiratur certitudo, jam nihil vetat quominus hoc nomine donetur Theologia.

Theologia dividitur, 1°. ratione objecti in ſpeculativam, quæ in objecti contemplatione quieſcit, qualis eſt quæ de Deo, Trinitate, &c. tractat; & in practicam ſeu moralem, quæ regulas tradit quibus homo chriſtiane mores componat. Quanquam nulla eſt Theologiæ pars quæ non debeat eſſe practica. Non enim meretur nomen Theologi, qui ex quolibet Theologiæ actu ad majorem Dei admirationem & amorem ſe non excitat; 2°. ratione modi quo de ſuo tractat objecto, in poſitivam quæ fidei articulos ex verbo Dei potiſſimum vindicat, idque ſtilo fuſiori & oratorio; & ſcholaſticam, quæ preſſiori utitur methodo & oratione concisa, definiendo, dividendo, &c.

Scholaſticæ Theologiæ fundamenta jecit apud Græcos octavo ſeculo S. Joan. Damaſcenus; apud Latinos vero S. Anſelm. Cantuarienſis Præſul versus finem undecimi ſeculi. Hunc proxime ſequitur Petrus Lombardus, Pariſienſis Præſul, Magiſter Sententiarum dictus, eò quò Theologiæ objectum tractaverit diſtinctis quatuor Libris Sententiarum: ac ceteris palmam præripuit S. Thomas in Summa ſua. Tres ſunt operis hu-

jus partes: prima eſt de Deo uno, trino & Creatore: ſecunda quæ eſt de mediis intrinſecis ad ſalutem, in duas adhuc dividitur partes; in una quæ prima ſecundæ dicitur, tractat de actibus humanis, legibus & gratia; in alia quæ ſecunda ſecundæ appellari ſolet, agit de virtutibus & vitiis in particulari: tertia vero pars eſt de mediis extrinſecis ad ſalutem, hoc eſt de Incarnatione & Sacramentis: verum cum huic parti ultimam imponere manum nequiverit morte præoccupatus; ut opus excellens abſolveretur, quæ deerant, fuêre addita ex Commentario in Libros Sententiarum exarato dum junior erat S. Thomas; illa autem additio *Supplementi* nomen habet. Quisquis autem S. Doctoris autoritate ſuam vult firmare opinionem, debet eam præcipue repetere *ex corpore articuli*, aut ex reſponſionibus *ad primum, ad ſecundum.*

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietatibus Theologiæ.

Quatuor numerari poſſunt Theologiæ proprietates: nimirum neceſſitas, dignitas, unitas, & certitudo. De his agendum ſigillatim.

§. I. *De neceſſitate Theologiæ.*

Theologia ſpectari poteſt, vel quoad ſubſtantiam dogmatis, quatenus eſt diſciplina, quæ dogmata fidei probat, & varias ex eis eruit concluſiones; vel quoad modum ſecundùm quem traditur, nempe, vel Oratorum more, vel Scholaſticorum methodo. Jam neceſſarium vel eſt tale *ſimpliciter*, ſine quo finis haberi nequit; vel tale *ſecundum quid*, quo facilius tutiusque finem aſſequimur, licet abſolute aſſequi poſſemus ſine illo. Rurſus aliquid eſt neceſſarium, vel toti ſpeciei, ut matrimonium ad propagationem generis humani; vel ſingulis ſpeciei individuis, ut baptismus ad ſalutem. His poſitis, ſit

Conclusio I. Theologia quoad ſubſtantiam ſpectata neceſſaria eſt ſimpliciter toti Eccleſiæ, non ſingulis fidelibus. Duæ ſunt partes.

Prob: 1. pars. Finis Eccleſiæ eſt propagatio, conſervatio, & defenſio fidei; ergo ipſi neceſſaria eſt ſcientia, qua, ut ait S. Auguſt. *fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*: atqui hæc ſcientia, noſtra eſt Theologia: 1°. fidem gignit; ad id enim requiruntur Prædica- *L.* 14. *de Trin:* *c.* 1.

Rom: 10. tores, qui non solum dogmata simpliciter & historice recenseant, sed & variis momentis persuadeant: atqui munus est Theologiæ varia hæc suppeditare momenta; 2°. fidem fovet & servat. Ad hoc enim necesse est ut fides præmuniatur tum adversus humani ingenii inconstantiam, tum adversus astutiam circumventionemque erroris: atqui Theologiæ officium est, firmare mentem in veritate, errorisque dolos aperire & explodere; ergo. Unde 3°. fidem defendit, quatenus argumenta ministrat, quibus coërcetur Novatorum garrulitas, deteguntur astutiæ, sophismata revincuntur: sic enim Judæos, Gentiles & Hereticos oppressêre Justinus, Tertullianus, Augustinus, &c. Ergo.

Ephes. 4.

Prob: 2. pars: 1°. quia simplici Christiano fides sufficit ad salutem; Habacuc. 2. *Justus in fide suâ vivet*: & Marci cap: ultimo, *Qui crediderit...salvus erit*: ergo in unoquoque Christiano non requiritur Theologia. Unde Tertull: L. de Præscript. c. 14. de privatis fidelibus loquens, ait: *Fides tua te salvum fecit, non exercitatio Scripturarum.*

2°. Quia necessaria est Theologia ad suadendam & defendendam fidem: atqui non omnes fideles tenentur ex officio suadere & tueri fidem; non enim sunt omnes Apostoli & Doctores, ut ait Apost. 1. ad Corint. 12. ergo.

1. Petr: 3. Cum igitur S. Petrus vult unumquemque paratum semper esse ad satisfactionem reddendam de sua spe, non exigit ut unusquisque momentis firmet suam fidem, & objecta diluat; sed ut quisquis sciat simpliciter exponere quas credit veritates, & quæ dona speret.

Dices: Superflua est Theologia, si nulla debeat esse post Evangelium inquisitio: atqui ex Tertull. Lib. de Præscript. c. 8. *Nobis curiositate opus non est post Christum Jesum, nec inquisitione post Evangelium*; ergo, &c.

R. dist: min. Nulla debet esse inquisitio ad nova excogitanda dogmata, C. ad exponenda & defendenda quæ Christus docuit, N. Carpit hic Tertullianus Hereticorum pruriginem, qua in dies nova cudebant dogmata; sed ipse a Christo & Apostolis tradita multis firmavit argumentis: id ipsum præstare debet Doctor Theologus, ita tamen ut juxta monitum Vincentii Lirinensis, si *novè* dicat, *nova* non dicat.

Conclusio II. Theologia Scholastica non est simpliciter necessaria toti Ecclesiæ, est tamen ipsi valde utilis. Hæc secunda pars est contra Wiclefistas, & Lutheri ac Calvini discipulos.

Prob: 1. pars. Illud non est simpliciter necessarium toti Ecclesiæ, sine quo diu illa viguit, & contra hostes suos invicte defensa est: atqui Ecclesia diu viguit sine Theologia Scholastica; cum hæc ad summum octavo seculo incoeperit.

Prob. 2. pars: 1°. ex usu & approbatione Ecclesiæ. Illa quippe censet utilem esse Theologiam Scholasticam, quæ hujus Scholas instituit, in iis studio incumbentes donat privilegiis, stipendia Magistris & honores decernit, Scholarum principes in Sanctorum album refert, &c. atqui ita se gerit Ecclesia; ergo.

2°. Ex Concil: Constantiensi, sess: 8. ubi damnatur hæc Wiclefi propositio: *Universitates, Studia & Collegia vana garrulitate introducta sunt.* Pari de causa Sacra Facultas Parisiensis nonnullas Lutheri propositiones, in quibus Theologia Scholastica dicebatur illusoria, & Scripturæ corruptrix, proscripsit, *ut falsas, temere, superbe, malitiose assertas, errori Bohemorum vicinas, & sanæ doctrinæ inimicas.*

3°. Ratione. Ea est Theologiæ Scholasticæ methodus, ut vocum notiones exprimat, certa secernat ab incertis, statum quæstionis aperiat, brevi sententia suam exolvat mentem, probationes recenseat ex ordine, difficultates solvat: atqui hæc methodus, quæ Veteribus utcumque ignota erat, non potest non esse admodum utilis; ergo.

Obj. 1°. Theologia Scholastica ea est quæ Philosophia ac præsertim Dialectica utitur: atqui talem usum damnat, 1°. Apost. ad Coloss. 2. dum dicit, *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam;* 2°. Tertul. qui L. de anima, c. 3. Philosophos appellat *animalia gloriæ, & Patriarchas hereticorum;* 3°. uterque Gregor. Nyss. & Naz. Hilar. &c. ergo.

R. dist. min. Damnant usum dialecticæ falsæ, insidiosæ, sophisticæ, id est, verum dialecticæ abusum, C. damnant usum legitimum veræ & sanæ dialecticæ, N. Hanc enim e contra approbant. *Dialectica,* inquit S. Basilius, *instar muri est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi, & quorumlibet incursioni patere.*

Obj. 2°. Theologia Scholastica sermone inculta est & barbara, pluresque tractat quæstiones inutiles & insulsas; ergo rejicienda est.

R. non deesse Theologos qui pure loquantur: ceterum in rebus novis tractandis novæ excogitandæ sunt voces; nec a Theologis expostulanda est eloquentia, quam Cicero Philosophis deesse non improbabat: ve-

rum quod sermoni deest in Theologia, suppletur sententiarum copiâ & veritatum majestate. Quæstiones agitatæ gravioris plerumque sunt momenti, licet non eas tales primo judicemus intuitu; quæ erant prorsus inutiles jam plane e Scholis exulant; & si quæ adhuc a nonnullus tractantur, vitium est non Theologiæ sed Theologi.

§. II. *De dignitate & unitate Theologiæ.*

Quæritur an Theologia relative ad scientias naturales spectata, sit illis dignior? an considerata quantum ad principia sua sit supernaturalis? an comparata cum scientia Beatorum, sit ei subalternata? Ad quæ paucis,

R. 1°. Dignior est Theologia scientiis naturalibus; siquidem repetenda est disciplinæ dignitas, ex objecto quod attingit, ex modo secundum quem in illud fertur, & ex fine propter quem circa illud versatur: sed quid nobilius objecto Theologiæ, Deo nimirum & fidei mysteriis? quid certius divina veracitate, cui innititur eadem Theologia? quid optabilius æterna felicitate ad quam tendit & promovet?

R. 2°. Supernaturalis est Theologia præsuppositive; cum principia quæ supponit, sint propositiones revelatæ: sed in se & quoad entitatem vere naturalis est; cum instar ceterorum naturalium habituum actibus repetitis habeatur, & ab exercitio & mentis acumine multum pendeat. Neque enim præcise ex objecto denominantur habitus, alioqui enim metaphysica supernaturalis appellaretur.

R. 3°. Theologia non est Beatorum scientiæ subalternata. Ut enim sciena una alteri subordinata sit, tria requiruntur: 1°. ut utriusque scientiæ unum idemque sit objectum; 2°. ut subalternata à subalternante principiorum suorum probationes mutuetur; 3°. ut possint simul stare in uno eodemque subjecto: atqui nec Theologia nostra suas a Beatorum cognitione probationes desumit; nec cum illa consistere potest: quandoquidem Sancti aperte vident, Theologi vero obscure: ergo.

Quod spectat ad unitatem Theologiæ, quæritur an hæc sit una specifice & quoad substantiam: unitas autem specifica scientiæ profluit ex unitate motivi, quo impellimur ad assentiendum conclusionibus. Ubi enim eadem est & una omnibus assentiendi ratio, ibi unica est specifice disciplina: multiplex autem ubi multiplex assentiendi motivum. Sit

CONCLUSIO. Theologia est una specie scientia.

Probatur: Unitas specifica scientiæ repetitur ex unitate motivi, quo assentimur illius conclusionibus: atqui in Theologia unica est ratio assentiendi illius conclusionibus: nimirum connexio cum revelatione evidenter percepta, seu revelatio lumine rationis evoluta; ergo.

Obj: 1°. Præmissa naturalis qua utitur Theologia; potest esse modo moraliter evidens, modo evidens metaphysice; ergo cum evidentia præmissæ naturalis sit partiale motivum conclusionis theologicæ, sequitur diversa esse motiva theologici assensus. R. vel evidentia moralis dubium omne excludit, vel non. Si 1. non differt ab evidentia metaphysica relative ad mentem, cujus assensum necessario elicit. Si 2. male tunc dicitur evidentia, & quæ ab ea eruuntur conclusiones, non sunt vere theologicæ.

Obj. 2°. Conclusio deducta e duabus præmissis revelatis est Theologica, non secus ac quæ deducta est ex duabus præmissis, quarum una revelata est, alia solo lumine naturali cognita: atqui tamen non unum est utrique assentiendi motivum. Primæ enim assentimur ob solam revelationem; secundæ non item; ergo. R. neg. maj. pro 1. parte: quod enim est principium conclusionis, non est ipsa conclusio: atqui propositio omnis revelata est principium conclusionis Theologicæ; ergo cum principia a conclusionibus differant, propositio qualitercumque revelata, non est vere conclusio Theologica.

Inst. Ubi vera est illatio, ibi vera est conclusio: atqui in syllogismo ex duabus præmissis revelatis resultante, est vera illatio; non secus ac in scientiis naturalibus vera est illatio ex utraque præmissa evidenti; ergo.

R. dist. min. Est vera illatio logica, quia servantur syllogisticæ leges, C. illatio Theologica, N. Ad hanc enim necesse est, ut conceptus propositionis quæ infertur, addat aliquid conceptui revelationis; alioqui enim non est tunc illatio, sed ad summum mera expositio: atqui cum ambæ præmissæ sunt revelatæ, conceptus propositionis quæ infertur, nihil addit conceptui revelationis; conceptus enim conclusionis totus est in præmissis, quæ totæ revelatæ supponuntur; ergo.

Inst. 2°. Si res ita sit, conclusio Theologica non erit de fide: atqui falsum consequens. Hæc enim propositio, *Duæ sunt in Christo voluntates*, est de fide: at-

qui tamen eſt hæc vera concluſio Theologica. Siquidem infertur ex hac revelata, Chriſtus eſt homo, & ex hac naturali, Omnis homo voluntatem habet humanam, ergo. R. ad 1. neg. min. differunt enim Fides & Theologia: 1°. quia objectum illius eſt quidquid eſt revelatum; iſtius vero proprium objectum quidquid fluit ex revelatis; 2°. quia motivum Fidei eſt ipſamet revelatio; Theologiæ autem motivum eſt connexio cum revelatione, ſeu, ut aiunt, revelatio virtualis & mediata, hoc eſt evidentia naturali mixta; 3°. quia medium, quo Fides ducitur ad cognitionem revelationis, eſt autoritas Eccleſiæ proponentis; medium vero, quo Theologia venit in cognitionem connexionis cum revelatione, eſt diſcurſus formaque ſyllogiſtica.

Ad 2. neg. min. Propoſitio enim duas Chriſto voluntates afferens non fuit definita tanquam de Fide, quia eruitur ex una propoſitione revelata & altera naturali, ſed quia diſtincte enuntiatur in ſacro textu: habetur enim divina Chriſti voluntas quando flens exclamabat: *Jeruſalem quoties volui .... miſi ad te Prophetas;* voluntas autem humana exprimitur, cum Salvator triſtis & tremens dicebat, *Non mea, ſed tua voluntas fiat.*

§. III. *De certitudine Theologiæ.*

Not. 1°. Certitudo alia eſt *objecti*, quæ eſt rei immutabilitas; alia *ſubjecti*, quæ eſt firma mentis adhæſio alicui veritati; alia *motivi*, quæ vis eſt & valor argumenti impellentis ad aſſenſum. Vis hæc ſi tanta eſt ut dubii poſſibilitatem excludat, & mentem rapiat invicte, certitudinem metaphyſicam parere dicitur. Jam

Quæritur utrum Theologia certior ſit diſciplinis naturalibus, non iis ſolum in quibus omnia pene in opinione poſita ſunt, iſtis enim certiorem eſſe Theologiam nemo ambigit; ſed & iis quæ vel attingunt prima principia, qualia ſunt hæc, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt idem inter ſe. Ab æqualibus ſi æqualia demas, cetera manent æqualia*, vel geometricis demonſtrationibus ubique receptis conſtant. Sit

Conclusio. Theologia non videtur certior prædictis ſcientiis.

Prob. quia eorum, quæ in genere quæque ſuo certiſſima ſunt, non videtur aliud alio certius eſſe; præſertim cum utraque eodem nituntur fundamento: atqui 1°. concluſiones verè Theologicæ, & demonſtra-

tiones verè geometricæ, in suo quæque genere certissimæ sunt; idque nemo in dubium vocat. 2°. Utræque eodem nituntur fundamento; nimirum summa veracitate Dei, qui non minus cum naturaliter revelat per rationem & evidentiam ubique cognitam fallere potest, quàm cùm per fidem revelat in Scripturis; ergo.

Confirm. Si fidei assensus prævio rationis judicio nitatur, non potest ille plus habere certitudinis quàm ipsa ratio; atqui fidei assensus.... quare enim Deo per Scripturas loquenti credo, nisi quia docet me ratio Deum nec falli posse ut omniscium, nec fallere ut summe bonum? Ergo.

Obj. 1°. Supponantur duæ bilances; in lance unius sit pondus mille librarum, & ex parte altera unius libræ pondus: alia in bilanci reperiatur unius quoque libræ pondus & ex altera parte pondus centum librarum: certum est, quòd utrumque pondus & centum & mille librarum, attollit unumquodque suam lancem oppositam quantum attolli potest; nihilominus tamen major inest vis ponderi mille librarum ad extollendam lancem oppositam quàm centum librarum ponderi; ergo a pari, licet evidentia naturalis mentem certam faciat, eam tamen certiorem facere potest evidentia partim supernaturalis.

R. neg. conseq. tum quia non gravitat evidentia in mente, ut gravitant corpora in lance: tum quia pondus librarum mille valet per se & independenter a pondere librarum centum: pondus vero revelationis vim suam habet a prævio pondere rationis, quæ docet & Deum summè esse veracem, & summé veraci credendum esse.

Obj. 2°. Principium certitudinis fidei est evidentia divina, scientiarum vero, evidentia humana: atqui major est certitudo evidentiæ divinæ, quam humanæ; ergo.

R. neg. maj. & dico scientiarum evidentiam esse in principio suo divinam, quatenus a Deo omnem hominem naturaliter illustrante provenit. Non negò pro evidentibus haberi multa quæ evidentia non sint; sed nec opinior, negabit quispiam pro conclusionibus Theologicis haberi multa, quæ non sint conclusiones Theologicæ.

Obj. 3°. In humanis datur evidentia major altera: intelligentiæ enim quæ absque discursu rapit assensum, major est claritas, quam scientiæ, quæ discursus ope

gradatim evidentiam parit; ergo major etiam esse debet conclusionis Theologicæ certitudo, quam Philosophicæ.

R. neg. ant. Sicut enim Theologicæ conclusiones, etsi aliæ aliis longe facilius e revelatis eruuntur, haud tamen aliæ aliis certiores sunt, si verè sint conclusiones Theologicæ; sic nec minus certa, nec si juste loquaris, minus evidens est vigesima Euclidis propositio quam prima, etsi ad ejus notitiam non nisi pedetentim deveniatur. Unde non minus evidens est Geometræ tres trianguli angulos æquales esse rectis duobus, quàm puero evidens sit totum majus esse sua parte.

ARTICULUS TERTIUS.

De usu Rationis in Theologia.

Triplex hic occurrit error: primus Anabaptistarum, qui nullum rationis usum in rebus Fidei & Theologiæ admittunt, quique secreta, ut existimant, inspiratione ducti in absurda quæque & fanatismum proruunt. Secundus Socinianorum, qui usum rationis in rebus fidei ita admittunt, ut illam velint esse unicam regulam, qua secernamus revelatum a non revelato, & revelationis sensum figamus. Unde quidquid in Scripturis rationi ipsorum non arridet, illud exponunt ad nutum & adulterant. Tertius eorum qui cum Pomponacio, fidem & rationem sibi adversari, sed utrique tamen parendum contendunt.

Primus error confutatus manet, ex iis quæ diximus ubi de necessitate Theologiæ: cum enim hæc disciplina exigat rationis usum, eaque fidei necessaria demonstretur, jam sequitur usum rationis non esse arcendum e rebus fidei. Aliunde absurditas & fanatismus, quibus illi Hæretici locum dant, abunde eorum refellunt errorem. De secundo & tertio errore sit

Conclusio I. Ratio in rebus Theologicis fidei famulari & subdi debet.

Prob. quod plerumque cœcutit in naturalibus, quæ longe faciliora sunt intellectu, non nisi male constituitur judex in revelatis, quæ obscura sunt: atqui ratio plerumque cœcutit in naturalibus, secundum id Eccl. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum*, non scientiæ. Aliunde fides est obscura, non clara, non aperta; ergo illius veritates non debent subdi rationi quæ

omnia ex claritate metitur. Unde S. Cyrill. Alex. Lib. 1. in Julianum, ait: *Oportet quæ supra nos sunt, fide venerari, non ratione inquirere. Imbecillior quippe mens hominis est, quam ut intelligentia capere ista possit.* Etvero quo cessêre Origenis, Tertulliani, totque aliorum conatus, quoties rationi nimis indulsêre? Sane id experti sunt Prov. 25. *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.*

Obj. Rom. 12. debet esse *rationabile obsequium nostrum*, ergo ex ratione determinandum. R. nego conseq. & dico, textum hunc litteraliter esse intelligendum de obsequio interno & cultu spirituali, per oppositionem ad cultum externum, & obsequium pharisaicum. Quanquam & in fide rationabile obsequium est, cum rationi consentaneum nihil magis sit, quàm assentiri veritatibus, quarum existentia demonstratur invictissimis credibilitatis motivis.

Instabis: Per rationem revelata a non revelatis secernenda sunt; ergo ex judicio rationis revelationem determinare necessum est.

R. Per rationem dignoscendum est, 1°, existere revelationem cui ab homine parendum sit; 2°. sensum revelationis non posse certo ab unoquoque determinari; 3°. ipsum proin ab autoritate a Deo constituta esse simplici animo accipiendum. Hic hæreat ratio nisi a gloria opprimi velit.

Conclusio II. Fides & ratio non pugnant, sed præter & supra rationem fides est.

Prob. Una eademque est veritas, quocumque modo attingatur & quocumque motivo; ergo quod a Deo profertur, non potest ratione falsum demonstrari. Sane duo contradictoria nequeunt esse simul vera; ergo quod Deus asserit, illud ratio non potest negare. Hinc Concilium Lateranense V. Sess. 8. ait: *Cum verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omnino falsam esse definimus, & ut aliter dogmatisare non liceat districtiùs inhibemus, &c.*

Obj. 1°. Multoties Scriptura asserit hominem humanamque sapientiam veritates rejicere revelatas; ergo, &c.

R. Scripturam loqui de homine animali, non de homine spiritali qui sane sua ratione utitur. Sapientia, quæ adversatur revelationi, mundana est, passionibus obcœcata, aut Gentilium Philosophorum tumore inflata.

Obj. 2°. Si fides & ratio non adversantur, poterit hæc solvere argumenta, quæ contra illam proponuntur; ergo & ad illius assurgere veritates.

R. dist. Poterit solvere argumenta, sed stando in principiis fidei quæ obscura sunt, C. poterit intima mysteriorum penetralia per solam rationem aperiendo, N.

Obj. 3°. Nihil obstat quominus veritas unius ordinis cum alterius ordinis veritate pugnet: sic essentia materiæ in ordine naturali est extensio actualis, non autem in ordine supernaturali propter Eucharistiæ Sacramentum; ergo.

R. neg. ant. Absit enim ut ullo modo dicatur evidentiam & revelationem esse adversas: certe in exemplo allato si extensio actualis est essentia materiæ, ne quidem divinitus materia potest esse sine extensione actuali, hæc quippe est idea & notio essentiæ; ergo Deus qui nec falli nec fallere potest, nequit revelare materiam esse sine extensione actuali.

APPENDIX.

De Locis Theologicis.

Loci theologici dicuntur promptuaria seu fontes, ex quibus Theologia sua depromit argumenta, seu sibi propria, & tunc dicuntur interni; seu sibi extranea, & tunc dicuntur externi.

Decem vulgo numerantur Loci theologici. I. Autoritas Scripturæ sacræ. II. Traditionis. III. Ecclesiæ. IV. Conciliorum. V. Sedis Apostolicæ. VI. SS. Patrum. VII. Theologorum Scholæ, quibus jungendi Juris Canonici Doctores. VIII. Rationis. IX. Philosophorum. X. Historicorum.

Nostri Consilii non est singulos illos Locos fusius prosequi; copiosior enim eorum tractatio propriis suis locis reservanda est. Sufficiat generalem eorum notionem indicasse, & necessaria capita summatim delibasse.

SCRIPTURA SACRA.

§. I. *Quid sit, & an inspirata.*

Scriptura est verbum Dei scriptum, & per Ecclesiam manifestatum.

Dicitur 1°. *verbum* Dei, ut distinguatur a definitio-

nibus Conciliorum, etiam generalium, quæ proprie non sunt verbum Dei, sed sensum ejus declarant, & ad credendum Fidelibus sub anathematis poena proponunt.

Dicitur 2°. verbum Dei *scriptum*, qua parte distinguitur a Traditione, quæ quidem pariter verbum Dei est, sed scriptis non consignatum.

Dicitur 3°. *per Ecclesiam manifestatum*, quia ad Ecclesiam solam pertinet & Libros canonicos a non canonicis discernere, & legitimam eorum interpretationem determinare. *Scriptura* enim, *propria interpretatione non fit.* Unde celebre istud S. August. dictum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret autoritas.*

Gravis hic exurgit controversia, utrum scilicet quidquid in Scripturis divinis continetur, sit revelatum, vel saltem inspiratum. Ut autem quæstio hæc diu inter Theologos Lovanienses & Theologos Societatis Jesu disputata solvatur,

Not. 1°. tria in Scripturis divinis distingui debere: res, verba & stylum. *Res*, seu sententiæ verbis expressæ, vel sunt dogmata quæ fidem & mores spectant, vel præteritorum temporum historiæ, vel prædictiones futurorum, vel leges ac præcepta morum. *Verba*, sunt ipsæ voces quibus sacri Contextus mens ac sensus exprimitur. *Stylus* denique, est verborum ordo, series, structura & conformatio.

Not. 2°. triplicem in Scriptoribus sacris distingui debere operationem; nempe revelationem, inspirationem, ac specialem assistentiam.

Revelatio proprie sumpta, est rei antea ignotæ facta divinitus manifestatio.

Inspiratio, est incitatio, qua Deus quempiam movet ad scribendum, & ad delectum eorum quæ vult ut ab eo scribantur.

Assistentia denique, est specialis directio, seu singulare divini Spiritus auxilium, quo fit ut Autor sacer nihil unquam falsi scribere possit.

Not. 3°. Theologos Lovanienses & Duacenses in celebri censura, an. 1588. affirmasse omnia & singula quæ in Scripturis continentur, revelata esse aut saltem divinitus inspirata, adeo ut *singuli sermones, syllabæ, apices, puncta divinis plena sint sensibus.* Ex altera parte Theologi Societatis fatebantur quidem verba omnia quibus dogmata fidei & morum exprimuntur, fuisse a Deo revelata: at negabant omnes omni-

no sententias, historias, omnia & singula verba, ac stylum ipsum, fuisse a S, Spiritu immediate inspirata. Nomine autem inspirationis intelligebant illi, veram & proprie dictam revelationem rei antea incognitæ, non autem motum interiorem, quo Scriptor sacer ad scribendum, & inter multa sibi cognita, ad hæc potius quam ista scribenda incitabatur.

Ita explicatis terminis & semota æquivocatione, tota evanescit controversia: sit

Conclusio I. Non est admittenda ad singulas Scripturæ sententias peculiaris Dei revelatio.

Prob. quia, ut fert vulgare adagium, sicuti Deus non deficit in necessariis, ita non redundat in superfluis: atqui supervacanea videtur specialis revelatio eorum quæ Scriptores sacri propriis inspexerant oculis; ut Moyses Ægyptiorum plagas, S. Joannes Christum pendentem in cruce,&c. unde S.Evangelista,Epist.1. cap. 1. viam, qua scribenda noverat, indicans, non revelationem, sed aliud omnino assignat. *Quod fuit ab initio*, inquit, *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt.... testamur & annuntiamus vobis.*

Conclusio II. Verborum delectus, & stylus, uniuscujusque Scriptoris sacri ingenio ac indoli permissus est, sine speciali & immediata inspiratione ad singula verba.

Prob. 1°. ex diversa & inæquali styli varietate. S. Hieron. Præfatione in Isaiam & Ezechielem observat, Isaiæ, viri nobilis & urbani, orationem elegantem esse; Ezechielis, nec satis disertam, nec admodum rusticam; Amos vero in eremo inter leones degentis, duram & incultam: pariter inter Scriptores novi Testamenti, S. Lucas, quia græce peritus erat, elegantius scribit quam SS. Marcus & Joannes.

2°. Idem sacer Scriptor res easdem aliis verbis alioque ordine nonnunquam describit. Ita Moyses Exodi 20. & Deuteron. 5. alio verborum delectu Decalogum refert,

3°. Autor L. II. Machab: c.2. v. 27. asserit, se opus illud multo labore confecisse. Cap: ultimo; v. 36. dubitans num eventus votis responderit, sic Opus concludit: *Et si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.*

Conclusio III. Non sufficit specialis Spiritus sancti assistentia ad Scripturas sacras.

Prob. quia hujusmodi aſſiſtentia ſufficit quidem ad ſcripti veritatem, non verò ut ſcriptura aliqua dicatur ac verè ſit verbum Dei; quia ſcilicet aſſiſtentia illa in ſcripta ipſa nihil influit, alias & ipſi Canones Eccleſiæ eſſent Scriptura divina; in eis enim condendis non deeſt ſpecialis aſſiſtentia.

Conclusio IV. Admittenda eſt ad ſacras Scripturas vera & propriè dicta inſpiratio.

Prob. 1°. ex Scripturis. I. Petri 1. *Non voluntate humanâ allata eſt aliquando prophetia* (id eſt Scriptura sacra) *ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* II. ad Tim. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum.* Lucæ 1. v. 7. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum.*

Prob. 2°. ex conſtanti SS. Patrum Traditione, qui docent Autores sacros ad ſcribendum fuiſſe inſpiratos, motos, impulſos. Ita præſertim S. Auguſtinus, L. 18. de Civit. Dei, cap. 38.

Prob. 3°. quia ex dictis ad omnem Scripturam sacram non requiritur revelatio propriè dicta: aliunde non ſufficit mera ſancti Spiritûs aſſiſtentia; ergo requiritur & ſufficit vera & propriè dicta inſpiratio.

Ex his conſequens eſt ne leviſſimum quidem errorem, vel memoriæ lapſum, in Scripturis admitti poſſe: alioqui jam omnino ruet earum autoritas. Hinc S. Aug. Ep. 82. de ſacris Litteris ait: *Didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo erraſſe aliquid firmiſſimè credam. At ſi aliquid in iis offendero litteris quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem aſſecutum non eſſe quod dictum eſt, vel me minimè intellexiſſe, non ambigam.* *T.2.p.* 190.

Quæres annon ergo ſingula verba ſint à Spiritu sancto inſpirata & dictata?

R. 1°. omnia & ſingula verba, quibus exprimuntur myſteria, prophetiæ, aliaque ſimilia quæ ſuperant captum hominis, fuiſſe à Spiritu S. inſpirata & dictata. Ratio eſt, quia ad exponenda ea quæ adeò ab humanis ſenſibus remota ſunt, naturalis loquendi facultas ſufficere non videtur.

R. 2°. in rebus facilioribus, quæ rationi vel ſenſibus perviæ ſunt, dici poſſe verborum delectum, eorumque ſtructuram ſeu ſtylum uniuscujuſque Scriptoris ſacri ingenio & indoli permiſſum fuiſſe, ſicut hic Concluſione primâ oſtendimus.

§. II. *Divisio Scripturæ.*

10. Generatim Scriptura dividitur in vetus & novum Testamentum. Vetus continet 45. Libros; Novum autem 27. & ita sunt omnino 72. Libri divini, quos recenset Conc. Trid. Sess. 4. decreto de canonicis Scripturis. *Si quis autem*, ait Concilium, *libros ipsos integros cum suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgatâ latinâ editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, anathema sit.* Eundem Librorum sacrorum catalogum texuerant Innocentius I. Gelasius, Augustinus, &c.

Hi porro Libri qui canonici dicuntur, eò quòd in Canone Ecclesiæ reponuntur, & sunt fidei & morum regula; dividuntur in protocanonicos, & deuterocanonicos. Protocanonici dicuntur, quorum autoritas semper fuit indubitata apud omnes Catholicos: quales sunt in veteri Testamento quinque Libri Moysis, & in novo quatuor Evangelia. Deuterocanonici appellantur ii, de quibus inter aliquos Catholicos dubium fuit aliquando: quales sunt in veteri Testamento Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, Baruch, Epistola Jeremiæ, duo Machabæorum, nonnullæ partes Danielis & Estheris; in novo autem caput ultimum S. Marci, Lucæ historia de sudore Christi sanguineo, cap. 22. Joannis historia de muliere adulterâ, cap. 8. Epistola ad Hebræos, Jacobi Epistola, Petri Epistola II. item & Joannis Epistola tertia, Judæ & Apocalypsis.

Quanquam autem Libri illi in catalogo seu Canone Librorum sacrorum non continerentur, nihilominùs & in Synagogis Judæorum, & in pluribus insignioribus Ecclesiis publicè legebantur, unde Ecclesiastici seu agiographi & pii nuncupabantur.

At, inquies, qui fieri potest ut Libri Veteris Testamenti, qui in Canone Judæorum non continentur, nec ab eis pro divinis habentur, postea in canonicos evadant? An nova circa illos Ecclesiæ facta est revelatio?

R. Libros illos origine divinos quidem fuisse, sed tardiùs cognitos; & Ecclesiam exploratâ Traditione quàm plurium insignium Ecclesiarum, quæ eos ut divinos agnoscebant, declarasse illos reipsâ ut divinitùs inspiratos admittendos esse; id autem eâ ipsâ viâ cognovit, quâ cetera fidei capita à nonnullis Veteribus oppugnata definivit; v. g. adversùs Millenarios, procrastinandam non esse ad ultimum usque Judiciorum Sanctorum beatitudinem.

2°. Alia est divisio Librorum canonicorum: in legales, historicos, sapientiales, & propheticos.

Legales sunt in Veteri Testamento, quinque Libri Moysis; in Novo, quatuor Evangelia.

Historici sunt in veteri Lege, Libri Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, Tobiæ, Judith, Ester, Job, & duo Machabæorum. In nova autem Lege, Actus Apostolorum.

Sapientiales sunt in veteri Lege Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus; & in nova, 14. Epistolæ S. Pauli & aliorum Apostolorum.

Prophetici sunt in Veteri Testamento, quatuor majores Prophetæ, sic dicti a majori prophetiarum volumine, Isaias, Jeremias cum Threnis & Baruch, Ezechiel, atque Daniel, & 12. minores: in Novo autem Testamento, Apocalypsis.

§. III. *Quotuplex Scripturæ sensus.*

Duplex est generatim Scripturæ sensus, Litteralis, & Mysticus. Litteralis, is nempe quem Deus Scripturæ autor per ipsas voces exprimere intendit, iterum duplex est: alter proprius, alter metaphoricus. Proprius est, quem verba propriè accipiunt, ut in ista propositione, *Abraham duos filios habuit.* Metaphoricus est, qui eruitur ex verbis impropriè acceptis; ut cùm dicitur Christus sedere ad dexteram Patris: dexteræ quippe voce non corporis pars, sed honoris æqualitas intelligitur.

Ejusdem Scripturæ multiplex potest esse sensus litteralis, ut docet S. Aug. L. 12. Confess. c. 18. Sic Exodi 12. v. 36. de Agno Paschali ad litteram præscribitur ne ossa illius confringantur; quod & ipsi Christo adaptat S. Joan. c. 19. v. 36. Pariter quod de populo Judaico legitur, Osee 7. v. 2, *Ex Egypto vocavi Filium meum*: de Christo dictum refert S. Matthæus, c. 2. v. 15. Observa hic, quod cùm sensus litteralis directus & immediatus Christum respicit, v. g. istud Isaiæ, *Ecce virgo concipiet*; periculosum sit sensum illum ad alios detorquere.

Sensus mysticus seu spiritualis ille est, qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis indicatur: & is triplex iterum distinguitur: allegoricus, moralis, & anagogicus.

Allegoricus dicitur, cùm res sub veteri Lege gestæ

adumbrabant ea quæ in Lege nova futura erant, v,g. Ecclesiam militantem, Christum, &c.

Moralis seu Tropologicus est, cum verba aut facta significant aliquid quod ad mores pertinet: sic istud
1. *Cor:* Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, significat dignum esse operarium mercede suâ.

Anagogicus est, cum verba seu facta mentem erigunt ad cogitationem eorum quæ sursum sunt. Sic verba ista Ps. 94. *Quibus juravi in ira mea si introibunt in requiem meam;* quæ ad litteram dicta sunt de Terra promissionis, spiritualiter referuntur ad vitam æternam interprete Apostolo, Heb. 4. Tres isti sensus duobus his versibus exprimuntur.

Litera gesta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quid speres Anagogia.

Hos omnes sensus Lyranus reperit in una voce *Jerusalem*, quæ urbem, Ecclesiam militantem, animam fidelem, & cælestem patriam, in variis Scripturæ locis significat.

Ex solo sensu litterali haberi potest aliquid fide divinâ credendum; non autem ex sensu mystico & spiritali, nisi à Spiritu sancto, vel in sacris Scripturis, vel in Traditione declaretur, prout docet S. Aug. Ep. 93. alias 48. c. 8. unde Hieronymus in caput 13. S. Matth. *Nunquam parabolæ, & dubia enigmatum intelligentia potest ad autoritatem dogmatum proficere.*

§. IV. *De textu & versionibus Scripturæ.*

Quæres 1°. quâ linguâ primo scripti fuerint, tum veteris, tum novi Testamenti Libri.

R. 1°. omnes veteris Testamenti Libros hebraicè exaratos fuisse, modo tamen nonnullos excipias post Esdram græcè scriptos.

R. 2°, textum primigenium seu originalem Librorum novi Testamenti græcum esse, exceptis Evangelio S. Matth. & Epistolâ S. Pauli ad Heb. hebraicè seu syriacè scriptis; pura scilicet hebraica lingua tunc temporis apud Judæos domestica & vernacula non erat.

Quæres 2°. an purus & incorruptus apud nos pervenerit textus Scripturæ sacræ.

R. 1°. dubium non esse quin Hæretici tentaverint sæpius sacrum textum adulterare; 2°. nec etiam dubium esse, quin leviores quidam nævi in eo concurrant: quod ex veritate codicum hebraicorum, græcorum & latinorum facilè demonstratur; 3°. nullum dubium esse quin primævus novi Testamenti textus, purus fluat in iis quæ ad fidem & mores spectant.

Dubium duntaxat verſatur circa textum hebraicum, quem Catholici nonnulli, longè plurimis aliis repugnantibus, contendunt à Judæis corruptum de induſtria fuiſſe. E contra ſentit S. Auguſtinus, qui regulam hanc ſtatuit: Ubi verſiones diſcordes ſunt, ad ipſum primævum textum recurrendum eſſe; docetque Judæos, Deo providente, per orbem univerſum idcirco diſperſos, ut ex libris quos ipſi habent, convincantur Gentiles, confictas à nobis non eſſe de Chriſto Prophetias, quas ex infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus accepimus. *Codicem*, inquit S. Doctor, L. 18. de Civ: Dei, c. 46. *portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodò ſolent ſervi poſt dominos* *P. 7.* *codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo pro-* *pag:* *ficiant.* 529.

Quæres 3°. quæ præcipuæ ſint verſiones Scripturæ.

R. Sunt hæ: Græca, Syriaca, Arabica, Chaldaica, Itala ſeu Latina, & Vulgata.

Inter græcas veteris Teſtamenti verſiones, quatuor celebriores ſunt.

Prima & antiquiſſima eſt ſeptuaginta Interpretum, qui rogante Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum Rege, ab Eleazaro ſummo Judæorum Pontifice in Ægyptum miſſi ſunt, ubi Libros ſacros hebraicè ſcriptos in græcum ſermonem converterunt: quâ verſione uſi ſunt Apoſtoli, quâ uſa eſt & etiamnum utitur Eccleſia Græca, & quæ velut authentica diù in Eccleſia obtinuit, ac etiamnum obtineret, ſi ex Eccleſiæ judicio atque ſententiâ certum foret eam, quæ jam extat, autographo ſeptuaginta Interpretum conformem eſſe.

Nonnulli poſt Philonem Judæum, arbitrantur illos 70. Interpretes divinitùs afflatos ac inſpiratos fuiſſe; imò Tertullianus & S. Juſtinus, referente S. Auguſtino, L. 2. de Doctrina Chriſtiana, c. 15. narrant eos ſingulos in ſingulis cellulis ſeperatim incluſos, iisdem verbis eodemque rerum ordine uſos fuiſſe, eodem ſcilicet dictante Spiritu: verùm confictam illam cellularum fabellam exſufflat S. Hieronymus in Prologo Pentateuchi.

Secunda verſio græca eſt Aquilæ, qui ex Chriſtiano factus eſt Judæus, vixitque imperante Adriano circa annum à Chriſto nato 130.

Tertia eſt Symmachi Samaritani, qui ejurato Judaiſmo factus eſt Chriſtianus, ac tandem ex Catholicis defecit ad hæreticos Ebionitas: ſcripſit poſt Aquilam, imperante Commodo.

Quarta à Theodotione fuit adornata. Is poſt ſuſceptum Baptiſmum, & propugnata Marcionis deliria, ad Judæos ſe tranſtulit ſub Antonio Caracallâ ineunte ſeculo tertio.

Verſiones ſyriaca, arabica & chaldaica, quanquam utilitatis aliquid afferre poſſint ad elucidandum textum ſacrum, nuſquam tamen ab univerſali Eccleſia fuerunt approbatæ.

Inter multas latinas verſiones celebratiſſimæ ſunt Itala, & Vulgata. Itala eſt antiquiſſima, cujus autor i-
Cap. gnoratur. Vocatur à S. Hieronymo. *Communis & Vul-*
135. *gata*; quia ad hanc uſque ætatem eâ utebatur Eccleſia. Hanc emendavit S. Doctor, qui ut ipſe refert in fine libri de Scriptoribus eccleſiaſticis, *novum Teſtamentum græcæ fidei reddidit*, & vetus *juxta hebraicum tranſtulit*.

Verſioni Italæ Vulgata noſtra ſucceſſit, cui meritò prælata eſt; utpotè quæ non ex verſione veteris Teſtamenti, ſicut Itala, ſed ex ipſo primigenio textu edita fuerit, atque ideò fonti vicinior ac purior. Eſt igitur Vulgata noſtra, vetus Itala à S. Hieronymo recognita & emendata, quam Eccleſia in Conc. Trid. authenticam eſſe declaravit, id eſt non quidem ab omnibus nævis immunem: multa enim *de induſtria* relicta ſunt, *quæ correctione indigere videbantur*, ait Bellarminus in Ep. ad Lucam Bu genſem; ſed abſolutè & ſimpliciter fidelem & ſinceram in iis, quæ pertinent ad fidem & mores, & ceteris Editionibus latinis præferendam. *Vide Pallavicinum*, L. 6. *Hiſt. Conc. Trid. c.* 17.

De Lectione Scripturæ ſacræ loquemur in Tractatu de Decalogo.

TRADITIO.

§. I. *Quid & quotuplex Traditio.*

Traditio eſt verbum Dei non ſcriptum, ſed vivæ vocis oraculo, quaſi per manus, ad nos uſque conſtanter transmiſſum; æqualis igitur ad fidem faciendam autoritatis eſt Traditio non ſcripta, cum ipſo verbo Dei ſcripto. Traditio dicitur verbum Dei *non ſcriptum*, in Libris ſcilicet ſacris; nam in ſcriptis SS. Patrum & actis Conciliorum Traditiones conſervari ſolent.

Traditio triplex eſt: *Divina*, quæ Deum ſeu Chriſtum habet autorem: *Apoſtolica*, quæ originem ducit ab Apoſtolis: & *Eccleſiaſtica*, quæ initium ſumit à ſucceſſoribus Apoſtolorum.

Traditio ſimpliciter divina facilè diſtinguitur ab Ec-

clesiastica; quia hæc post Apostolorum ætatem nata est; variis pro temporum conditione mutationibus obnoxia fuit: illa verò, utpotè verbum Dei, nata est cum Christo, & eadem constanter manet.

Difficiliùs quidem, sed tamen verè, divina Traditio à purè Apostolicâ secernitur. Secerni verò potest isto duplici capite: 1°. si quid in Ecclesia semper retentum & observatum fuit, tanquam pertinens ad fidem, ità ut ejus initium consignare non possit, qualis est, v. g. mos baptisandi infantes, & non iterandi Baptismum ab Hæreticis & Schismaticis collatum; ad divinam Traditionem procul dubio referri debet, quia fides solâ divinâ nititur autoritate: 2°. si SS. Patres ac Theologi communi suffragio aliquid ad Christum autorem revocant, scribuntque esse divini præcepti.

Observa Apostolos duobus modis spectari posse: 1°. ut præcones eorum quæ à Christo audierunt; 2°. ut Ecclesiæ Pastores, qui propriâ autoritate nonnulla Fidelibus regendis utilia decreverunt. Quæ ut verbi Dei præcones tradiderunt, ea sunt Traditionis divinæ; quæ verò ordinaverunt tanquam Pastores Ecclesiæ, censentur Traditionis Apostolicæ. Duo ista distinguit Apostolus I. Cor: cap: 7. ubi v. 10. ait: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere,* versu autem 12. ait: *Ægo dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

§. II. *Necessitas Traditionis.*

Hanc negant Novatores, rati in solis Scripturis divinis ea omnia contineri, quæ ad fidem, morum præcepta, & salutem sufficiunt. E contrà sentiunt Catholici omnes.

Conclusio. Traditio non scripta & olim fuit, & etiamnum est necessaria.

Prob. 1°. quia semper credi debuit immortalitas animæ, corporum resurrectio, Judicium supremum, quo bonis præmia, impiis supplicia decernenda sunt, &c. atqui hæc nec sub lege antiquâ, nec diu sub nova credi potuerunt sine Traditione; quia nec de his expressum quid habet lex vetus, sicut nec de remedio, quo vel feminæ, vel masculi ante octavum diem ab originali noxâ mundari deberent, neque lex Evangelica statim scriptis tradita est; ergo.

Prob. 2°, ex Apostolo, qui Traditionis oralis & non scriptæ necessitatem sæpius adstruit: II. ad Thessal. 2.

Itaque, ait, *fratres, state & tenete Traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam meam.* Et II. ad Titum 2. v. 2. *Quæ audisti à me, per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ergo Apostoli vivâ voce multa docuêre, quæ litteris mandata non sunt.

Prob. 3°. quia multa credimus & observamus; quorum certè nulla extat in Scripturis mentio, v. g. infantes esse baptisandos; datum ab Hæreticis Baptismum ratum ac validum esse; B. Virginem Mariam perpetuò virginitatem servasse; hunc & illum Librum esse canonicum ac divinitùs inspiratum, & alia hujuscemodi non pauca.

Prob. 4°. quia seclusâ Traditione genuinus Scripturæ sensus figi & assignari non poterit inter tot ac varias ac discordes Hæreticorum depravationes. Quis Lutheranos cum Calvinistis conciliabit circa verum istorum verborum Christi sensum. *Hoc est Corpus meum*; quem Lutherani de præsentia reali, Calvinistæ de præsentia duntaxat per figuram, ac virtutem intelligunt? Sicque de ceteris in quibus tum à se, tum à Socinianis dissident.

Prob. 5°. quia Patres supremam Christi divinitatem ex cultu & adoratione, quæ toto terrarum orbe ipsi impenditur; gratiæ necessitatem ex precibus quæ ubique funduntur ad Deum; peccatum originale, ex Baptismo & exorcismis annexis qui apud omnes usurpantur; Trinitatem personarum in unâ & eadem individuali naturâ, invictè demonstrabant ex forma Baptismi, quæ in omnium ore versabatur: atqui argumentorum hujusmodi vis præcipua pendebat ab orali Traditione. Textus enim Scripturæ seu Patrum ab Hæreticis eludebantur; ergo.

Merito igitur Synodus Trid. sess. 4. suam circa Traditiones Ecclesiæ sententiam declarat his verbis: *Traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Christo, vel à Spiritu sancto, dictatas, & continuâ successione in Ecclesia Catholica conservatas,* (sancta Synodus) *pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit & veneratur.* Et infra: *Si quis Traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.*

Quæcunque hic Novatores opponunt adversùs necessitatem Traditionis, quam incertam esse contendunt, utpotè quæ tota innitatur testimoniis SS. Patrum, quorum non paucos in errorem lapsos fuisse

veteribus constat Ecclesiæ monumentis; hæc, inquam, apta non sunt ad rem præsentem: de una quippe hic loquimur traditione orali non scripta, cujus necessitatem vel ipsi Novatores inviti agnoscere tenentur in multis quæ nobiscum admittunt fidei capitibus, imò & in ipsis, ut dictum est, canonicis Scripturis à non canonnicis discernendis. Re quidem verâ quilibet è SS. Patribus, sicut quilibet ex Episcopis, qui in Conciliis ut judices Religionis sedent, falli potest, quia donum inerrantiæ nulli privato Episcopo, sed uni Ecclesiæ universali concessum est à Christo: at fieri nunquam potest ut maxima SS. Patrum & Episcoporum pars in errorem contra fidem & mores adducatur, ità providente divino Spiritu: *Vobiscum sum omnibus diebus.* Doctrinam verò quam SS. Patres communi suffragio scriptis suis consignârunt, ex quo, quæso, fonte hauserunt? nisi ex verbo Dei, seu scripto, seu non scripto, sed vivæ vocis oraculo ad nos quasi per manus transmisso.

ECCLESIA.

Ecclesia vulgò definitur: Coetus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione, eorumdemque Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum Pastorum ac præcipuè Romani Pontificis primi in terris Christi Vicarii. Non est quòd hic immoremur, quia alibi ex professo de Ecclesia loquemur.

CONCILIA.

Concilia sunt communes Præsulum coetus legitimâ autoritate coactorum ad hoc, ut de rebus ad Ecclesiam spectantibus agant. Hinc Concilia, vel sunt *Generalia*, ad quæ convocantur totius orbis Episcopi; vel *Nationalia*, ad quæ conveniunt unius regni aut nationis Præsules; vel *Provincialia*, in quibus sub Metropolitano reperiuntur unius tantum Provinciæ Episcopi; vel *Diœcesana*, quæ ab Episcopo celebrantur cum Clero suæ Diœcesis. Jam

Quæres 1°. quot modis Concilium dici possit œcumenicum.

R. dici, posse œcumenicum tribus modis, scilicet, convocatione, congregatione & exitu.

1°. Convocatione: quia omnes per orbem dispersi Episcopi vocari ad Concilium debent: omnes enim sunt fidei judices à Christo Domino instituti, *quos Spi-*

ritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

2°. Congregatione oecumenicum dicitur Concilium, in quo Episcopi conveniunt, non quidem omnes ad unum, quod vix fieri potest, sed eo numero, qui sufficiat ut universam repræsentent Ecclesiam. Et vero vel in ipso Concilio Jerosolymitano non omnes adfuere Apostoli, sed tantùm Petrus, Joannes, Jacobus & Paulus, ut colligitur ex cap: 2. Ep. ad Galatas. Neque etiam absolutè necesse est, ut in unum & eumdem locum congregentur simul Orientis & Occidentis Episcopi; sic quo tempore Constantinopoli Orientales, Romæ Occidentales Episcopi sub Damaso congregabantur; ut contra Eunomium definirent Divinitatem Spiritûs sancti.

3°. Exitu seu eventu: si enim vel pauci adsint Episcopi ex multitudine convocatorum, vel congregati, suffragiorum libertate spoliantur, metu, violentiâ, ærumnis, comminationibus, &c. (prout contingit in Ephesino, ut vocant, Latrocinio) jam Concilium non erit exitu, nec proin verè oecumenicum.

Quæres 2°. quibus conditionibus promisit Christus se Conciliis adfuturum.

℟. Istâ generali: *Si in nomine suo congregatæ fuerint*; hoc est, servatâ suffragiorum libertate, invocato coelesti auxilio, adhibitâ humanâ industriâ in conquirendâ veritate. Sed quorsum humanam hanc inquisitionem exigimus? 1°. quia legimus in ipso Concilio Apostolorum pro Legalibus, *magnam conquisitionem factam esse*; 2°. quia Deus qui omnia suaviter moderatur, viâ supernaturali: apertâ & manifestâ non adest Conciliis, sed occultâ Spiritûs subministratione, quæ inertibus non conceditur; 3°. quia Episcopis conciliariter sedentibus non fit nova revelatio, sed quod in purissimis Scripturæ ac Traditionis fontibus detegunt, hoc Fidelibus proponunt. Quoties autem (quod observa) constat de exteriori definitione Concilii oecumenici, toties pariter constat omnes conditiones necessarias, ut firme & rata sit ejus definitio, observatas in eo fuisse. Id amplius patebit ex dicendis quæsito sequenti.

Quæres 3°. quâ viâ certò constare possit in Concilio servatum fuisse quidquid necessum est, ut firma & rata sit ejus definitio.

Pag: 267. ℟. 1°. cum Melchiore Cano, L. 5. de Locis, c. 5. q. 3. *Deum suaviter omnia disponere, simulque perspicere & finem & media ad finem necessaria. ... Cùm ergo Ec-*

clesiæ firmitatem fidei fuerit pollicitus, deesse non potest, quominus tribuat Ecclesiæ preces, ceteraque præsidia quibus hæc firmitas conservetur; nec vero dubitari potest, quod in rebus naturalibus contingit, idem in supernaturalibus quoque usu venire; ut qui dat finem, det consequentia ad finem.

R. 2°. ex quo Ecclesia per orbem diffusa Concilii alicujus œcumenici definitiones suo assensu confirmat, hæc ipsa acceptatio certissimum nobis est à posteriori argumentum Concilii legitimè celebrati.

Quæres 4°. an quæcumque in Conciliis proferuntur ab Episcopis, ut condendis Decretis viam præmuniant, ad fidem catholicam pertineant; & quibus regulis discerni debeant ea quæ tanquam de fide tenenda proponuntur, ab aliis quæ non sunt de fide.

R. ad 1. cum Estio in 2. dist. 7. 86. *Non omnia quæ quomodocumque dicuntur in Decretis Conciliorum, pro definitis habenda sunt; sed ea solùm ad quæ propriè fertur intentio statuentium ac definientium. Id autem cognoscitur ex circumstantiis rerum, & causis vel occasionibus condendi Decreta.* Vid. Melch. Canum ubi suprà.

R. ad 2. censeri aliquid definitum ut de fide 1°. cùm contrarium asserentes, pro Hæreticis habentur; 2°. cùm in hanc formam Synodus Decreta præscribit: *Si quis hoc aut illud senserit, anathema sit.* 3°. si quidquam expressè & propriè à Fidelibus firmiter, tanquam dogma fidei catholicæ, accipiendum dicatur; vel aliis similibus verbis, aliquid esse Evangelio doctrinæve Apostolorum contrarium dicatur; idque non ex opinione, sed certo & firmo Decreto. Hæc Canus, p. 272.

Quæres 5°. an Concilium generale errare possit in fidei & morum Decretis.

R. non posse vi promissionum divinarum quæ Ecclesiæ factæ sunt: *Vobiscum sum omnibus diebus.* Concilium enim generale universam repræsentat Ecclesiam, quæ est columna & firmamentum veritatis, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt. Hinc definitio Conc. ipsimet S. Spiritui tribuitur: *Visum est Spiritui S. & nobis.* Quo uno certa stant Conciliorum generalium de fide & moribus Decreta. *Act.* 15.

Accedit censura sacræ Facultatis Parisiensis contra Lutherum, art. 22. ubi ait: *Certum est Concilium generale legitimè congregatum universalem repræsentans Ecclesiam, in fidei & morum determinationibus errare non posse.*

Quæres 6°. an soli Episcopi sedeant in Conciliis fidei Judices: annon etiam simplices Presbyteri.

R. solos Episcopos Judices fidei sedere in Conciliis, simplices vero Presbyteros, ex gratia Ecclesiæ Conciliis aliquando interfuisse, non ut Judices, sed ut Consultores.

Prob. 1°. quia decreta Conciliorum, quibus cum Episcopis interfuêre Presbyteri, solis tamen Episcopis attribuuntur tum à Patribus, tum à posterioribus Conciliis. Sic Nicoena definitio sæpiùs vocatur trecentorum octodecim Patrum fides, etsi plures Nicoenæ Synodo interfuerint Presbyteri. Vide Concilium generale VI. tom. 6. Edit. Lab. pag. 1020. jam vero si simplices Presbyteri fidei judices sint, cur non eis partialiter, in gradu licet inferiori, attribuitur definitio?

Prob. 2°. quia si æquè fidei judices forent Presbyteri, subscriberent tanquam Judices, non autem tanquam rei jam judicatæ acquiescentes: atqui è contra Episcopi soli hâc formâ subscribunt: Ego N. *judicans subscripsi;* Abbates verò istâ: N. *Presbyter & Archimandrita subscripsi in depositione Eutychetis;* Lab: tom: 4. p. 230,

Prob. 3°. quia Episcopi pro nutu Presbyteros admittebant aut non admittebant ad Concilia: unde eorum multi, qui Presbyteros adducere potuissent, solos vel Lectores, vel Exorcistas adducebant; ut patet ex Concilio Arelatensi apud Lab. tom. 1. p. 1429. Num verò ità actum esset, si pro necessariis habita fuissent Presbyterorum suffragia?

Prob. 4°. quia quoties impugnanda fuit hæresis, una adversùs eam producta fuit Episcoporum autoritas. Sic Pontificum litteras edidêre contra Cataphryges Serapio apud Eus. L. 5.c. 18.contra Arianos Alexander Alexandrinus apud Theod.L.1.c.4.contra Donatistas Aug. L. 3. contra Crescon. Sic Alexandrina Synodus Ep. ad Nestorium: *Sentias,* inquit, *& doceas quæ nos universi, sive per Orientem, sive per Occidentem Episcopi credimus & docemus.* Hinc Ephesini Præsules in Ep: ad Theodosium & Valentinianum Imperatores: *Perabsurdum est,* inquiunt, 218. *Sanctorum Episcoporum, quibus & universa Occidentalium SS. Episcoporum multitudo, &* PER IPSOS *reliquus totus terrarum Orbis consentit, triginta tantùm numerum se opponere.* Plura loqui vetat compendii natura: vide Opus inscriptum, *Memoire dogmatique touchant les Juges de la foi.*

Obj. In Conc. Constantiensi, Doctoribus Theologis decisivi suffragii jus concessum fuit; atque eam in rem duo Memorialia obtulêre Cardinales Cameracensis & sancti Marci: ergo.

R. neg. conseq. nam jus illud etiam Jurisconsultis, imò & Principibus eorumque Ministris concessum fuit; sed pro tempore, nempe ad extinguendum schisma quo Ecclesia miserè tunc vexabatur. Unde jus illud sic explicant dicti Cardinales: *Quantum ad materiam terminandi præsens schisma,* inquiunt, *& dandi pacem Ecclesiæ, velle excludere Reges, Principes, aut Ambassiatores eorum .... à voce seu determinatione etiam conclusivâ, non videtur, justum, æquum aut rationi consonum.* Et verò diu post Synodum Constantiensem, id est an. 1581. consultus à Rothomagensi Concilio Gregorius XIII. reposuit. *Abbates Commendatarios, & Capitulorum Deputatos, vocem duntaxat consultativam habere: Episcoporum procuratores posse, si Concilio Provinciali placuerit, & decisivam habere;* idem statuit Concilium Burdigalense an. 1583. demum in Comitiis generalibus Cleri Gallicani anno 1656. Parochi Parisienses scripto declararunt, agnoscere se *Episcopos solos esse Judices fidei.* T. 12. Conc. pag. 1446. Procès verbal du Clergé, anno 1656. p. 922.

Quæres 7°. an Concilia generalia ex seipsis, virtute promissionum Christi, vel ex subsequente duntaxat Ecclesiarum acceptatione, vim suam & autoritatem supremam sortiantur.

R. 1°. in Decretis fidei & morum ac disciplinæ universalis, Concilium œcumenicum, quod verè & omnimodè œcumenicum est & estimatur, habere à se ipso, virtute divinæ promissionis, non verò a subsequente Ecclesiarum consensu, vim omnem suam & autoritatem.

Prob: 1°. quia ex dictis, Concilio verè œcumenico, quod universam repræsentat Ecclesiam, promissa est à Christo inerrantia; ergo vi hujus promissionis, firma sunt & inconcussa ipsius de fide, moribus, ac disciplinâ universali statuta, quibus proinde omnes necessario tenentur obsequi: ergo consensus subsequens Episcoporum qui Concilio non interfuerunt, vim & robur non confert Decretis, sed supponit.

Prob, 2°. quia sub pœna anathematis præscribitur executio Decretorum Concilii generalis, statim ac illa sufficienter cognita fuerint: atqui malè id præscriberetur, si decreta hæc vim non haberent obligandi antequàm accesserit singulorum, qui Concilio interesse

non potuerunt, Episcoporum consensus & approbatio; ergo.

Prob. 3°. Si Concilii oecumenici Decreta, ut rata sint indigerent subsequente Præsulum consensu, majori privilegio non gauderet Concilium generale, quàm quodlibet aliud particulare, cùm certum sit Concilii particularis definitionem circa fidem, in dogma catholicum transire, ubi accedit omnium Ecclesiarum approbatio: quâ ratione, Canones Arausicani circa gratiam ab omnibus Episcopis recepti & approbati, Canones sunt totius Ecclesiæ: atqui tamen negari non potest, quin Concilium verè oecumenicum singulari gaudeat prærogativâ supra quodcumque aliud Concilium non oecumenicum; repræsentat enim universam Ecclesiam, cui promissiones inerrantiæ à Christo factæ sunt.

At, inquies: si illustriores aliquæ Ecclesiæ Decretis alicujus Concilii, quod pro oecumenico habetur, nollent acquiescere, quomodo Concilio generali V. Ecclesiæ nonnullæ, imprimis Gallicana, diù obstiterunt; nonne tunc subsequens Ecclesiarum illarum approbatio necessaria foret, ut definitio vim & autoritatem assequeretur?

R. vel indubitatam esse apud Catholicos Concilii oecumenicitatem, & tunc pro Hæreticis ac Schismaticis habendæ sunt quotquot particulares Ecclesiæ Decretis Concilii non acquiescunt. Ità quotquot fidei à Concilio Tridentino contrà Novatores sancitæ non acquievêre Ecclesiæ, ut vocant reformatæ, pro hæreticis ac schismaticis habentur. Si verò de oecumenicitate Concilii dubium sit ac disputatio inter Catholicos, tunc expectandum donec planè rata sit Concilii oecumenicitas: ac prudenti oeconomiâ agendum cum iis qui contradicunt. Ità olim factitatum occasione dicti Concilii V. cujus autoritas aliquando in dubium vocata fuit: non quidem ex dubio juris, quasi dubium foret an infallibilis esset autoritas Concilii verè oecumenici; sed ex dubio facti, quia tunc dubium erat, an Concilium V. reverâ foret oecumenicum, propter diversam de illo Vigilii S. Pontificis & Occidentalium sententiam.

Diximus non tantùm fidei, sed etiam disciplinæ universalis Decreta vim suam habere ex propria Concilii verè oecumenici autoritate: quia certum est id juris habere universalem Ecclesiam, ut generalem disciplinam ab omnibus observandam circà quædam capita statuat. Ita Concilium Jerosolymitanum legem tulit

circà abstinentiam à sanguine & suffocato; Nicœnum generale primum, circà diem quo celebritas Paschalis esset habenda; Trident. circà Communionem sub utraque specie, cæremonias & ritus in administratione Sacramentorum observandos: atqui hinc Can: 13. Sess. 7. anathemate percelluntur *qui dixerint, receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in administratione solemni Sacramentorum adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à Ministris pro libito omitti posse.*

R. 2°. in iis capitibus quæ particularem aliquam disciplinam spectant, Concilii generalis Decreta, nisi acceptentur, vim & robur non habere. Ratio est, quia unicuique Ecclesiæ sua jura, usus & privilegia, immunitates & libertates servari debent, cùm non pugnant contra communem fidem aut Ecclesiæ totius commodum & utilitatem. Eâ de causâ, multa sunt disciplinæ particularis capita in Concilio Trid. quæ apud nos recepta non fuêre. Eorum indicem legere poteris apud Bochellum, Decretorum Ecclesiæ Gallicanæ, Lib. 1. pag. 916, 917. & 918.

Quæres 8°. an Concilia sint absolutè necessaria.

R. 1°. absolutè & in omni casu; etiam ubi agitur de quæstionibus valde obscuris & intricatis, necessaria non esse: quia Ecclesia dispersa non minùs quàm in Concilium coacta, fruitur privilegio inerrantiæ, ac supremo judicio rés fidei controversas definiendi autoritatem à Christo accepit: atque multò plures hæreses sine Concilio, quàm in Concilo, proscriptas fuisse observabat ætate suâ S. Augustinus.

R. 2°. necessaria interdum esse Concilia, ex quibus utilitatis plurimùm in Ecclesiam universam redundat: 1°. quia Concilium est medium ordinarium definiendis controversiis fidei accommodatum; 2°. quia licèt Apostoli seorsim potuissent definire controversias, tamen, ne videretur negligere medium ordinarium à Christo ipso demonstratum, non sine Concilio controversiam de Legalibus Antiochiæ exortam definire voluerunt: 3°. quia semper fuit in Ecclesia istâ consuetudo, ut ad res dubias explicandas Concilia Episcoporum haberentur: & ipsi etiam Romani Pontifices nullam unquam hæresim novam sine novo Concilio damnaverunt; quod autem semper & ab omnibus factum est, quis negare audebit, ordinarium dici posse, & reverâ esse? ità Bellarminus L. 1. de Conc. c. 11. Et verò *nullibi melius*, ait illustrissimus de Marca, Concordiæ Lib.

5. c. 8. n. 3. *fides universalis Ecclesiæ solet apertius explicari vel splendidius eminere, aut securiùs prædicari, quàm in compendio, universalis Ecclesiæ quæ Conciliis generalibus repræsentatur.*

Sedes Apoſtolica, ſeu Romana Eccleſia.

Neſcit nemo Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem ſic nuncupari ab Apoſtolis Petro & Paulo, qui Romanam fundaverunt ac ſanguine ſuo conſecraverunt Eccleſiam. Non inde tamen inferas duo eſſe Capita Eccleſiæ, quæ in unum confluunt. Fuit hic nonnullorum error à ſancta Sede proſcriptus. Unum ergo Caput eſt Eccleſiæ viſibile, nempe S. Petrus Apoſtolici Collegii caput ac princeps; & qui ipſi in Romana Sede ſuccedunt Pontifices Romani.

Quæres 1°. an Sedes Romana ceteris Eccleſiis dignitate ac autoritate præeminea ?

R. affirmativè. Ita conſtans ac perpetua docet Eccleſiæ Traditio.

Nova Edit. p. 175. S. Irenæus, Lib: 3. adversùs hæreſes, cap. 3. *Maxima*, inquit, *antiquiſſima, & omnibus cognita, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romana fundata & conſtituta Eccleſia. . . . . Ad hanc enim Eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio.*

Pag: 215. Tertullianus de præſcript. c. 36. . . . . *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque autoritas præſto eſt. Iſta quàm felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt!*

Pag: 14. S. Cyprianus, Ep. 55. ad Cornelium Eccleſiam Romanam ait eſſe *principalem Cathedram, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ad quam perfidia non poteſt habere acceſſum.* Jam ſuprà dixerat: *Non aliunde obortas hæreſes aut nata ſchiſmata, quàm indè, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur.* (*Pag.* 197.)

Tom: 4. *part:* 2. *p.* 29. S. Hieronymus, Epiſt. ad Damaſum; *Ego*, inquiebat, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior, ſuper illam petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. . . . Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum; quicumque tecum non colligit, ſpargit.* (*Ibid. p.* 20.)

S. Augustinus, Epist: 63. alias 162. c. 3. asserit, nihil esse quod Cæcilianus à Donatistis timere posset, quia cum Ecclesia Romana communione conjunctus erat. *Cùm se*, ait, *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ principatus.... per communicatorias litteras videret esse conjunctum.* T. 2. p. 91. n 9.

S. Petrus Chrysologus, Epist. ad Eutich. *Hortamur te, Frater honorabilis, ut iis quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas. Quia Beatus Petrus, qui in propriâ Sede vivit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Edit. Bonon. pag. 25

Concilium Constantinopolitanum IV. an. 879. *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem & observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra & vera Christianæ Religionis soliditas; promittentes etiam sequestratos à Communione Ecclesiæ Catholicæ, id est non consentientes Sedis Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.* Tom. 20. Conc. pag. 989.

S. Bernardus, Epist. 190. *Oportet*, inquit, *ad vestrum referri Apostolatum, pericula quæque & scandala emergentia in Regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei ubi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est, Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua?* Tom. 1. 643.

Petrus de Alliaco Gersonis magister, in Apol. Facultatis Paris. circa damnationem Joan. de Montesono, 1. Concl. *Ad Sedem Apostolicam pertinet, autoritate judiciali supremâ circa ea quæ sunt fidei judicialiter definire.... sed sanctæ Apostolicæ Sedis fides nunquam deficit.* Tom. 1. Oper. pag. 710. ult. Edit.

Concilium denique Trid. Sess. 7. de Baptismo, Can. 3. Romanam Ecclesiam vocat *matrem & magistram aliarum Ecclesiarum.*

Quæres 2°. an Ecclesia Romana sit indefectibilis? R. indefectibilitatem spectari, vel quoad perpetuam temporis durationem, vel quoad firmitatem in retinenda & definienda fide: utramque verò Romanæ Ecclesiæ tribuunt etiam è Scriptoribus Gallis, qui Libertatibus nostris tuendis, & oppugnandæ infallibilitati Romani Pontificis, maximè addicti sunt. Inter ceteros Simon Vigor, de infallibilitate, p. 4. Launoius parte 5. Ep. ad Jacobum Bellivaquam, & ad Anton. Varilla-

um; Elias Dupin, de antiqua Disciplina, p. 347. P. Alexander, Tom. 15. p. 340. Ill. Bossuetius Episcopus Meldensis, Oratione habitâ in Comitiis generalibus Cleri Gallicani ann. 1682. p. 17. & 18. Hi ferè omnes, non aliâ ratione solvunt argumenta, quæ ex antiquis monumentis in gratiam infallibilitatis Pontificiæ proferre solent ejus defensores, quàm ea in Ecclesiam ipsam Romanam derivando, non autem in Pontificem Romanum: unde necessum est, quod & faciunt, ut secernant Cathedram ipsam, seu Romanam Sedem, à Pontifice in ea sedente; atque istum errori obnoxium agnoscant; non ejus Ecclesiam seu Sedem Apostolicam.

Tanta vero semper fuit Ecclesiæ Romanæ autoritas, ut ejus fides ac traditio ceteris Ecclesiis velut regula proposita fuerit. Audiatur eam in rem Scriptor minimè suspectus, Quenellus ipse in Opere gallico cui titulus, *Tradition de l'Eglise Romaine*, ubi sic: *La Tradition qui doit juger* des points de la Foi, *a son Tribunal dans toutes les Eglises Catholiques.... Mais l'autorité de ce Tribunal paroît d'une maniere bien plus claire & plus éclatante, plus sûre & plus incontestable dans l'Eglise de Rome, que dans toutes les autres Eglises Apostoliques, à cause de la primauté du saint Siege que Dieu y a établie; de sa prééminence sur toutes les Eglises du monde; de la supériorité du Chef de l'Episcopat sur chacun de ceux que le saint Esprit en a revêtus pour régir son troupeau.... C'est pourquoi on a toujours préféré la tradition de cette auguste Eglise à celle de toutes les autres Eglises particulieres. ...Dès que Pelage & Celestius eurent commencé à dogmatiser contre cette Doctrine Apostolique, les Evêques d'Afrique après l'avoir condamnée dans les deux Conciles des Provinces de Carthage & de Numidie, envoyerent au successeur de saint Pierre leurs relations Synodales, afin que leur Jugement fût appuyé de l'autorité du Siege Apostolique; & que la tradition de leur Eglise particuliere étant confrontée avec celle de Rome, on reconnût si ce petit ruisseau qui couloit dans l'Afrique venoit de la même source d'où étoit émané le ruisseau si plein & si abondant de l'Eglise Romaine, comme parle saint Augustin en écrivant au Pape Innocent I.* Utrùm noster rivulus, licèt exiguus ex eodem quo etiam tuus abundans emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus. *C'est pourquoi ce saint Docteur crut; qu'après avoir trouvé la Tradition de l'Eglise u-*

Tom. 1. dans l'Avertissement.

niverselle dans celle du saint Siege Apostolique, par cet- te espece de confrontation, l'affaire étoit finie; Causa fi- nita est. *Et elle l'eût été en effet. si l'obstination des Hérétiques ne leur eût fait espérer de surprendre le Pape Zozime.* *Tradit. de l'Egl. Rom. T. 1. p. 217.*

Rursus idem Autor sic pergit: *Si c'est dans le Concile d'un pays particulier comme de l'Afrique, cette Eglise propose au saint Siege, & par lui à toutes les autres Eglises, ce qu'elle a trouvé dans sa Tradition; & aucune n'y contredisant, & témoignant au contraire par son consentement ou exprès ou tacite qu'elle a trouvé la même chose dans la sienne, on en demeure-là.* Si in his principiis constantes stare voluissent Quenellistæ, jam diù causa Reflexionum Mor. finita fuisset, & restituta inter nos concordia.

Quæres 3°. an Romanus Pontifex primatum habeat honoris & jurisdictionis supra ceteros Episcopos? R. affirmativè. Est enim successor S. Petri, qui fuit Collegii Apostolici caput ac princeps; cui dictum à Christo, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Benè S. Cyprianus, Lib. de unitate Ecclesiæ; *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.* Et S. Hieronymus, Lib. adversùs Jovinianum: *Inter duodecim*, inquit, *unus eligitur, ut Capite constituto schismatis tollatur occasio.* *Pag. 180.* *T. 4. part. 2. p. 268.*

Concilium Constantiense damnat istum Wiclefi articulum, n. 41. *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias. Error est*, ait, Conc. *si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam aut Concilium generale; aut pro quanto negaret primatum summi Pontificis supra alias Ecclesias particulares.* *T. 12. Conc. p. 265.*

Istud fidei caput, adversùs Reformatores nostros, unanimi consensu strenuè vindicant Orthodoxi omnes, etiam ii qui in Gallia præsertim, S. Pontificem in decretis fidei & morum errare posse contendunt, nec irreformabile esse ipsius Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

Gallicani Episcopi an. 1681. in Conventu Parisiensi congregati declarant S. Pontificem *esse Caput Ecclesiæ.. centrum unitatis, obtinere primatum autoritatis & jurisdictionis ipsi à Christo in persona S. Petri collatum; & eum qui ab hac veritate dissentiret, schismaticum imò & hæreticum fore.*

Iidem in declaratione de Ecclesiastica potestate, an. 1682 editâ, in ipsamet Propositione 4. ubi declarant *irreformabile non esse S. Pontificis Judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit;* adiiciunt, *in fidei quæstionibus, præcipuas esse ipsius partes, ejusque Decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere.*

Sacra enim Facultas Parisiensis, in celebri suâ contra Lutherum Censurâ, anno 1542. art. 23. doctrinali suo judicio ità pronuntiat: *Certum est unum esse jure divino summum in Ecclesia Christi militante Pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur;* & in censura contra Spalatensem ann. 1619. Propositionem quâ ille asseruerat, *Romanam Ecclesiam jure divino autoritatem in alias Ecclesias non habere, declarat hæreticam esse ac schismaticam.*

Ecclesiasticis judiciis consonant Judicia regia. Prodiit in lucem anno 1723. Opus posthumum cui gallicè titulus: *Neuvieme discours de M. l'Abbé Fleuri sur les libertés de l'Eglise Gallicane;* ubi Autor, p. 24. hæreticam appellat sententiam, quæ asserit R. Pontificem ex humana duntaxat institutione primatum obtinere. Displicuit æquissima illa censura cuidam Anonymo, qui dictum Opus publici juris fecit notis omnino hæreticis deformatum. Audaciam ac temeritatem non tulit pro suâ pietate & in Religionem studio Rex Christianissimus, ac decreto supremi Consistorii, die 9. Sept. anni 1723. dictum cum notis suppressit ac prohibuit, jussitque in autorem vel editorem libelli diligentiùs inquiri.

An R. Pontifex in fidei & morum decretis errare possit, quæstio est alibi tractanda.

Sancti Patres.

Com- men. c. 3. Sextus Locus est autoritas SS. Patrum, qui avitæ fidei testes, puram ad nos transmisêre doctrinam. Hinc quoties novi exorti sunt Hæretici ad eos confutandos Episcopi suorum Prædecessorum suffragia opponebant: *in ipsâ enim Catholicâ Ecclesiâ,* inquit Vincentius Lirinensis, *magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus,* vel ut infrà ait, *penè* ab omnibus *creditum est*: constat enim nonnullos ex SS. Patribus in aliquos errores pro humana fragilitate interdum lapsos esse. Quanquam ergo omnibus & singulis summa debeatur reverentia, non ideo tamen promiscuè tenenda quæcumque sunt ab aliquibus contra communem ceterorum sententiam

tradita; unde S. August. Epist. 82. aliàs 19. ad S. Hieronymum, cap. 1. *Alios*, inquit, *ità lego: ut quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ità senserunt; sed quia nihil vel per illos autores canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.*

Septimus Locus, est autoritas Theologorum Scholæ, quibus adjungi debent juris Pontificii periti: Et vero, ex quo desiit SS. Patrum series, nullibi meliùs Traditio Ecclesiæ conservatur quàm in Decretis SS. Pontificum, in Ritualibus & Mandatis Episcoporum, & Scholasticorum lucubrationibus.

Octavus, est ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissimè patet, quæque in rebus Theologicis, semper fidei subjicienda est.

Nonus, est autoritas Philosophorum qui naturam ducem sequuntur: in quibus sine dubio sunt Cæsarei Jurisconsulti, qui veram & ipsi, ut Jurisconsultus ait, Philosophiam profitentur.

Decimus, est autoritas humanæ Historiæ, sive per autores fide dignos scriptæ, sive de gente in gentem traditæ; non superstitiosé atque aniliter, sed gravi constantique ratione.





TRACTATUS
DE DEO
AC DIVINIS ATTRIBUTIS,

Octo absolvemus quæstionibus præsentem Tractatum: I. erit de Dei existentiâ. II. de Attributis generatim. III. de Attributis sigillatim. IV. de Dei visione. V. de intellectu divino. VI. de Dei voluntate. VII. de providentia in ordine naturali. VIII. de providentia in ordine supernaturali, hoc est de prædestinatione & reprobatione.

QUÆSTIO PRIMA.
De Existentia Dei.

Tres erunt præsentis quæstionis articuli: primus de idea Dei; secundus an & quomodo possit demonstrari existentia Dei, tertius de Atheismo.

ARTICULUS PRIMUS.
De Idea Dei.

Idea duplex; alia formalis, quæ perceptio est & intuitus objecti; alia objectiva, quæ est illud objectum quod à mente percipitur, eique affulget. Porro idea rei cujuspiam vel ab ortu nobis indita est à Deo & tunc vocatur *innata*; vel in nos occasione objectorum immittitur, & dicitur *adventitia*; vel à mente ex variis ideis, seu divisis, seu coadunatis efformatur, & tunc dicitur *fictitia*. Jam quæritur an primi sit generis idea Dei, quam animo gerimus omnes, an secundi: quod idem est ac quærere utrùm animæ insit quædam Dei cognitio ab ipso naturæ autore indita, quæ nec è sensibus hausta sit, nec comparetur per discursum: an verò cognitio hæc haberi quidem facilè possit, sed tamen non habeatur nisi ope discursûs, quem sibi mens vel ex mundi contemplatione, vel ex sui ipsius consideratione efformet, quâ de re disputant Catholici, non mo-

do cum Socinianis & Arminianis, ut odiosè scribit Witassius, sed & inter se. Sit itaque

Conclusio. Non datur innata Dei idea.

Prob. Vel idea hæc innata sumitur objectivè pro ipsomet Deo, ut fere Carthesiani volunt; vel formaliter pro perceptione mentis Deum apprehendentis, ut aliis placet: atqui neutro sensu innata Dei idea admitti potest. Non priori, idea enim solùm objectivè sumpta, non importaret modificationem mentis; alioqui enim jam esset idea formalis, non objectiva: atqui implicat esse in nobis Dei ideam, quæ non sit modificatio mentis. Siquidem de ratione ideæ est, ut mentem faciat vitaliter cognoscentem: porro implicat mentem sine intima sui modificatione fieri vitaliter cognoscentem. Ecquid est vitalis Dei cognitio, nisi affectio animæ Deum cognoscentis? ergo.

Non posteriori sensu. Si quæ enim sit formalis notio Dei menti primitùs indita, hæc vel animæ infusa est per modum actûs, vel per modum habitûs. Non per modum actûs, tum quia actus non infunduntur, sed eliciuntur à facultatibus suis; tum quia actus, aut etiam actualis passio quæ jugiter inesset menti, à mente jugiter sentiretur, aut saltem quoties mens aliis objectis graviter non distraheretur: Dei autem ideam nemo est, juvenum præsertim, qui toties videantur experiri: imò non aliam, saltem per multum tempus, Dei notionem sibi quisquis efformat, quàm quæ sibi á parentibns offertur: unde ideam hanc actualem non esse fateri coguntur eorum plures, qui eam innatam volunt. Superest ergo ut habitualis sit: atqui nec istam admitti facile est: 1°. quia idea habitualis mera est ideæ recipiendæ facilitas; 2°. quia idea formalis est objecti repræsentatio: porro lumen naturale, à quo distingui nequit idea habitualis, non est repræsentatio, sed ipsemet intellectus qui alia facile, alia difficiliùs percipit; 3°. quis in infantibus ideam Dei priorem esse dicat ideâ, vel potiùs sensatione dulcis & amari; 4°. veri admodum simile est quod ait Philosophus Anglus, ne congenitam quidem esse menti notionem hujus propositionis: *Totum est majus suâ parte;* ad id enim necesse foret, ut etiam innata esset notio simplicium terminorum, ex quibus constat eadem propositio; totius scilicet & partis, adeoque extensionis & numeri: totum enim & pars meræ sunt extensionis & numeri relationes: atqui ideas extensionis & numeri omnibus innatas esse facile non credet, qui & conscien-

Locke, L. 1. c. 3. p. 66.

tiam consulet, & tot de primâ numeri naturâ disputationes Philosophorum perspectas habebit; ergo.

Obj. 1°. Scriptura innatam Dei notionem multis in locis adstruit, &, quod notandum, ne in uno quidem impugnat. Eliu apud Job. c. 36. *Omnes homines vident eum.* Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine.* Rom. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt.* Porrò non potest sensu intimo lex percipi, quin statim intelligatur Legislator; ergo.

Concinunt SS. Patres quorum instar esse possit S. Gregorius Nyss. orat. 5. de beatitud. ubi: *Opinio de numine divino naturaliter insita est omnibus hominibus.*

R. neg. ant. aliud enim est Deum ab omnibus facile cognosci, aliud eum cognosci per ideam primitùs ingenitam, quæque an actus sit an habitus explicari non potest. Primum dicunt & verè dicunt Scriptura & Patres: secundum, quod mera est Philosophiæ subtilitas, ne attingunt quidem: quin excludunt, cùm tacitam supponunt ratiocinationem. Sic Eliu, cujus alíunde non est tanta autoritas, cognitionem Dei probat ex ejusdem Dei operibus, puta quia *effundit imbres ad instar gurgitum*; Psaltes ex Dei munificentiâ: *Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos, &c.* idem est de Apostolo, qui & *invisibilia Dei per ea quæ facta sunt* intelligi docet, & in ipso qui objicitur textu supponit ex notitia legis ad Legislatoris notitiam deveniri, ac proinde non sine aliquo, facili quidem, sed vero discursu.

Obj. 2°. Illius habemus ideam de cujus naturâ & proprietatibus ratiocinamur: atqui de Dei naturâ & proprietatibus ratiocinamur: ergo, &c.

R. Conc. totum. Non inficiamur esse nobis ideam Dei, rudem scilicet & imperfectam, negamus tantùm hanc innatam esse, seu haberi independenter à quocumque discursu.

Inst. Idea Dei est idea infiniti: atqui mens à creaturis discurrendo ideam infiniti sibi efformare non potest: ex finito enim nil nisi finitum exurgere potest; ergo.

R. ad 1. neg. min, Videt enim animus stupendam mundi fabricam, infinitamque, quâ hæc conservatur & regitur sapientiam: inde ad primi Principii cognitionem deducitur, & illicò quasi invita exclamat cum Psalte: *Date magnificentiam Deo nostro: Dei perfecta sunt opera.* Quid hic absoni? quid unde moveatur bilis Carthesiana?

Ad 2. neg. conseq. quæ in misera æquivocatione ludit. Non dico infinitum coalescere ex finito, sed infinitum colligi & deduci ex finito. Id autem diu ante dixit Spiritus Sanctus Sap. 13. his verbis: *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri:* & supra de his acerbe conqueritur, non qui innatam sibi Dei ideam suffocaverint, sed qui *ex operibus non agnoverunt quis esset artifex.*

Obj. 3°. Non cognoscimus finitum nisi per infinitum; neque enim negatio concipitur nisi per ideam rei cujus est negatio; ergo nobis inest infiniti idea.

R. 1°. neg. ant. Neque enim, ut cognoscamus hexapedam, v. g. esse finitam, recurrendum est ad infinitam extensionem; ad hoc quippe sufficit notio vel unius lineæ ultra sex pedes: non est ergo finitum in præcisa sui ratione negatio infiniti, sed est negatio ulterioris gradûs in perfectione.

R. 2°. Concesso toto, quid tum? Ergo inest nobis aliqua infiniti idea: fateor. Ergo idea hæc ingenita est, nec ullatenus pendet à discursu: nego.

Quæres an propositio ista, *Existit Deus*, sit nota per se.

Not. 1°. Notum per se generaliter dicitur id omne quod non indiget alio ut cognoscatur; unde notum per se, idem est ac evidens ex terminis; quod enim non indiget alio notificante, immediate & ex ipsis terminis evidens est. Id porrò ex terminis evidens esse dicitur, quod sine discursu quocumque admittitur, statim ut penetratur terminorum vis & significatio.

Not. 2°. Propositio bifariam per se nota dicitur, nimirùm per se quoad se, & per se quoad nos.

Propositio per se quoad se nota est, quando prædicatum in idea subjecti includitur, nec demonstrari potest per aliud re priùs, seu, ut aiunt per medium rei: medium verò rei, est causa cur res ità sit; atque hinc patet tunc solùm rigorose loquendo, propositionem per se notam esse, cùm prædicatum ejus immediate subjecto convenit; si enim mediante aliquo conveniret, jam propositio non esset nota per se, sed per aliud, id nempe quo mediante prædicatum conveniret subjecto. Unde si stricte loqui velis, propositiones istæ: *Deus est æternus, omnipotens*, aliæque id genus in quibus proprietates de subjecto prædicantur, non sunt per se notæ: hæc enim attributa cognoscuntur & demonstrantur mediante essentiâ quæ prior est proprietatibus, & earum causa virtualis, cùm ab ea fluere concipiantur.

Propositio per se nota quoad nos & simpliciter, ea est, in qua prædicatum ità est de ratione subjecti, ut de ejus ratione esse statim & citra discursum intelligatur; quapropter hæc propositio nec medio rei, nec medio cognitionis indiget: his positis.

R. 1°. Existentia Dei est per se nota quoad se. Ratio est quia existentia est ità Deo essentialis, ut demonstrari non possit per aliquid prius; non per prius extrinsecum, cùm nulla sit Dei causa realis; non per prius intrinsecum, cùm nulla sit in Deo perfectio à qua etiam virtualiter fluere possit existentia Dei: alioqui ante Deus existeret, quàm existeret. Si quidem perfectio illa priùs existere deberet, quàm ab ea dimanaret existentia: ubi autem aliqua Dei perfectio existit, Deum existere necessum est, cùm una sit Dei omniumque ejus perfectionum existentia.

R, 2°. Existentia Dei non est per se nota quoad nos. Ratio est quia indiget medio cognitionis & discursu aliquo: quod autem medio & discursu indiget, nec est nec esse potest notum quoad nos.

ARTICULUS SECUNDUS.

An possit demonstrari Dei Existentia.

Demonstratio, quæ Syllogismus est constans tribus propositionibus evidenter veris, vel est à *priori*, quando effectus per suam probatur causam; vel à *posteriori*, dum causa ostenditur per effectum; vel à *simultaneo*, cùm demonstratur res per aliquod sui attributum, hoc est, per aliquid cum ipsa intrinsecè connexum, quod neque causa sit nec illius effectus. Sit

Conclusio I. Existentia Dei non demonstratur à priori.

Prob. Demonstratio à priori, est demonstratio effectûs per causam: atqui Deus nullam habet causam; ergo.

Conclusio II. Existentia Dei demonstratur à posteriori; nimirum per creaturas.

Prob. 2°. autoritate tam Scripturæ & Patrum, quàm vel ipsorummet Philosophorum Gentilium; hic omnia quippe conspirant. Apostolus Rom. 1. dicit invisibilia Dei, sempiternamque ejus virtutem ac divinitatem per ea quæ facta sunt ità conspici, ut verum negantes Deum sint prorsus inexcusabiles. Percelebres Religionis Christianæ contra Gentiles Apologistæ, toti sunt ut ex creaturis ostendant veram divinitatem; quin & Tul-

lius l. 1. de natura Deorum, asserit, vel ex solo coelestium intuitu constare nobis aliquam esse mentem præstantissimam, quæ mundum regat & gubernet; ergo verè demonstrari potest ex creaturis Dei existentia.

2°. Existentia causæ validè demonstratur per illos effectus, qui tam necessariò ab illa dependent, ut sine ipsâ non possint existere: atqui creaturæ ità dependent à Deo, ut sine illo non possint existere; ergo.

Obj. 1°. Dei existentia est Fidei articulus: sed articulus Fidei non potest demonstrari, cùm Fides sit *non apparentium*; ergo.

R. 1°. neg. maj. Ut enim ait S. Thomas, existentia Dei præambulum est ad Fidem, non Fidei articulus; 2°. nego min. Scientia quippe & Fides possunt stare simul; & licèt objectum sit obscurum quâ parte subjacet Fidei, ex illa tamen parte, quâ ratione attingitur, potest evidentiæ claritate illustrari.

Obj. 2°. Medium demonstrationis debet esse necessarium: atqui creaturæ sunt contingentes, non necessariæ; ergo.

R. dist. maj. Debet esse necessarium necessitate connexionis, id est necessariò connexum cum re demonstranda, C. alioqui enim nulla esse posset illatio ex uno ad aliud: debet esse necessarium necessitate existentiæ, hoc est, debet necessariò existere, N. maj.

Obj. 3°. Creaturæ spectantur vel materialiter & quatenus præcisè sunt entia, vel formaliter, hoc est quatenus sunt creata: atqui neutro modo probant Dei existentiam: non 1. tunc enim nullum ducunt ordinem ad Deum; non 2. sunt quippe tunc correlata respectu Dei & creatoris quem supponunt & non probant; correlata enim sunt simul naturâ & cognitione.

R. nego min. Creaturæ probant existentiam Dei, non præcisè ut entia, non etiam præcisè ut creata, sed transeundo à creaturis materialiter sumptis ad creaturas formaliter sumptas. Sic enim procedit argumentum. Dantur entia; atqui hæc entia sunt creata; ergo datur creator. Majorem concedunt adversarii; minor validissimis argumentis probatur; sicque conclusio demonstrata manet.

Porrò è variis quæ proponuntur existentiæ divinæ demonstrationibus, faciliores quasdam seligimus.

I. Debet admitti aliquod Ens de cujus essentiâ sit existentia: atqui illud ens est Deus. Major & minor seorsim veniunt probandæ.

Prob. itaque major. Vel admitti debet ens cui essen-

tiale ſit exiſtere, vel omnibus & ſingulis entibus eſſentialis eſt contingentia: atqui id dici non poteſt. Si enim omnia entia ſunt eſſentialiter contingentia, poſſunt exiſtere vel non exiſtere; ſed iſtud repugnat. Nam ſi poſſunt exiſtere vel non exiſtere, poſſunt ſupponi non exiſtere: atqui talis ſuppoſitio non poteſt admitti; ſiquidem tunc forent ſimul poſſibilia & impoſſibilia ab extrinſeco. Poſſibilia ex hypotheſi, & quia jam extitiſſent; impoſſibilia vero, quia nulla eſſet cauſa à qua produci poſſent; ergo. Jam

Prob. 1. minor, nempè ens de cujus eſſentia ſit exiſtentia, eſſe Deum: vel enim ens illud Deus eſt, vel materia, vel intelligentia limitata qualem in nobis ſentimus: atqui 1°. non eſt materia; ens enim cui conveniunt quæ materiæ repugnant, non eſt materia: atqui enti neceſſariò . . . Enti enim neceſſariò convenit eſſe principium motûs, quem in natura intuemur, ac proinde motus ordinatiſſimi; idque conſitentur Athei illi, quibus materia prima ſola eſt neceſſaria & æterna: atqui materiæ non convenit eſſe principium motûs, multoque minùs principium motûs ordinatiſſimi, prout infrà contra Epicurum demonſtrabimus; 2°. nec eſt intelligentia limitata: hæc enim ſi nè ventum quidem aut pluviam ciere vel ſiſtere poteſt, multò minùs poterit id facere totum, quod oculis noſtris offert natura: ergo.

II. Exiſtit in homine unio animæ cum corpore: atqui hæc unio exigit Deum; ergo.

Major ſupponit quod infrà probabitur, animam ſubſtantiam eſſe ſpiritalem à corpore diſtinctam; ſola ergo occurrit probanda minor.

Unio hæc non eſt ſpontanea & libera, cùm penes hominem non ſit eam ſolò nutu diſſolvere: non eſt eſſentialis, cùm neutra ſubſtantia unionem hanc eſſentialiter exigere concipiatur; quin adeò percipiuntur diſparatæ & independenter ſubſtantiæ, ut mutuum illarum commercium nequeamus aſſequi: eſt tamen mirabilis hæc unio, ità præſens & conſtans, ut occaſione motuum in corpore adſint in anima ſenſationes, datisque in mente cogitationibus ſtatim exurgant motus in corpore; licet corpus in ſpiritum impingere nequeat, licet & mentem lateat quomodo varia debeant moveri corporis organa, nervi ſcilicet, membra, ſpiritusque animales: atqui unio adeò mira, nec á natura rerum, nec à voluntate libera animæ conjunctæ profluens, non poteſt tribui niſi cauſæ supremæ, quæ utriusque

substantiæ sortes versare valeat; quæ suæ omnipotentiæ efficacia adstringat arctiùs unam alteri substantiam; quæ summâ intelligentiâ prævideat sensationes varias variosque motus; quæ sapientiâ infinitâ sic facultates unius, alteriusque membra itâ disponat, ut mutuum, intimum constansque inter utramque substantiam adsit commercium. Porro quis non videt talem substantiam Deum esse? ergo existit Deus.

III. Duas inter opiniones ubi instat necessitas eligendi, si veritas lateat in obscuro, hominis prudentis est illam seligere sententiam quæ tutior est: atqui inter utramque de existentia Dei sententiam urget eligendi necessitas: velint & nolint Athei, ad summum latet in obscuro veritas, & doctrinæ affirmantis major est securitas; ergo cujuslibet prudentis est eam amplecti.

Major evidens est: si enim in temporaneis pessimè sibi consulat, qui veræ viæ incertus, partem amplectitur magis periculosam; à fortiori summe imprudens erit, qui hanc amplectetur, in præsenti casu, ubi, si unquam, valet tritum istud: *In dubiis pars tutior est eligenda.*

Prob: min. 1°. Cùm agitur de Dei existentiâ; urget eligendi necessitas. Hæc quippe quæstio de praxi est; si enim Deus sit, hunc confiteri tenemur verbo & actione: ergo qui in hac quæstione suspensus hæret, vel ex hac suspensione negat oris confessionem & actionis, sicque partem sectatur negantem.

2°. ad summum latet in obscuro veritas: multùm enim concedimus Atheis, dum ipsorum sententiam nostræ æqualem supponimus: si quidem sua systemata gratis fingunt, in varias abire tenentur absurditates, ut constabit ex dicendis, argumenta nostra nec impugnant directe, nec solvunt; ergo multùm concedimus ipsis, dùm dicimus veritatem in præsenti quæstione utrinque latere in obscuro.

3°. tutior est sententia pro existentia Dei militans: nihil quippe illius defensori timendum si falsa sit, multùm verò sperandum si vera, & si vitam ducat tali sententiæ conformem. Si enim falsa sit, post mortem nemo erit qui eum irrideat, nemo qui pœnas requirat pro errore quem fuerat amplexus: si autem vera sit, aderit æquissimus remunerator qui fideli servo justitiæ coronam decernat.

Contra vero nihil sperandum Atheo de veritate suæ opinionis, atque de illius falsitate cuncta timenda sunt.

Etenim vera ſupponatur, quid, quæſo, exinde lucri habebit? nihil in altera vita quæ jam futura non eſt: in præſenti autem vita ſuſpirat bona, aſſecutione incerta, quantis enim fruſtratur? poſſeſſione incertiora, nam quot invitis rapiuntur? certó amittenda, evaneſcunt quippe cum flatu: citò fluentia, etenim vita hominis vapor eſt ad modicum parens. His adjunge frequentes & invitas quæ recurrunt ſuſpitiones de exiſtentia Dei teſtis ſcelerum & vindicis. En ſummam Athei felicitatem, ſi vera ſit illius ſententia.

Si autem hæc opinio falſa inveniatur, jam amittit bona, quæ certo habebuntur, quia fidelis Deus eſt: quæ æternum manebunt, quia in æternum promiſſa ſunt: dabit inſuper Atheus pœnas certo continuas, aſperas, ſine ſolatio, æternùmque manſuras; ergo prorſus imprudens eſt, qui ad electionem coactus tantas inter anguſtias partem exiſtentiam Dei negantem amplectitur.

Obj. Certum pro incerto relinquere imprudentis eſt: atqui voluptates vitæ præſentis certæ ſunt; incertum autem eſt ex hypotheſi, num exiſtat Deus qui proſcribat has voluptates. R. neg. min. quia non eſt certa voluptas quæ ſine tremore, horrore, ac ineluctabili remorſu guſtari non poteſt: atqui ubi dubium eſt an exiſtat Deus ſcelerum teſtis, & olim vindex, voluptas nulla guſtari poteſt ſine tremore, &c. quanto igitur minor erit voluptatis ſenſus, ſi incertum longe ſuperet certum ut in præſenti caſu?

IV. Unanimis eſt populorum ſententia aliquem exiſtere Deum, ſeu, aliquod eſſe ens, à quo dependeat natura: atqui ſententia hæc non poteſt eſſe niſi à puro rationis lumine, quo veritatem ab errore ſecernimus; ergo.

Major conſtat ex hiſtoriis cujuslibet populi: nulla quippe natio eſt, rudis licet & barbara, quæ aliquem non colat Deum: nulla gens quæ velut primarium ſuæ societatis fundamentum ens aliquod ſuperius non ſtabiliat: quin nullus invenietur homo quantumvis ferus, qui entis hujus auxilium non advocet in adverſis, atque favorem deprecetur in cœptis; ergo viget in omnium animis opinio de Dei exiſtentiâ.

Minor probatur: vel enim hæc ſententia eſt à recta ratione, vel merum eſt præjudicium leviter à mente ſuſceptum: atqui hoc ſecundum dici nequit. Nam præjudiciorum fontes alii ſunt externi, interni alii: ſed neutri generalem exiſtentiæ Dei opinionem invehere po-

tuerunt. Non externæ præjudiciorum cauſæ, eæ enim ſunt prava educatio, perverſa exempla, ſubtiliaque quibus deludimur ſophiſmata; atqui ex his tribus non oritur ſententia de exiſtentia Dei. Etenim hæc tria quibusdam ſemper alligantur temporum, locorum, perſonarum circumſtantiis: deluduntur ſophiſmatibus nonnulli, ſed non omnes: exemplorum vis aliquos movet, ſed non diu, non ſemper, non univerſos, & multò minùs ſapientes. Educationis verò principia varia ſunt pro vario nationum genio, vel etiam pro variis ejusdem populi temporibus; ergo ſententia univerſalis & conſtans non potuit ortum habere à cauſis præjudiciorum externis. Sed nec etiam profluit à cauſis internis: illæ enim vel ſunt ſenſus ſæpè fallaces, vel imaginatio deludens, vel cupiditates abripientes: ſed hæ tres cauſæ non ſolùm non ſuggerunt menti Dei exiſtentiam, quin potius adverſanti ſententiæ prorſus favent: Deum quippe nec percipiunt ſenſus, nec imaginatur phantaſia, nec ſuſpirat libido; ergo doctrina de exiſtentia Dei inter præjudicia haberi non debet. Reſtat igitur ut admittatur à recta ratione tanquam veritas omnium temporum, locorum & nationum.

Obj. 1°. Si Hiſtoricis fides habeatur, fuêre & hodieque ſunt nationes quæ nullum colant Deum.

R. Hæc de Barbaris narravêre quidam, qui eorum mores penitiùs non fuerant ſcrutati: ſi quondam patribus noſtris narratum fuit de Americanis, Iroquæis, Huronibus, &c. ſed qui poſtea illorum opiniones ſedulò inquiſiêre, omnes uno docent ore, illas nationes agnoſcere aliquod ens ſuperius, cui munera offerunt & ſacrificia, & quem ſupplices in neceſſitatibus adeunt.

Obj. 2°. Extitêre quondam errores univerſo populorum conſenſu firmati, ut ſententia negans Antipodas, &c. quidni ergo errores inter recenſeatur ſententia de exiſtentia Dei.

R. diſt. ant. Extitêre errores univerſales in rebus quarum veritas aut falſitas nihil ad propriam nationum utilitatem conferebat, eſto: quis enim ſciat an ii errores viguerint ubique? In rebus de quarum falſitate aut veritate maximè populorum interſit, N. Haud mirum certe quòd quæ meræ ſunt curioſitatis parùm ſollicitè inveſtigentur: ſed ubi agitur de doctrina quæ ſpecialiùs ad hominem ſpectat, & à cujus veritate aut falſitate pendet æterna ſors ipſius; abſurdum eſt aſſe-

fere integrum humanum genus posse errorem amplecti, præsertim cùm nullus fons occurrit tanti erroris; cùm econtra & sensus & imaginatio & occulte potens cupiditas animos in contrariam partem flectere conantur.

Obj. 3o. Non magis ex unanimi populorum consensu probari potest vere Deum existere quàm plures existere deos & admittendam esse idololatriam: atqui secundum absurdum est; ergo & primum: ita Baylius.

R. neg. maj. Disparitatis ratio est, 1°. quòd Polytheismus non viguit ab initio, ut solide demonstrat elegans Naturæ Spectator; 2°. quod non ubique viguit, cùm ab eo immunis fuerit tota Judæorum natio, & extra Judæos multi, ut Job Idumæus; 3°. quod falsitatem ejus deprehenderint oculatiores quique inter Ethnicos.

ARTICULUS TERTIUS.

De Atheismo.

Agemus 1°. de Atheismo generatim; 2°. de variis Atheorum systematibus.

§. I. *De Atheismo generatim spectato.*

Quæres 1°. quid, quotuplex & an sit Atheismus? R. Atheismus definiri potest *non cognitio existentiæ Dei.* Triplex autem distinguitur: actione, quo quis ita se gerit quasi nullum agnosceret ac reformidaret Deum: corde, quo quis cupiditatibus serviens, exoptat nullum existere Deum, imò & conatur sibi persuadere: mente tandem, quo quis rationibus & momentis ductus assentitur ex animo huic propositioni, *Non existit Deus.*

Constat esse Atheos tum actione qui nimirum ità vitiis, præsertim carnalibus, dediti sint, ut per longum tempus nequidem de Deo cogitent; tum corde, qui ut faciliùs cupiditatibus indulgeant, exoptent nullum esse Deum; hos nempe designat id Psaltæ, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*

Quod pertinet ad Atheos mente seu speculativos: 1°. certum est neminem posse esse invincibiliter talem; tot enim tamque evidentibus prodit se momentis supremum Numen, ut quò detegatur, oculos corporis ac paululum rationis aperire sufficiat. Faxit homo quod volet, *Cœli enarrant gloriam Dei.*

An autem dentur Athei intus & ex animo, quales fuisse perhibentur Diagoras, & non ità pridem Vanini, apud Tholosas igne crematus, quæstio est quæ facilè definiri nequit, tum quia latet res in intimo cujusque sensu, qui ab aliis penetrari non potest; tum quia pendet à Judicio Dei, qui corruptum hominem plus minusve tradit in reprobum sensum. Ut ut est, si qui forte sint *ex animo* Athei, constat nullos esse qui tales sint *bonâ fidè.* Ad bonam enim fidem necesse est, ut adhibita sit ea omnis diligentia, quæ prudenter adhiberi debet ad veritatem detegendam: porro cùm de Dei existentiâ agitur, cujus tot singulis ferme instantibus occurrunt invictæ probationes, impossibile est adhibitam fuisse moralem diligentiam, quæ ab homine prudente adhiberi debet, nihiloque seciùs veritatem menti ignotam esse; ergo dari non potest homo *bonâ fidè* Atheus, etsi supponatur homo per breve tempus Atheus *ex animo.*

Quæres 2°. qui sint Atheismi fontes?

R. Atheorum tum actione tum corde, fundamentum unicum est, cupiditas vitiorum omnium radix: Atheorum vero mente, si qui sint, fundamentum est tum eadem cupiditas, tum male feriata mens, quæ amore novitatis & paradoxorum illata, tota convertitur ad difficultates, quibus error suus foveri possit, momenta vero quibus idem abigatur, vix unquam serio ponderat.

Quæres 3°. an perniciosa sit Atheismi opinio. R. esse, 1°. societati, cujus sacratas magis leges evertit; 2°. principibus, quia sublato Deo tollitur primus & potior fidelitatis subditorum sponsor, supremusque rebellionis etsi triumphantis judex; 3°. privatis quibuslibet, tum quia deerit tunc vitiorum & cupiditatis frenum majus; tum quia virtutis in obscuro latentis deerit remunerator & solamen. Et vero Gentilium Polytheismus plenus erat impietatis & ridiculi; ut late demonstrat S. August. in Lib. de Civitate Dei: atqui tamen quidquid obganniat Baylius, longe pejor est Atheismus Politheismo. Is enim societatis leges servat immotas, nullum crimen impunitum dimittit, vindicem legis naturalis æquissimum ostendit; ergo.

§. II. *Varia Atheorum systemata.*

Tria vulgo recensentur, Immaterialistarum, Epicureorum, & Spinosæ.

Immaterialistæ. Immaterialistarum parens dicitur Anglus quidam nomine Berkeius: is tria docet, 1°. nihil homini constare nisi ex sensu intimo; 2°. nihil ex sensu intimo constare nisi proprii spiritûs existentiam; 3°. spiritum hunc æternum esse, ab alio quovis independentem, expertem libertatis, &c.

Refellitur delirum systema: 1°. quia negat Berkeius id quod ne insipiens quidem in dubium vocare ausit. Dubitat nempe an habeat corpus, an natus sit ex matre, an creverit, an si, ut Vanini, damnetur igne, trahatur ad rogum, an in eum conjiciatur, an flammæ ardorem sentiat: atqui hæc totidem sunt deliria.

2°. vult Berkeius sibi de sua independentia æternitate constare ex sensu intimo: atqui in utroque mentitur diabolice. Cur enim ea tantùm meminit quæ ante aliquot annos didicit? cur dolorem, anxietatem, desideria patitur invitus? apage virum fatuorum casis digniorem quám confutatione

Dices: non sumus certi existere corpora, nec eorum probare existentiam conantur Philosophi, nisi supposità Dei existentiâ: ergo potuit *Berkeius* omne corpus rejicere.

R. neg, ant, Etenim quas experimur sensationes, illæ vel oriuntur à corporibus, & tunc existit materia; vel eas imprimit nobis ens aliquod spiritale & præponens, cujus proinde natura debet esse optima, rectaque voluntas, uno verbo Deus erit qui nos deludere non potest; sicque & Deus & corpora agnosci debent: vel ortum dicunt illæ sensationes ab anima ipsa; sed istud repugnat: non enim eas sponte suscipit mens, cùm multoties eas experiatur invita; non eæ quoque necessario e natura animæ pullulant; neque anima si existens à se intelligatur, dici potest dolori, illusioni nata & infelicitati.

Epicurei. Epicureus Deos agnovit, sed qui turpi languentes otio nec orbis efformationi præfuerint, nec illius conservationi invigilent, nec entium ex quibus componitur, provideant necessitatibus. Ut autem sine inanium deorum opera mundum efformet Epicurus, supponit atomos, id est minutas materiæ partes, quæ in immenso vacuo pro innata sibi gravitate deorsum ferebantur, sibi invicem in via fortuitò occurrisse, sibique adhærentes ob diversitatem figurarum, varia ex quibus resultat orbis, efformasse corpora.

Refellitur vesanum & impium systema: 1°. quia fortuitus atomorum concursus nec finem intendere

ullum potest, nec in ullum finem per media intelligentiæ, consilii & sapientiæ plena tendere: atqui tamen est in orbis fabricâ aliquid, quod & in finem tendat, & in eum tendat per media, &c.

Prob. min. 1°. ex Astrorum formâ, dispositione & motu regulari ac constanti: unde hæc enim, nisi ex sagaci & omnipotente manu, quæ ingentia hæc corpora efformet eleganter, in legitima à nobis collocet distantiâ, ad immissionem aut reflexionem benevolæ lucis cautè disponat, assiduo rapiat cursu & exagitet ad dierum noctiumque vicissitudinem, & ad varias anni tempestates.

2°, ex Terra quæ ex fœcundo jugiter sinu emittit plantas, arbores, suavesque fructus? semina colligit & abscondit, fovet aliquantulum ut germinent, germini sinum aperit, ut caloris & pluviæ adminiculo crescat atque fructificet; ut exinde nutriantur animalia.

3°. ex organisatis corporibus, in quibus omnes partes invicem subordinatæ, ab invicem dependentes, singulæ finibus determinatæ propriis, nec una ulteriùs functiones obire potest, nec una sine altera quod proprii muneris est exequi valet. Videatur homo, quàm aptè in illo dispositi sensus! quàm accuratè disposita membra! per nervos fluunt animales spiritus, sanguis per venas, pedes recti, oculi in capite velut in specula, os venustum, &c.

Refellitur 2°. Datur substantia cogitans: Cogito enim qui hæc scribo; cogitant & qui legunt: atqui cogitatio nec à materia esse potest, nec eidem competere; ergo datur alia à materia & corpore substantia; ac proinde funditùs ruit Atheorum systema & agnoscendus est Deus; minor in quâ solâ est difficultas, probatur:

1°. Si materia esset cogitationis capax, vel ex natura sua, vel ex vi quarumdam proprietatum: neutrum dici potest; non 1. tunc enim materia omnis, omnis materiæ pars cogitaret, & quidem essentialiter, quod plane absurdum est; non 2, siquidem materiæ proprietates, vel ei competunt absolute, ut figura & divisibilitas, vel relative ad locum, ut motus & quies: atqui neutræ cogitationis principium esse possunt. Non primæ: quâcumque enim positâ extensione, divisibilitate aut figurâ sive rotundâ sive triangulari, nondum adhuc concipitur cogitatio. Non secundæ: cogitatio enim quandam vim activam innuit, quies verò inertiam & meram passionem, Motus autem magis actionem significat, sed cæcam & brutam, soli superficiei applicatam

& quidem necessariis legibus; quàm longe hinc distat cogitationis idea? deinde motus generatim non gignit cogitationem; omnis quippe pars materiæ motûs est capax, non omnis capax est cogitationis: motus autem particularis non superaddit motui generatim sumpto nisi certam motûs quantitatem & determinationem: porro quantumvis motum adaugeas, ne umbram quidem cogitationis elicies.

2°. Sensatio, judicium, volitio & quidem libera quomodo materiæ competere possent? quolibet dato modo materiæ sensatio non adest, & aliquid superaddendum intelligitur & corpori & motui. Judicium, simplex affirmatio aut negatio, idearum multoties abstractarum conjunctio aut seperatio, quâ tandem machinâ poterunt e materia extorqueri? Evolvat sinum materiæ Epicurus, congreget atomos, impellat in invicem, & ex cæca illarum collisione volitionem liberam, inhiantem infinito, spiritualia concupiscentem edat, si possit: interim constabit nobis cogitationem non posse materiæ competere.

Spinosa, obiit anno 1667. ætat. 44. Benedictus Spinosa, natione Batavus, e Judæo Calvinista, e Calvinista systematice Atheus, novam evomuit opinionem, cujus hæc est summa; 1°. unicam esse in Orbe substantiam, quæ Deus dicitur, quæque necessaria sit, æterna, immutabilis, &c. 2°. substantiæ hujus infinita esse attributa, inter quæ emineant extensio & cogitatio; 3°. horumce attributorum infinitos esse modos, quorum alii aliis essentiali & ineluctabili necessitate succedant.

Refellitur. Non potest admitti opinio in qua Deus (quem verbo saltem agnoscit Spinosa) perfectionibus sibi essentialibus frustraretur, & illis oppositas haberet imperfectiones: atqui talis est Spinosæ sententia: 1°. enim Deus est ens immutabile, nec diffitetur Spinosa: immutabilitatis autem clara notio est, immobilitas in modificationibus: atqui Deus Spinosæ jugiter mutatur in suis modificationibus, ut ipse tradit autor; ergo.

2°. Deus est ens simplicissimum, & fatentem habemus Spinosam; sed si extensio sit Dei attributum, nihil est Deo magis compositum.

3°. Deus est ens indivisibile, quia est ens & simplicissimum & immutabile: sed Deus à Spinosa excogitatus in tot partes divisus existit, quot sunt stellæ in Cœlo, in horreis grana frumenti, in littoribus arenulæ, in aere atomi, &c. ergo, &c.

4°. Deus est ens summe felix; & qui Deo ceteras

negant perfectiones,ut Epicurus,hanc tamen illi servant constanter: sed quid infelicius Deo Spinosæ, qui subjacet omnibus naturæ miseriis & eas in se experitur? etenim substantia agit aut paritur per modificationes suas aut ex ipsis, verùm actio & passio de substantia ipsa dicuntur & ad illam competunt; ergo ipsa est quæ immergitur miseriis.

Refellitur 2°. quia absurdum est dicere Deum esse lapidem, arborem, ignem, aquam, hominem, jumentum; Deum idem objectum amare & odisse: se ipsum rogare nec se exaudire: Deum esse sanctum, simulque peccatorem & impium: Deum deliciis frui, atque miseriâ torqueri, se ipsum occidere, tueri, veritatem erroremque tenere, &c. Sed tamen hæc omnia vera forent, si Deus esset omne ens; ergo portentum est infame & absurdum Spinosæ Deus.

Obj. 1°. Deus est ens infinite perfectum; ergo est omne ens: nam si non esset omne ens, careret perfectionibus quibus pollerent entia ab illo distincta; ergo non esset infinite perfectum,

R. ad 1. nego conseq; Si enim Deus esset omne ens, haberet omnium entium finitorum defectus & imperfectiones; ergo jam non esset ens infinite perfectum.

Ad. 2. neg. ant. & dico Deum eminenter possidere quidquid creaturæ habent perfectionis, non autem formaliter, ne & ipsas simul imperfectiones possideat.

Obj. 2°. Ens infinitum entis exhaurit totalitatem: sed de ente, quod exhaurit totalitatem entis, nihil negari potest; & ens de quo nihil negari potest, est omne ens; ergo ens infinitum est omne ens.

R. dist. maj.... exhaurit totalitatem intensive sumptam, C. totalitatem extensive sumptam, N. Ens infinitum exhaurit totalitatem entis intensive sumptam, quia quidquid perfectionis competit entibus cunctis, illud reperitur in ente infinito: sed repugnat ut eam exhauriat totalitatem extensive consideratam, tum quia non amplius esset ens infinitè perfectum, tunc enim omnes in se omnium entium colligeret defectus; tum quia jam non esset ens infinitum & singulare, sed potius cunctorum entium congeries.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Attributis Dei generatim consideratis.

Attributi nomine hic intelligitur perfectio omnis quæ de Deo prædicari potest. Attributa Dei vel

sunt absoluta, quæ tribus personis conveniunt, ut æternitas; vel relativa, quæ singulis personis propria sunt, ut paternitas, filiatio, &c.

Jam duo hic quæruntur: 1°. quodnam inter attributa Dei sit ceterorum fons, & quo proinde Deus primario constitui intelligatur; 2°. an & quæ inter attributa Dei admittenda sit distinctio.

ARTICULUS PRIMUS.

Quis sit Fons omnium Dei Attributorum.

Attributi seu gradûs Deum constituentis triplex est conditio: prima ut sit perfectio specialis quæ primarium Dei ingrediatur conceptum; secunda, ut per illam perfectionem Deus à quolibet alio ente distinguatur; tertia, ut sit fons & radix ceterarum Dei perfectionum, ità ut illæ ab hac prima fluere concipiantur.

Quænam autem inter divinas pefectio hâc triplici polleat conditione disputant Theologi: alii cum Thomistis intellectionem assignant, alii cum Scotistis infinitatem, alii asseitatem omnimodam, quibuscum sit

Conclusio, Asseitas seu independentia est differentia Dei specifica.

Prob, 1°. ex Exodi 3. ubi Moysi quærenti Dei nomen, sic loquitur Deus: *Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos.* Ex his sic: Illa perfectio est propria Dei differentia, quam sibi maxime propriam asserit: ut enim ait S. Hilarius, Lib. 5. de Trinit. *nobis loquendum non aliter de Deo, quàm ut ipse ad intelligentiam nostram de se locutus est:* atqui asseitate, seu existentiâ suâ necessariâ & independenti Deus eo loci se discernit à quolibet ente, &c. atque hoc agnovêre, & ex citato Exodi Textu deduxêre unanimi consensu SS. Patres, quorum instar sit S. Bernard. L. 5. de Consider. c. 6. ubi sic loquitur: *Quis est? non sanè occurrit melius, quàm qui est. Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est, Est;* ergo, &c.

Prob. 2°. ratione: Illa perfectio est gradus Dei constitutivus, quæ prima concipitur in Deo, illum à quovis ente secernens, fons & radix ceterarum ejus perfectionum: atqui talis est asseitas: 1°. enim est prima quæ concipitur de Deo perfectio, neque enim de Deo primùm cogitanti alia potest occurrere idea, quàm quòd Deus sit ens à se existens, à nullo alio dependens en-

te, ens supremum; ergo. Aliunde Deus est ens vi suæ possibilitatis existens; ergo non potest concipi possibilis, quin simul existens intelligatur: ac proinde existentia necessariò primarium illius ingreditur conceptum; 2°. Deum discernit à quolibet alio ente: namque hoc ipsi maxime proprium est quod sit à se; cetera quippe entia dum illi comparantur, jam intelliguntur entia ab alio, dependentia, & ex hoc finita & limitata; ergo; 3°. Fons est & radix ceterarum Dei perfectionum; si enim quæras cur Deus sit sapiens, sit justus, sit bonus, statim reponetur quia est à se: si autem quæras cur sit à se, nulla alia occurret responsio, quàm quòd tale concipitur ens esse debere.

Obj. 1°. Entis infinitè perfecti gradus constitutivus non potest esse mera negatio: atqui independentia est mera negatio dependentiæ.

R. dist. min. Est mera negatio quoad vim vocis, C. quoad rem voce significatam, N. Itaque tenuem adeò perfectionum Dei ideam gerimus, ut ad eas exprimendas cogamur uti verbis quæ magis creaturam defectus excludant, quàm perfectiones positivas designent: tales sunt independentia, immensitas, infinitas. &c. hæ tamen voces etsi negativè sonant, maximas & summè positivas exprimunt perfectiones.

Obj. 2°. Ex asseitate non concipiuntur fluere omnes Dei perfectiones; neque enim ex eo quòd Deus sit à se, idcirco inttelligitur, v. g. omnipotens, pollensque virtute creandi; ergo.

R. nego ant. Ens enim à se est ens supremum, ens entium, ens vi suæ possibilitatis existens: atqui ens illud nec à se, nec ab alio limitari valens, in omni genere perfectum esse debet.

Obj. 3°, Gradus Dei constitutivus debet esse peculiaris perfectio: atqui asseitas talis non est, competit enim cuilibet Dei attributo.

R. ad 1. neg: min: ad 2. neg. ant, Etsi enim cetera Dei attributa nullam sui causam realem habeant, habent tameu virtualem, á qua tanquam à primario fonte profluunt.

Obj. 4°. Entis infinitè perfecti differentia specifica debet esse infinitudo: atqui Deus est ens infinite perfectum; ergo.

R. dist. maj. Debet esse infinitudo radicalis, C. infinitudo materialis vel formalis. N. Infinitas triplex; *materialis*, quæ est omnium attributorum Dei complexio; *formalis*, quæ est singulorum attributorum illimitatio;

radicalis, quæ eſt ratio cur infinitis Deus polleat attributis, itâ ut ſingula ſint in infinito gradu. Prima infinitas ſupponit attributa, nec exurgit niſi iis omnibus poſitis; non poteſt ergo habere rationem differentiæ Dei ſpecificæ, quæ fons attributorum eſſe debet, non ea ſupponere; ſecunda infinitas non eſt peculiaris quædam perfectio, ſed modus ſingula afficiens attributa; ergo nequit eſſe gradus Dei conſtitutivus; tertia infinitas eſt quidem Dei ſpecifica differentia, ſed alia non eſt ab aſſeitate & independentiâ: ratio enim cur Deus omnia complectatur attributa; eaque in ſummo gradu, eſt quia á nullo limitatur, dependet à nullo; ergo neceſſitas exiſtendi eſt vere gradus Dei conſtitutivus.

Obj. 5°. Entis perfectiſſime viventis & intelligentis gradus conſtitutivus eſt vita & intellectio perfectiſſima: atqui Deus eſt ens perfectiſſimè vivens & intelligens, ergo. R. neg maj. Vita enim & inttellectio ſunt actus; atqui actus ſupponunt ens jam conſtitutum, cùm prius ſit eſſe quam agere. Jam vero quod ſupponit ens conſtitutum, illud conſtituere non poteſt.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Diſtinctione Attributorum Dei.

Diſtinctio, negatio eſt identitatis; ea quippe diſtinguuntur quæ non ſunt quid & unum idem. Diſtinctio vel eſt *realis*, quæ rebus ineſt independenter á mente, vel *rationis*, quæ à mente fingitur.

Diſtinctio realis triplex diſtinguitur, major, minor, & minima ſeu formalis.

Realis major ea eſt quæ intercedit inter duo à se invicem, aut ſeperata, ut Petrum & Paulum, aut ſeparabilia ut animam & corpus in homine vivente, aut inter ea quorum unum eſt principium alterius, ut in divinis Pater & Filius.

Realis minor ſeu modalis intercedit inter ea quorum unum poteſt eſſe ſine alio, ſed non vice verſa: id eſt, inter rem & modum illius, ut inter digitum ejusque inflexionem.

Realis minima, quæ dicitur formalis ex natura rei, ſeu Scotiſtica, ea eſt quæ reperitur inter diverſas ejusdem entis formalitates, ſeu perfectiones, à ſe & à ſubjecto inſeparabiles quidem, ſed tamen re ipſâ ab invicem itâ diſtinctas, ut ante omnem mentis operam una non ſit alia.

Distinctio rationis duplex quoque distinguitur, una rationis ratiocinantis, quæ tota se tenet ex parte mentis absque ullo in re fundamento, ut si quis distingueret inter ensem & gladium: alia vero rationis ratiocinatæ, quæ sit à mente cum vero in re fundamento; quatenus nempe una eademque res pluribus realiter distinctis æquivalet. Hæc distinctio virtualis appellatur & Thomistica,

Circa præsentem quæstionem erraverunt, 1°. Anomoei, qui ducibus Aetio & Eunomio, ut faciliùs probarent Christum non esse Deum, contendebant nullam esse ne quidem per mentem, distinctionem in Deo; 2°. Abbas Joachim, qui personas ab essentia realiter distinxisse videtur; 3°. Palamitæ qui capite ad umbilicum appresso aiebant se in Deo videre lumen quo induitur Deus; quod quidem à Deo realiter distingui docebant; 4°. Gilbertus Porretanus Pictaviensis Antistes, de cujus errore pauca quædam infra loquemur.

Antequam ulteriùs progrediar, notandum est quæstionem agitari non de Attributis relativis ad invicem comparatis; fatentur enim omnes divinas personas ab invicem distingui distinctione reali majore: movetur ergo quæstio de Attributis absolutis ad invicem collatis, & de iisdem sicut & de relativis comparatis cum subjecto, id est, divinâ essentiâ. De hac autem quæstione triplex est in Scholis sententia: prima Nominalium, qui solam nominum distinctionem admisêre inter Dei attributa: secunda Scoti ejusque subtilis Scholæ, quæ pro distinctione reali formali constanter & strenuè decertat; tertia Thomistarum, qui distinctionem virtualem admittunt. Sit

CONCLUSIO I. Inter attributa divina tum absoluta, tum relativa ad essentiam comparata, & absoluta ad invicem, nulla est realis, ne quidem formalis distinctio admittenda.

Probatur 1°. ex Scripturis. Quæ non sunt realiter quid unum & idem, non possunt de se invicem prædicari in abstracto: atqui in Scripturis de essentia & de attributis relativis prædicantur in abstracto attributa absoluta. Joan. 14. *Ego sum via, veritas & vita,* quæ quidem de Christo dicuntur; de Deo autem primæ Joan. dicitur, *Deus caritas est;* ergo.

Probatur 2°. ex Conciliis. Remense in Symbolo fidei contra Gilbertum hæc habet. *Credimus & confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum. Nec aliquo sensu Catholico posse negari quin Divinitas sit*

Deus, & Deus Divinitas: atqui in ſententia Scoti dici poſſet catholico ſenſu, quod Divinitas non ſit Deus, cùm Divinitas a Deo realiter formaliter diſtinguatur; ergo.

Lateranenſe IV. *Nos ſacro & univerſali Concilio approbante*, inquit Innocentius III. *credimus & confitemur, quod una quædam ſumma res eſt.... quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ: & ſingulatim quælibet earumdem. Et ideò in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non Quaternitas: quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina.*

Probatur 3°. ex sacra Facultate Pariſienſi quæ an. 1372. voluit à Ludovico quodam Articulum hunc revocari; *Quod aliquid ſit Deus ſecundùm ſuum eſſe reale, & tamen non ſit Deus ſecundùm ſuum eſſe formale.*

Probatur 4°. ratione: Illa diſtinctio non eſt admittenda quæ inutilis eſt, noxia ſimplicitati Divinæ, & in ſe inintelligibilis: atqui talis eſt diſtinctio formalis Scotiſtica: 1°. inutilis eſt; ideò quippe potiſſimùm admittitur ut explicetur quomodo in Divinis natura communicetur Filio & Spiritui Sancto perſonâ non communicatâ; atqui in ſententia diſtinctionis formalis non magis ſolvitur difficultas hæc, quàm in ſententia diſtinctionis virtualis. Etenim juxta Scotiſtas formalitates ſunt quidem diſtinctæ, ſed inſeparabiles: ſed ex formalitatibus inſeparabilibus ſi una communicetur, alteram communicari neceſſum eſt, ut patet; ergo non faciliùs nodum ſolvunt Scotiſtæ, quàm Thomiſtæ &c. 2°. Noxia eſt ſimplicitati Divinæ. Siquidem compoſitio ſimplicitati oppoſita, eſt plurium diſtinctorum coadunatio: atqui in ſyſtemate formalitatum reperitur in Deo plurium realiter diſtinctorum unio; ergo. 3°. Inexplicabilis eſt. In Deo enim indubiè eſt ſubſtantia aliqua cui tanquam ſubjecto inhæreant divinæ formalitates: atqui poſitâ diſtinctione formali tollitur ſubſtantia omnis, cui velut ſubjecto inhærere poſſint formalitates. Hæc enim ſubſtantia nil poſſet eſſe aliud, quàm quod in Deo concipitur ut primarium, Infinitudo nempe juxta Scotiſtas: atqui infinitudo hæc eſt etiam formalitas; & licet ſupponeretur inhærere entitati, ſubſiſteret nihilominus difficultas tota: quia & hæc entitas eſt etiam formalitas: ergo diſtinctio Scoti tranſmutat vel formalitates in ſubſtantiam, vel ſubſtantiam in formalitates; ergo planè eſt inintelligebilis. Ab argumento hoc ſibi olim à nobis propoſito

non aliter expedire se potuit clariss. Dagoumert, quàm regerendo, ignotum nobis esse id quo substantia quævis in ratione substantiæ constituitur.

Obj. 1°. SS. PP. contra Anomœos, asserunt alii cum S. Basilio L. 1. contra Eunomium, *ridiculum esse, creandi facultatem substantiam esse dicere; aut etiam providentiam, aut similiter præscientiam, rursus substantiam esse*: alii cum S. Aug. Lib. 7. de Trin. c. 4. *Deo Patri aliud esse, quòd Deus sit, aliud quòd Pater sit, quia Deus dicitur ad se, Pater ad alium*: sed si non admittatur distinctio realis, hæc attributa tum absoluta, tum relativa, sunt ipsa Dei substantia; ergo.

R. dist. min. Sunt ipsa Dei substantia & essentia realiter & in se, C. sunt ipsa Dei substantia penès conceptus, N. Certè docet solùm sanctus Basilius, Christum *diversas appellationes inter se ratione dissidentes sibi ipsi accommodare*; non differunt ergo realiter hæ appellationes, sed duntaxat ratione & conceptu. Quod spectat S. Aug. quid ex illo eruere possint Scotistæ in suæ sententiæ tutamen, non assequimur, siquidem alter est respectus quo Pater Deus est, & alter quo Pater est; nec ad hoc explicandum formalitatum auxilio indigemus.

Obj. 2°. Ea distinguuntur formaliter, de quibus enunciantur attributa contradictoria; atqui de essentia & attributis enunciantur attributa contradictoria; sic essentia dicitur communicari, Paternitas non item, idque independenter à mentis opera; ergo,

R. 1°. neg maj. Ut enim enuncientur attributa contradictoria, sufficit multitudo respectuum ad varios terminos; ergo & sufficit distinctio virtualis, seu æquivalentia pluribus realiter distinctis.

R. 2°. neg. min. quia ubi est distinctio virtualis, ibi est multiplicitas respectuum, & ubi est respectuum multiplicitas, ibi non est propriè dicta contradictio, quia illa est de eodem subjecto sub eodem respectu. Hinc essentia divina communicatur ratione sui, non communicatur autem ratione relationis & quatenus producit. Nec advertunt Scotistæ, quòd eadem objectio manet ipsis solvenda: essentia quippe & paternitas sunt inseparabiles juxta illos; ergo si essentia communicatur ante omnem mentis operam, communicatur & paternitas: ac proinde illi recurrere tenentur ad varios respectus & ad distinctionis virtualis immobile fundamentum; igitur paternitas sumitur vel formaliter, seu quatenus est Filii principium, & sub hoc respectu di-

ſtinguitur à Filio, ipſique non communicatur: vel ſpectatur materialiter & quatenus cum eſſentia identificatur, & ſub hoc reſpectu à Filio non diſtinguitur, ipſi communicatur, &c.

Obj. 2°. Signum diſtinctionis realis eſt diverſitas conceptuum: atqui attributa divina diverſis conceptibus apprehenduntur, ergo.

R. diſt. maj. Eſt diverſitas conceptuum abſolutorum & poſitivorum, C. eſt diverſitas conceptuum abſtrahentium & præciſivorum, N. Conceptus poſitivi & abſoluti ſunt de entibus in ſe phyſicè conſideratis; unde ſi diverſi ſint illi conceptus, nihilque inter ſe commune habeant, aut aliquid includant quo ſe excludant mutuo, ſequitur entia conceptibus exhibita vere â ſe invicem diſtingui. Conceptus abſtrahentes & præciſivi ſunt variarum repræſentationes formarum, quæ in uno eodemque ſubjecto eſſe concipiuntur: illi autem conceptus nequeunt eſſe ſignum diſtinctionis realis: 1°. quia non ſeſe poſitive excludunt & aliquid commune habent nempe ſubjectum ipſum, ut juſtitia & miſericordia Dei: unde in ſubjecto poſſunt identificari; 2°. quia non feruntur hi conceptus ad diſtinctionem entium, ſed ad evolvendam unius ejuſdemque entis naturam; ſcilicet quo pluribus æquivalet entibus ens unicum, eo minus mens noſtra quæ finita eſt, illius naturam unico poteſt attingere conceptu; hinc unicam virtutem illius ratione æquivalentiæ ſcindit in plures minutatim partes, ſi ità fas eſt loqui, ad ſolatium ſuæ finitudinis.

Inſtabis. Vel formæ quæ diverſis conceptibus apprehenduntur, exiſtunt in re, vel non. Si exiſtunt; ergo plures dantur formalitates: ſi non exiſtunt; ergo conceptus falſi ſunt, nec rem exhibent prout eſt in ſe.

R. diſt. ant. Exiſtunt in re fundamentaliter, C. exiſtunt in re formaliter, N. cùm mens unico conceptu totam infinitam virtutem apprehendere nequeat, idcirco ſingulos reſpectus, quorum illa eſt fundamentum, ſingulis ſibi exhibet conceptibus: nec idcirco conceptus illi falſi ſunt; ut enim fert vulgare adagium, *Abſtrahentium nullum eſt mendacium*: ratio eſt quia abſtractio foetus eſt mentis finitæ, nihilque affirmat de objecto.

Obj. 4°. Juſtitia & miſericordia plus diſtinguuntur, quàm juſtitia & omnipotentia: atqui iſtæ diſtinguuntur ad minus virtualiter; ergo juſtitia & miſericordia formaliter.

R. diſt. maj. Plus diſtinguuntur, id eſt majus habent

distinctionis fundamentum, quia producunt effectus magis oppositos, C. id est plus distinguuntur realiter, N. unde in veritate rei virtus quæ justa est parcit, sed non parcit quatenus apprehenditur ut justa; id enim pugnat in terminis.

Conclusio II. Non sufficit distinctio Nominalium inter attributa divina, sed virtualis est admittenda. Duæ sunt partes.

Prob. 1. pars 1°. ex iis quibus stabilietur pars altera conclusionis; 2°. quia eam admittebant Anomoei, adversùs quos Patres Græci insurrexère; 3°. quia S. Facultas Parisiensis Nominales propter illam distinctionem è sinu suo ejecit, ut constat ex Balusio; 4°. quia tali positâ distinctione jam varia quæ Deo tribuuntur nomina, synonyma erunt eumdem exhibentia conceptum, quod *ridiculum est*. ut notat S. Basilius. *Tom.4. Miscel.*

Prob. 2. pars 1°. ex Scripturis quæ plures Deo perfectiones tribuunt;unde & in plurali numero de iis Christus loquitur Joan. 16. cùm ait. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt;* ergo sunt in Deo plures perfectiones: sed ex dictis hæc pluralitas non se tenet à parte rei, nisi fundamentaliter; ergo pluralitas hæc est admittenda juxta nostrum concipiendi modum, cui se adaptat Scriptura, dum nos alloquitur.

Prob. 2°. Ea distinguuntur virtualiter, quæ licet sint à parte rei una eademque res,diversis tamen conceptibus apprehenduntur, ob summam rei unicæ excellentiam & vim quâ fit ut pluribus realiter distinctis æquivaleat, diversosque producat effectus: atqui talia Dei attributa.

Et certè vel hæc distinctio est agnoscenda, vel admittenda est ea quæ à Nominalibus propugnatur, aut ea quam tuentur Scotistæ: sed Nominalium distinctio nimium accedit ad Anomoeorum errorem; quæ verò Scotistarum est, non satis videtur recedere à doctrina Gilberti Porretani, & insuper hæc utraque distinctio multiplici confutatur momento; ergo stat ut admittatur distinctio virtualis, seu rationis ratiocinatæ cum fundamento in re.

Obj. In Concilio Remensi statutum fuit *nè ratio in Theologia dividat inter naturam & personam;* ergo damnatione Gilberti verè præscribitur virtualis distinctio. R.N. conseq. Siquidem Gilbertus distinguebat inter cogitationem seu abstractionem *mathematicam*, & cogitationem seu rationem *theologicam*; atque contendebat, non solùm mathematicè, sed & theologicè divi-

na distingui attributa: porrò nomine cogitationis mathematicæ intelligebat distinctionem quæ fit per mentem, & nomine rationis theologicæ distinctionem exprimebat realem: hoc enim vel nihil sonant, tum verba ejus, tum eorum censura, tum & obedientia ab eo censuræ præstita.

Obj. 2°. Ens simplicissimum non potest variis attingi conceptibus, quia totum unico repræsentatur & exhibetur; ergo rejicienda est distinctio virtualis. R. dist. Ens simplicissimum tum realiter & physicè, tum virtualiter & metaphysicè, C. ens simplicissimum physicè tantùm & realiter, N.

Quæres quomodo essentia & attributa de se invicem prædicentur? R. prædicari de se invicem in sensu reali & identico, non verò in sensu virtuali seu formali. Realiter justitia est misericordia, & bonitas est æternitas; sunt enim à parte rei & essentia & attributa, una eadémque res, una eademque simplicissima virtus: sed cùm distinguantur per mentem, variisque, conceptibus apprehendantur, variæ quoque sunt illorum notiones; ac proinde cùm sermo de iis habetur secundùm nostrum concipiendi modum, non possunt de se invicem prædicari; & stultè admodum diceretur, Misericordia punit, parcit justitia, intellectus vult, & voluntas intelligit; quia tunc non loquimur secundùm quod una res parcit, punit, vult & intelligit, sed loquimur secundùm varios quos in ea apprehendimus respectus.

Quæ fuerit Gilberti Porretani sententia.

Gilbertus Porretanus Pictaviensis Episcopus, vir acris ingenii, sed dialecticis argutiis nimiùm deditus, publico quodam in consessu dixit, *Divinitatem non esse Deum, sed formam quâ Deus est*; seu ut loquitur in suis ad Boetium Commentariis, *divinam essentiam esse substantiam quâ Deus est, non quæ Deus est*: à duobus suæ Ecclesiæ Archidiaconis Arnaldo & Calone, quibus se adjunxit S. Bernardus, ad Eugenium III. delatus est. Hinc in Concilio Parisiensi eodem Eugenio præside anno 1147, causa fuit agitata. Negavit primum Gilbertus propositiones: verum postea dixit: *Audacter confiteor Patrem alio esse Patrem, alio Deum, nec tamen esse hoc & hoc.* Anno sequenti in Concilio Remensi sub eodem Pontifice iterùm causa fuit discussa, Gilberto obsequium pollicenti, disputandi concessa fuit facultas; verùm cùm plura misceret, sic ipsum affatus est Eugenius: *A te cognoscere velim, annè illa summam Es-*

sentiam quâ tres Personas profiteris unum Deum, credas esse Deum. Cui Gilbertus *diutinâ*, si Ottoni Frisingensi fides, *collatione fatigatus, minùs præmeditatè respondit: Non.* Tandem instructâ lite, sententia fuit prolata, cui bonâ fide subscripsit publicè Gilbertus, & receptis in gratiam Archidiaconis ad Sedem remeavit.

Quæritur hic præcipuè quam distinctionis speciem Deum inter ejusque attributa admiserit Gilbertus. Alii eum ipsam Scoti distinctionem admisisse volunt, 1°. quia dicebat Deum alio esse Deum & alio Patrem, nec tamen esse *hoc & hoc*, id est, nec tamen esse rem & rem: aliter non posset suam expressiùs mentem aperire Scotista; 2°. talem admittebat realem distinctionem, ut eam vellet esse *rationis theologicæ*; atqui absurdum foret hoc donare nomine distinctionem realem majorem; utcumque autem admittitur hæc expressio ubi agitur de distinctione, quæ reperiretur inter inseparabilia; 3°. quia Personas tres unum semper asseruit Deum, quod cum Doctrinâ distinctionis realis majoris coaptari nequit; 4°. quia sicut Scotistæ ità & Gilbertus suam excogitavit opinionem ut faciliùs enodaret SS. Trinitatis Mysterium: ità illi.

Scotistæ contra reclamant, voluntque Gilbertum distinctionem realem majorem admisisse: 1°. quia formas velut affixas subjecto & ab eo diversas exhibet semper, unde in Boetium scribens dicebat, *Quidquid inest alicui, ab eodem diversum esse necesse est*; 2°. quia in definitione Remensi dicitur personas ad essentiam comparatas non esse *res*; 3°. quia argumenta quibus premebatur, ostendunt attributa inesse Deo, sicut accidentia insunt subjecto â quo seperari possunt. Postremæ huic opinioni adhæremus sponte, tum nè damnetur tota Scoti Academia, quæ de Ecclesia toties & tam insigniter merita est; tum nè hodie id in Franciscanis tolerare dicatur Ecclesia, quod olim in Episcopo condemnavit.

QUÆSTIO TERTIA.

De Attributis sigillatim consideratis.

Attributum generatim definitur Perfectio simpliciter simplex de Deo absolutè & necessariò prædicabilis per modum formæ adjacentis.

Dicitur 1°. *perfectio simpliciter simplex*, ut distinguatur tum à perfectionibus secundùm quid, quæ cùm

adjunctam habeant imperfectionem, non sunt in Deo nisi eminenter; tum à perfectionibus simplicibus, quales sunt divinæ relationes, quæ meliores non sunt ipsæ quàm non ipsæ; 2°. *absolutè prædicabilis*, quâ voce excluduntur adhuc relationes quæ solis adjacent personis, non naturæ, quæ absoluta est; 3°. *necessariò* prædicabilis, ut removeantur respectus liberi ad creaturas, qui utpotè liberi, Deo essentialiter non conveniunt; 4°. *per modum formæ adjacentis*, id est, proprietatis quæ essentiæ divinæ adjacere intelligitur.

Divina inter attributa potissimùm recensentur; unitas, simplicitas, infinitas, æternitas, immensitas, & immutabilitas; de iis agendum est in præsenti quæstione, in subsequentibus tractaturi de visione & attributis quæ ad facultates divinas spectant.

ARTICULUS PRIMUS.

De Unitate Dei.

Unum & unicum distingui debent: unum dicitur, quod indivisum in se divisum est à quolibet alio, & hæc unitatis species cuilibet enti competit, Unicum verò illud est cujus natura numero multiplicari nequit, de hac unitatis specie præsens agitatur quæstio; partem propugnavêre negantem tum Gentiles idololatræ, tum & Hæretici quidam: utrosque debellabimus.

§. I. *De unitate Dei contra Gentiles.*

Gentiles tot coluêre Deos, ut horum triginta millia numeret Hesiodus, quos inter, aiebat Tertullianus, *novi sunt ac veteres, Barbari, Græci, Romani, Peregrini, captivi, adoptivi, proprii, communes, masculi, feminæ, rustici, urbani, nautici, militares, &c.* Ægyptiorum
S.Leo. dii nascebantur in hortis, ut canit Poeta: Romani, *cùm penè omnibus dominarentur gentibus, omnium gentium serviebant erroribus, & magnam arbitrabantur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebant falsitatem.* Contra nefandum errorem sit

Conclusio. Deus unicus est.

Probatur 1°, ex Scripturis: Deuteron. 6. *Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est.* 1. ad Cor: 8. *Scimus quia nihil est idolum in mundo, & quòd nullus est Deus, nisi unus.* Hanc porrò afferrimus probationem ad confirmandam Christianorum fidem, non ad impugnandos divinâ autoritate Idololatras: quanquam

& ex illa intelligere valeant unici Dei doctrinam semper obtinuisse.

Probatur 2°. tritâ sed efficaci ratione; Deus est ens independens: atqui plura ejusmodi entia non sunt admittenda, 1°. quia entis independentis hæc notio est, ut cetera ab illo dependeant, ipsum autem à nullo: ergo vel nullum erit, vel unicum erit ens independens, 2°. aut invicem consentirent hæc entia, aut dissentirent: sed neutrum dici potest: non 1. quia libera sunt, & sese determinandi motivum ex suo depromunt arbitrio, cùm singula sibi planè sufficiant, ac proinde possunt legitimè supponi non invicem consentire: non 2. quia aut nullum prævalebit, & tunc nullum erit independens: aut unum prævalebit ceteris, & tunc illud solum erit Deus. Unde Lactantius: *Non vident qui Deos multos esse credunt, fieri posse ut aliquid diversum velint; ex quare disceptatio inter eos & certamen oriatur, sicut Homerus bellantes inter se Deos finxit.*

Confirm. Deus est ens summè magnum, ens infinitè perfectum: sed ens summè magnum par non admittit; ens infinitè perfectum non distat à ceteris entibus nisi ratione perfectionis alicujus; ac proinde Deus à Deo differre nequit; ergo Deus est necessariò unicus.

Obj. Plures sunt in Deo personæ; ergo multiplicitas non officit perfectioni naturæ divinæ.

R. dist. conseq. multiplicitas personarum, C. multiplicitas deorum, N. Plures personæ in unicâ existunt naturâ; unde habent eandem voluntatem, scientiam, uno verbo omnes perfectiones simpliciter simplices; nec differunt ab invicem nisi penès relationes, quin & easdem relationes singulæ habent ratione naturæ & per ineffabilem circuminceffionem, vi cujus paternitas Filio competit, & filiatio Patri; igitur ritè exponitur quomodo unus sit mundi autor & rector, & quomodo unaquæque persona differat ab alia & sit nihilominùs infinitè perfecta. Sed si plures darentur dii, diversas voluntates & potentias haberent, unde metuenda confusio in mundi regimine; insuper differrent ab invicem per aliquid sibi proprium, quod non posset esse nisi perfectio, quæ sic uni competeret ut deesset alteri; ac proinde non essent entia summa & infinitè perfecta.

§. II. *De unitate Dei contra Hæreticos.*

In hac parte errârunt, 1°. Valentiniani qui tri-

ginta Æonas Deorum diversi sexûs admiserunt; 2°. Tritheitæ omnes, qui existimârunt tres Sanctissimæ Trinitatis personas, esse totidem Deos à se invicem naturâ numerali distinctos; 3°. Manichæi, qui conspectâ in mundo mali bonique mixturâ, duo rerum prima agnoverunt principia, quorum aliud, bonum puta, auctor est rerum invisibilium, lucis, Evangelii, cujuslibet boni, atque Pater Christi; aliud malum, à quo sunt res sensibiles, tenebræ, lex vetus, & quodlibet malum.

Doctrinam hanc debitis jam dudum consepultam tenebris, mediam denuò protulit in lucem Baylius, vir non tam Manichæismi amans, quàm Religionis cujuscunque osor; & cujus scripta, ut contra fidem, sic & contra historiam scatent erroribus, prout nuperrimè demonstratum est, Sit

Conclusio. Non sunt admittenda duo summa rerum principia.

Prob. 1°. Duo summa rerum principia essent duo entia necessaria, ac proinde infinitè bona & perfecta: atqui implicat quod principium mali sit infinitè bonum; idque fatentur Manichæi; ergo.

Prob. 2°. Ideo admittuntur à Manichæis hæc duo principia, ut explicetur origo mali in rerum naturâ: atqui positis duobus Manichæorum principiis inexplicabilis è contrario est origo mali: eaque sapienter in hypothesi unius principii explicatur: 1°. quidem non explicatur in systemate unius principii. Etenim in mundo bona malis miscentur: sed sub duobus principiis impossibilis est hæc mixtio. Vel enim principia hæc æquis militant in invicem viribus, & tunc neque bonum datur neque malum: quia vires æquales sese mutuò elidunt, cunctaque hærent in æquilibrio suspensa; vel alterum altero superius est, & sic non est nisi bonum in natura, aut nisi malum; ergo origo mali in Manichæorum systemate explicari non potest.

2°. Origo mali rite exponitur in vera unius principii doctrina. Malum enim triplex secernitur, naturæ, poenæ, & culpæ: atqui tria hæc sub uno principio summe perfecto rite admittuntur: 1°. malum naturæ, quandoquidem istud non est vere malum, sed defectus perfectionis, quam Deus absolute non debet, & quam, saltem ad virtutis exercitium negare potest, ut visum aliquando negavit Tobiæ; 2°. malum poenæ: est enim dolor & afflictio naturæ appendix, quâ etiam homo uti optime potest, præsertim ut intelligat sibi non esse in terris manentem civitatem; 3°. & ma-

lum culpæ; tum quia Deus bonus potuit & utcumque debuit creaturam facere liberam, ac proin & meriti & demeriti capacem, tum quia scit Deus peccato creaturæ ut in bonum, seu ad gloriam nominis sui, suæque justitiæ, ut contigit Pharaoni; seu ad triumphum gratiæ, ut evenit in tyrannis Martyrum occisoribus, unde Augustinus Lib. 11. de Civ. Dei cap. 17. *Deus sicut naturarum bonarum optimus Creator est, ita malarum voluntatum justissimus Ordinator, ut cùm illæ malè utuntur naturæ bonis, ipse bene utatur, etiam voluntatibus malis.* Et Enchirid. cap. 11. *Deus omnipotens... cum summè bonus sit, nullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeò esset omnipotens & bonus, ut benè faceret & de malo.*

Obj. Sub unico principio summe bono non potest esse malum. Prob. quia tali ente melius dari non potest: atqui melius foret ens sub quo nullum posset esse malum; ergo.

R. dist. min. Ens foret melius, id est, magis sensibilem redderet suam bonitatem, C. foret in se melius & in rei veritate, N. itaque probat quidem objectio Deum non manifestare bonitatem ac sanctitatem suam quantùm potest, sed non evincit hæc attributa Deo non inesse. Sane si ex manifestatione bonitatis & sanctitatis debemus dijudicare de bonitate & sanctitate entis supremi, jam non solùm nullum debere esse malum, sed nec deberet esse possibile; ac proinde repugnarent creaturæ imperfectæ, actumque esset de libertate humanâ, &c. & certe nulla ratio expostulat ut præ ceteris Dei attributis manifestentur bonitas & sanctitas: atqui tamen si eliminaretur omne malum, jam pro bonitatis & sanctitatis manifestatione, laterent omninò Dei patientia, quâ peccatores ad pœnitentiam invitat; sapientia, quâ peccatoribus utitur in justorum sanctificationem; misericordia, quâ pænitentibus indulget; justitia, quâ pervicaces ultricibus urit flammis, &c.

Inst. Ens summe bonum & potens debet impedire malum & perniciem creaturæ suæ. Si enim non impedit, vel quia non potest, vel quia non vult: si 1. non est summe potens; si 2. non est summe bonum.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. dico non impedire quia non vult, idque suâ bonitate illæsâ; neque enim ea cogit illud ens omnia præstare operibus suis bona, quæ absolutè illis concedere potest: sed sufficit, si quæ creaturis con-

cedit, sint in se vere bona, tunc enim manifestatur bonitas, quantò plus ergo si opera sua pluribus indebitis & optimis cumulat donis?

ARTICULUS SECUNDUS.

De Dei Simplicitate.

SImplicitas est exclusio compositionis: compositum autem dicitur quod ex pluribus resultat; unde duplex sive compositio sive simplicitas, physica una, altera metaphysica. Compositio physica est aggregatio plurium physice seu realiter distinctorum: metaphysica compositio est adunatio plurium per mentem cum fundamento in re distinctorum, sive hæc se habeant per modum generis & differentiæ, sive per modum potentiæ & actûs.

Ex varia compositionis notione exurgit diversarum simplicitatis specierum idea, contrariorum quippe contrariæ sunt rationes. Sit

CONCLUSIO I, Deus purus est spiritus, omnis compositionis physicæ expers. Est 1°. contra Sadducæos, quia neque resurrectionem, neque spiritum admittentes, Deum proin corporeum admittebant; 2°. contra Manichæos, qui eundem *tribus quadris infinitum* mentiebantur: 3°. contra Anthropomorphitas, qui Deo corpus quasi humanum tribuêre. Jam conclusio.

Prob. 1°. Ille est verus spiritus, quem Scripturæ expressè appellant Spiritum, cuique tribuunt perfectiones quæ corpori competere nequeunt: atqui talis est Deus: 1°. dicitur Spiritus Joan. 4. *Spiritus est Deus:* & II. Cor. 3. *Dominus autem Spiritus est;* tribuuntur Deo, quæ corpori competere nequeunt: adscribuntur quippe illi immensitas, immutabilitas, immortalitas, &c. de quo infrà; dicitur insuper quod nullis lineamentis describi possit, Isai 40. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei;* ergo, &c.

Prob. 2°. ex Ecclesiæ judicio quæ & Anthropomorphitas ex quo orti sunt, semper inter Hæreticos habuit, & in Concil. Later. IV. cap. *Firmiter*, sic definit: *Una est Dei essentia, substantia seu natura simplex omnino.*

Prob. 3°. ratione: Deus est infinitè perfectus: atqui talis non esset, si componeretur partibus physicis. Nam singulæ partes forent imperfectæ, alioqui totidem essent dii: atqui quod constat ex imperfectis & limita-

tis, non poteſt eſſe infinitè perfectum & illimitatum, quia ex finitis reſultare nequit infinitum ; ergo.

Obj. 1°. Geneſ. 1. Homo dicitur creatus *ad imaginem Dei* ; ergo.

R. diſt. ant. ad imaginem Dei ratione animæ, C. ratione corporis, ſubdiſt. quod Deus ad hoc induerat, aut quod ad hominis redemptionem aſſumere aliquando debebat, C. ratione corporis quod Dei ſit proprium, N. Variæ eæ ſolutiones à variis Patribus traduntur.

Obj. 2°. Scriptura tribuit Deo quæ corporis propria ſunt, ut oculos & aures, Pſal. 33. *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum* : odoratum, Geneſ: 8. *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis;* os, Iſai. 1. *Os Domini locutum eſt* ; brachium, Exodi 6. *Redimam in brachio excelſo.*

R. diſt. ant. Tribuit Deo ſenſu metaphorico, C. tribuit ſenſu proprio, N. Bellè S. Aug. Epiſt: 148. *De membris Dei, quæ aſſiduè Scriptura commemorat, nè quiſquam ſecundùm carnis hujus formam & figuram nos eſſe crederet ſimiles Deo, proptereà eadem Scriptura & alas habere Deum dixit, quas nos utique non habemus. Sicut ergo alas cùm audimus, protectionem intelligimus: ſic & cùm audimus manus, operationem intelligere debemus ; & cùm audimus pedes, præſentatinem; & cum audimus oculos, viſionem quâ cognoſcit ; & cum audimus faciem, notitiam quâ innoteſcit, &c.*

Obj. 3°. Sunt in Deo tres perſonæ; ergo eſt in Deo compoſitio. R. neg. conſeq. ad compoſitionem enim requiruntur ſimul diſtinctio & unio : Porrò perſonæ divinæ, aut comparantur cum eſſentiâ ; â qua non diſtinguuntur, ſicque inter illas nulla eſt diſtinctio ; aut comparantur ad invicem, & ſub illo reſpectu nulla eſt inter illas unio ; ergo tres perſonæ nullatenùs officiunt ſimplicitati divinæ naturæ cum quâ identificantur.

Conclusio II. Admitti poteſt in Deo compoſitio metaphyſica.

Prob. Compoſitio metaphyſica exurgit ex pluribus per mentem diſtinctis, quæ concipiuntur in unum totum coadunari : atqui ex dictis ubi de diſtinctione attributorum, plura in Deo per mentem diſtinguuntur, quæ Deum concipiuntur conſtituere; putâ rationes entis, ſubſtantiæ, neceſſariis exiſtendi, ſpiritûs, omnipotentiæ, &c. ergo

Obj. Compoſitio metaphyſica arguit genus & differentiam : hoc eſt, potentiam & actum, perfectibile &

perfectivum: atqui idea Dei talem non admittit compositionem; ergo.

R. dist. maj. Arguit potentiam metaphysicam, & perfectibile vi perfectionis verè indistinctæ à perfectibili, C. potentiam physicam & perfectibile vi perfectionis realiter distinctæ, N. Potentia physica est ea quæ ab actu sejungi potest; metaphysica verò, à qua actus separari nequit, nec sine eo illa esse potest, sed quæ tamen prior actu mente concipitur; talem esse in Deo potentiam tenentur fateri omnes. Tunc equidem intelligitur aliquid esse perfectibile & aliquid perfectivum; actus enim est complementum & perfectio potentiæ; sed cùm actus non possit separari à potentia, nec illa queat esse sine actu, nihil prohibet dicere in Deo reperiri perfectiones generaliores, quæ ad summam perfectionis rationem determinantur aliis perfectionibus, sic rationes entis & substantiæ per necessitatem existendi perficiuntur. Quid exinde, quæso, imperfectionis?

Quæres an S. Epiphanius & Tertullianus Deum admiserint corporeum?

R. negat. Non Epiphanius: is enim hæresi 70. Audium reprehendit, quòd hominem secundùm corpus ad imaginem Dei factum contenderit: sic autem palmare Anthropomorphitarum munimen subruebat; 2°. S. Doctor eo præcipuè Audii doctrinam de imagine Dei redarguit, quòd ex illa sequeretur Deum esse corporeum: atqui inepta foret hæc ratiocinatio, si Anthropomorphitarum fuligine tinctus esset S. Epiphanius; ergo malè à Theophilo Alexandrino erroris hujus notam sustinuit Epiphanius, prout expressè colligitur ex S. Hieronymo, Epist. ad Pammachium.

Idem de Tertulliano judicandum credimus, 1°. quia L. contra Hermogenem, c. 2. ait, *Deum in partes non devenire, ut indivisibilem & indemutabilem & eumdem semper*: sed si in Deo corpus agnovisset, agnovisset & partes; 2°. quia corpus & quidquid corpore præditum est, est in loco: atqui ex Tertul. adversùs Praxeam, c. 5. *Ante omnia Deus erat solus ipse sibi & mundus, & locus, & omnia*; 3°. quia juxtà Tertull. de anima, c. 7. *incorporalitas nihil patitur, non habens per quod pati possit*: atqui ex eodem contra Praxeam Patripassianum, c. 29. *Tam incompatibilis Pater, quàm impassibilis Filius, ex ea conditione, quâ Deus est*; ergo cùm ipso judice Deus non possit pati, ipso etiam judice corporeus non est Deus.

Obj. Tertull. disertè asserit Deum esse corpus, c. 7. contra Praxeam: *Quis negabit Deum corpus esse, etsi Deus spiritus est? Spiritus enim corpus sui generis;* ergo. R. dist. ant. Deum dicit corpus impropriè & latè sumpto corporis nomine, C. propriè, N. Scilicet apud veteres nomen corporis sumitur, 1°. per oppositionem ad inane & vacuum, quo sensu Phæbadius Aginnensis contra Sabellium, de Filio Dei asserit quòd sit *corpus, corpus enim spiritus, sed corpus sui generis;* illudque probat quia non sit *inane, & vacua res Deus;* 2°. pro eo omni quod certâ figurâ & magnitudine constat. Quòd autem Tertullianus nomen corporis primo sensu usurpaverit, patet ex his ejus verbis contra Hermogen. c. 35. *Ipsa substantia corpus est rei cujusque,* & L. de Carne Christi, c. 11. *Omne quod est, corpus est sui generis*: & verò Phæbadius easdem ac Tertulli. usurpat voces: illius tamen fides in suspicionem non venit: ergo ab errore pariter vindicandus est Tertullianus, aut saltèm aliis probandum est momentis illum errasse.

Inst. Tertull. nihil medium agnovit inter corpus & nihil: *Nihil*, ait, *est incorporale nisi quod non est;* ergo Deum admisit corporeum.

R. dist. Inter corpus latè & impropriè sumptum est nihil. C. inter corpus propriè, N. Sic enim loquitur L. contra Hermogenem qui materiam æternam dicebat, nec spiritalem nec corpoream: *Nisi fallor, omnis res aut corporalis aut incorporalis sit necesse est: (ut concedam interim esse aliquid incorporale de substantiis duntaxat, cum ipsa substantia corpus sit rei cujuscumque) certè post corporale & incorporale nihil est tertium*: ibi innuit dari substantiam incorpoream strictè & propriè loquendo, quæ tamen & corporis appellationem aliquo & lato sensu sortiri debet. Meritò igitur S. Augustinus qui Tertulliano corporei Dei errorem tribuerat Ep. 117. sic tandem loquitur L. de Hæres. hær. 84. *Potuit propterea putari Deum corpus dicere quia non est nihil, non est inanitas.*

ARTICULUS III.

De Dei Infinitate.

INfinitum dicitur quod nullos habet limites. Infinitum aliud *simpliciter*, quod complectitur omnes per-

fectiones; aliud *secundum quid*, quod importat duntaxat aliquod perfectionis genus, ut linea infinita

Utrumque illud infinitum tale est, vel actu, si actu tam perfectum est in genere suo, quàm esse possit; vel *potentiâ*, si ejus perfectio semper augeri queat.

Quæritur hic utrùm Deus sit simpliciter & actu infinitus, & hâc occasione quomodo contineat omnes omnino perfectiones: circa quod.

Not. 1° triplicis speciei dari perfectionem: alia enim est quæ nihil imperfectionis habet admixtum, nec æquali opponitur perfectioni, & vocatur perfectio simpliciter simplex, definiturque à S. Anselmo *ea quæ melior est ipsa quàm non ipsa*, id est, ea quam subjecto meliùs est habere quàm non habere, qualis est v. g. sapientia in homine. Alia est perfectio quæ simplex appellatur, ea nihil imperfectionis habet adjunctum, sed cum æquali non potest stare perfectione, ut paternitas, quæ cum filiatione esse nequit in Deo, & tamen Pater & Filius æquè sunt perfecti. Tandem datur perfectio secundùm quid, quæ licet in se bona, habet tamen aliquid imperfectionis, quo fit ut cum nobiliori perfectione esse nequeat in eodem subjecto, talis est materialitas, bona quidem in se, sed quæ consortium non patitur spiritualitatis, quæ dignior est perfectio.

Not. 2°. perfectiones in aliquo subjecto contineri posse, aut *formaliter*, cùm subjecto insunt secundùm propriam formam, ut justitia in homine justo; aut *eminenter*, cùm subjecto insunt nobiliori modo quàm sint in seipsis. Sit

Conclusio I. Deus est actu & simpliciter infinitus. Est contra Socinianos.

Probatur 1°. ex Scripturis. Ps. 144. *Magnus Dominus .... & magnitudinis ejus non est finis.* Baruch 3. *Magnus est & non habet finem.* Jerem. 32. *Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu*: atqui Textus isti in sensu obvio Dei infinitatem demonstrant; & licèt non nihil habeant metaphorici, nihil tamen exagerationis habent; ergo.

Prob. 2°. ex SS. PP. in re adeò certâ satis erit appellare S. Greg. Nyss. orat. 12. Deus, inquit, *neque major, neque minor fit vel accessione, vel decessione. Quippe incrementum illud, quod in majus fit, in infinito locum non habet.*

Prob. 3°. ratione. Infinitum est quod à nullo limitatur: atqui Deus à nullo limitatur; non ab alio, cùm

ſit independens & cuilibet præſupponatur enti: non à ſe, cùm illius natura nullam excludat perfectionem, & admittat cunctas.

Dices Aggregatum ex Deo & creaturis eſſet quid melius & perfectius; ergo Deus non eſt infinitè perfectus.

R. neg. ant. tum quia ratio corporis, v. g. rationem ſpiritûs ſubverteret; tum quia Deus perfectiori modo continet quidquid in creaturis eſt boni: unde ſit

Conclusio II. Deus continet formaliter perfectiones ſimpliciter ſimplices; eminenter verò perfectiones ſecundùm quid: natura autem divina adæquatè ſumpta continet formaliter perfectiones ſimplices, ſed ſingulæ Perſonæ non eas formaliter continent. Explicatur.

1°. Deus continet formaliter omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices, quia nihil imperfecti habent adjunctum, & ſunt meliores ipſæ quâm non ipſæ; ergo Deo inſunt ſecundùm propriam rationem; unde Proverb. 8. *Meum eſt conſilium, & æquitas, mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo*: mea inquam, quia ſummè prudens ſum, ſummè fortis, non ut homines, &c.

2°. Deus continet eminenter perfectiones ſecundùm quid. Illæ enim ſecundùm propriam formam nobiliori adverſantur perfectioni, & aliquid defectûs admixtum habent; ergo ſecundùm propriam rationem ineſſe nequeunt Deo, qui nullâ ex parte deficit. Unde in Concilio Later: IV. damnatus eſt Almaricus qui contendebat creaturas omnes de Deo verè ac propriè dici poſſe.

Eaſdem tamen perfectiones Deus eminenter continet: quidquid enim in iis percipitur boni in Deo eſt, unde Pſaltes Pſ. 93. *Qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?* & S. Aug. Serm. 384. *Si magnititudinem quæris, major; ſi pulchritudinem, pulchrior; ſi dulcedinem, dulcior, &c.*

3°. Natura divina, ſeu Deus adæquate ſumptus formaliter continet perfectiones ſimplices; eæ enim ſunt divinæ relationes quæ nihil imperfectionis habent, ſed quæ aliam perfectionem ratione oppoſitionis excludunt: atqui illæ perfectiones ſunt formaliter in Deo adæquate ſumpto, eſt enim Deus, dum adæquate ſumitur, Pater, Filius & Spiritus Sanctus; ergo, &c.

4°. Singulæ Perſonæ ſeorſim ſumptæ non continent formaliter omnes perfectiones ſimplices. Etenim Filius qui filiationem habet, paternitatem ſecundùm

propriam rationem habere nequit, repugnatque ut Filius sit & appelletur Pater.

Cave tamen ne inde inferas aliquid deesse perfectioni singularum personarum. Siquidem etsi unaquæque persona careat perfectione relativâ ceterarum, eam tamen æquivalenter continet; cùm v. g. tam perficiatur filiatione Filius, quàm paternitate Pater. Insuper quod cuilibet personæ deest ratione suæ personalitatis, illud idem ipsi competit ratione naturæ, cùm enim identificentur in natura, hinc fit quòd unius perfectio sit quoque perfectio alterius per ineffabilem illam circuminsessionem de qua tractant Theologi ubi de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

ARTICULUS IV.

De Dei Æternitate.

ÆTernitas definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio*: 1°. quidem *possessio*, quia quieta & constans est duratio; illud enim possidemus, quod firmiter, quod quiete habemus; 2°. *tota simul*, per exclusionem successionis, sive à duratione, sive ab ente durante: duratione quidem, quia est unicum vel ut punctum quod omnia sibi succedentia complectitur tempora; ab ente autem durante, quia nihil acquirit, nihil deperdit vel in substantiæ entitate. vel in illius modis; hinc 3°. *perfecta*, ut intelligatur in illo unico puncto omnia contineri, nihilque deesse; 4°. tandem *interminabilis vitæ*, ad exclusionem tum initii tum finis, unde discrepat Æternitas, tum à *tempore*, quod est duratio rei in ipsâ substantiâ mutabilis, quæque initium agnoscit & finem; tum *ab ævo* quod est duratio rei penes modum mutabilis, non penes substantiam, quæque initium habuit, sed finem non est habitura, ut duratio spirituum. Jam quæritur an æternitas Deo, & quidem uni competat?

Conclusio I. Deus æternus est.

Prob. 1°. ex Script. Deuter. 32. *Vivo ego in æternum*. Psal. 9. *Dominus in æternum permanet*. Et Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*: atqui nihil vetat quominùs juxta litteræ corticem premantur hi Scripturarum textus; quin eos litteraliter intelligi jubent Symbola, Concilia, Traditio & unanimis Patrum consensus; ergo.

Prob. 2°. Deus est ens à se, vi suæ possibilitatis

existens, sed semper fuit possibilis; ergo extitit semper: & sicut illius possibilitas nusquàm incœpit, nusquàm desinet, ità & illius existentia. Deinde si non fuisset æternus, accepisset existentiam ab alio: à quo autem, cùm sit independens & cuilibet præexistens enti?

Dices; Deus Dan. 7. appellatur *antiquus dierum*, Apocal. 1. dicitur *qui est*, *qui erat*, *& qui venturus est*; tandem plures Dei actiones designantur ut futuræ aut præteritæ; ergo æternus non est. R. neg. conseq. Deus enim dicitur *antiquus dierum*, non quòd sit confectus senio, sed quòd diebus & tempori cuilibet præexistat. Dicitur etiam *qui est*, &c. quia has temporis differentias in suâ complectitur æternitate; demùm actiones illius futuræ dicuntur & præteritæ, non ratione principii operantis, sed ratione terminorum qui aut incipiunt esse aut desinunt.

An autem æternitas Dei veram instantium successionem habeat:; an sint unicum instans infinitis æquivalens, quæstio est & obscura & inutilis. Successionem admittunt Scotistæ, rejiciunt alii, quia, ut ait Augustinus, lib. 9. Confess. cap. 10. *Fuisse & futurum esse non est in ea* (æternitate) *sed esse solum*. S. Anselm. *in* Prosologio: *Nec tu habes partes, nec tua æternitas .... sed ubique totus es, & æternitas tua tota est semper.*

Conclusio II. Deus solus est æternus,

Prob. 1°. Æternitas duo importat: 1°. immutabilitatem entis cui competit; 2°. durationem initio & fine carentem: atqui hæc soli Deo conveniunt: 1°. solus Deus est in se immutabilis: creatura enim jugi posita in fluxu nova semper acquirit, amittit vetera, mutat ideas & consilia; ergo. 2°. Creatura nec caret initio, nec carere potest. Est enim essentialiter contingens, ac proinde ex nihilo producitur: sed quod ex nihilo producitur, non potest esse æternum, ut ex terminis liquet; ergo.

Dices: Creatura est ab æterno possibilis, Deus ab æterno omnipotens, & effectus potest esse causæ coævus; ergo ex nulla parte repugnat creatura æterna. R. dist. ab æterno possibilis pro tempore, C. pro æterno, N. Hinc effectus potest esse causæ temporaneæ coævus, C. causæ æternæ, N. Deus ab æterno omnipotens creaturam ab æterno valuit producere; sed eo modo quo ei possibilis erat, Porrò *rei natura non patitur* ut creatura quæ producitur ex nihilo, æ- *S. J. Damas.*

terna producatur. Repugnat igitur effectum causæ æternæ esse coævum, quia de natura effectus est, ut incipiat esse; initium autem quodvis ab æternitate excluditur.

ARTICULUS V.

De Dei Immensitate.

IMmensitas est diffusio substantiæ spatia omnia penetrantis, iisdemque intime præsentis. Hanc Deo abnegarunt non Pagani modò qui deos suos templis aut cœlo affixos tenebant, sed & Christiani quidam, ut Erasmus. Sit

Conclusio. Deus est immensus.

Prob. 1°. ex Scripturis. Baruch. 3. *Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus*. Job. 11. *Excelsior cœlo est.... profundior inferno... longior terrâ.... & latior mari.* Jerem. 33. *Numquid non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus*. Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tuâ fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades*. Act. 17. *Non longe est ab unoquoque nostrûm: in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*. Unde sic: Ille non solùm per scientiam quâ omnia cognoscit, per potentiam quâ omnia conservat, sed & per substantiam ubique præsens est, qui pure & simpliciter dicitur immensus, cælum & terram implens, ac excedens, in quo vita, motus & existentia ceteris competunt entibus: atqui Deus, &c.

Prob. 2°. ex PP. S. Cyprian. *Dei templum*, inquit, *totus est mundus... Deus est enim totus ubique diffusus*. S. Chrisostomus in Psal. 112. *Deus non tanquam aliquis in cœlo conclusus, eminus videt quæ sunt in terra; sed ubique præsens & omnibus assistens*. S. Aug. Epist. 17. *Est Deus per cuncta diffusus... substantialiter Deus est ubique diffusus... unde fatendum ubique esse Deum per divinitatis præsentiam.*

Prob. 3°. ratione. Immensitas vera est perfectio: atqui Deus ens summe perfectum, quo nihil melius cogitari potest.

Obj. 1°. Tria dicit Scriptura quæ Dei immensitati adversantur: 1°. quòd Deus sit in cælo, & ità sit, ut non habitet in terra; sic Psal. 113. *Cælum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*; 2°. quòd moveatur localiter, Gen. 11. *Descendit Dominus ut vide-*

ret civitatem; 3°. quòd in justis habitet, Joan. 14. *Ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.*

R. nego ant. Hæc enim tria immensitati non opponuntur: 1°. enim Deus in cælo esse dicitur, eo quòd ibi peculiariùs majestatem, benignitatem, potentiam ostendit; 2°. Deus dicitur descendere, ascendere, &c. metaphoricè, non proprie; nempe dum munera largitur, accedit; recedit autem, si ea neget: ascendit dum superbos deprimit; descendit autem, *quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur;* 3°. justis Deus inest speciali ratione: *Fatendum est*, ait S. Aug. Epist. 187. *ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.* *August. Sermone 70. de temp.*

Obj. 2°. Si Deus sit immensus, erit extensus: sed id repugnat.

R. dist. maj. Erit extensus aut realiter aut virtualiter, C. realiter, N. Ubi enim de Dei extensione ac diffusione agitur, *carnali*, inquit S. Aug. Epist. 187. *resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus est avocanda;* quia, ut addit S. Doctor, *Deus est per cuncta diffusus.... non per spatia locorum, quasi mole diffusâ, ita ut dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ità per totum totus, sed & in solo totus, & in sola terra totus, & nullo contentus loco, sed in se ipso ubique totus.* Unde Deus non est in loco vel *circumscriptivè*, quia non respondet per varias partes variis loci partibus; vel *definitivè*, quia non sic totus est in singulis loci partibus, ut non sit extra ipsas: sed *repletivè*, quia esse in loco repletive, est esse totum in toto loco, & totum in singulis loci partibus, nec tamen hocce loco coarctari.

Quæres an Deus sit extra mundum, seu in spatiis, ut aïunt, imaginariis.

Not. Deus alicubi existere concipitur, vel positive, cùm locum replet, ipsi coexistens ac coextensus: vel negative, si sit ubi locus esse potest, absque ullâ habitudine ad locum, quia iste nondum est. His positis,

R. 1°. Deus non est extra mundum & in spatiis imaginariis positive. Ratio est 1°. quia Deus non est positivè in illo loco qui non est: atqui spatia imaginaria extra mundum nihil sunt: unde ea appellat S. Aug. L. 11. de Civ. Dei c. 5. mira delirantis imaginationis figmenta; 2°. quia eodem modo se habet Deus extra mundum respectu spatiorum quæ imaginamur, quomodò se ante mundum habebat respectu spatiorum in quibus imaginamur mundum fuisse conditum: at-

qui, ut aït Tertul. L. contra Praxeam c. 5. *Ante omnia Deus erat solus*, *& ipse sibi mundus*, *& locus & omnia.*

R. 2°. Deus existit negative in iisdem spatiis. Ad id enim satis est ut Deus non contineatur mundo, sed sit in semetipso extra illum: atqui rem ità se habere liquet, 1°, ex Scripturis, quæ Deum excelsiorem cælo exhibent, inferno profundiorem, longiorem terrâ, &c. ergo mundo non coarctatur; 2°. ex PP. juxta quos *Deus est ultra omnia*, *& omnia continet*: 3°. quia Deus est immensus, immensitas autem infinita est diffusio cui nihil accedere potest; atqui si mundo contineretur Deus, non infinita esset illius diffusio, quia mundus finitus est; ergo.

Job. 11. *S. Hilar. l.* 1. *de Trin.*

At, inquies, si Deus non est actu in illis spatiis, actu dici non potest immensus: falsum consequens. R. dist. maj. Si non est actu in illis spatiis defectu suæ diffusionis, C. si non est defectu spatiorum, N. Deus non est in illis spatiis, quia illa non sunt, priùs enim debent esse, quàm occupentur.

ARTICULUS VI.

De Dei Immutabilitate.

IMmutabilitas est exclusio mutationis: mutatio autem est transitus ab uno statu ad alterum; eaque si fiat per receptionem vel amissionem novæ perfectionis, vocatur realis, & intrinseca; si verò per relationem novam simpliciter, ut cùm é dextro fit sinister is circa quem movetur alius, vocatur rationis & extrinseca. Sit

Conclusio. Deus est omnino immutabilis. Est contra Socinianos, qui Deum in decretis suis mutabilem fingunt.

Prob. 1°. Numer. 23. *Non est Deus.... ut filius hominis*, *ut mutetur.* Malach. 3. *Ego Dominus*, *& non mutor.* Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio*, *vel vicissitudinis obumbratio.* Ex his sic: Ille vere est immutabilis, ex quo excluditur omnis mutatio & vicissitudo, ratione suæ naturæ: atqui Scriptura excludit à Deo omnem mutationem, vi illius naturæ; quia nempe Deus est & Dominus; ergo.

Et certè si Deus esset mutabilis, vel ratione substantiæ & vitæ, vel ratione loci, temporis, cognitionis, aut voluntatis: atqui has omnes mutabilitatis

species excludit à Deo Scriptura; primam quidem, Psal. 101. *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient:* secundam verò, Jerem. 23. *Cælum & terram ego impleo:* tertiam, Deuter. 31. *Vivo ego in æternum:* quartam, Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta sunt oculis ejus:* ultimam denique, I. Reg. 15. *Triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo est ut agat pœnitentiam;* ergo.

Prob. 2°. Omnis mutatio vel fit in melius, vel in pejus: atqui Deus nec in melius mutari potest, quia est ex natura optimus: nec in pejus, quia desineret esse perfectissimus: ergo.

Obj. 1°. Sap. 7. dicitur de Dei sapientiâ quòd *omnibus mobilibus mobilior est;* Gen. 6. scribitur Deum pœnituisse, *quòd hominem fecisset en terra, tactus dolore cordis intrinsecus, &c.* Tandem mutavit non semel consilia, ut constat de Ninivitis, de Ezechia, &c.

R. ad 1. dicitur Sapientiâ omnibus mobilibus mobilior, vi & efficaciâ suâ, quia quidquid vult citissime operatur; non autem quia consilia sua mutet: unde ibid. *Cum sit una, omnia potest, & in se permanens omnia innovat.*

R. ad 2. Poenitentia quæ in Deo admittitur, non est nisi metaphorica & penes effectus, non autem quoad affectum & passionem, ut patet ex citato textu I. Reg. 15. unde S. Hieron. Lib. 18. in Isai. c. 65. *Furorem*, inquit, *oblivionem, iram, pœnitudinem, ità in Deo debemus accipere, quomodo pedes, oculos, manus, aures & cetera membra, quæ habere dicitur incorporalis & invisibilis Deus.*

R. ad 3. Non mutat Deus consilia, qui priusquàm ea conciperet, vidit omnes rationes quibus moveri postea poterat ad illam mutationem; minatur ergo Ninivitis interitum, sed sub conditione quòd non resipiscant: & sic intelligitur id S. Augustini: *Novit mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum.*

Obj. 2°. Ille vere mutatus est, qui de non volente creare mundum factus est intrinsece volens creare mundum: atqui Deus utpote in priori ad decretum liber circa mundi creationem, de non volente creare mundum, factus est volens intrinsece creare mundum; ergo.

Respondent aliqui cum Dagoumerio dist. Ille mutatus est mutatione minime perfectivâ, C. perfectivâ, N. Itaque, inquiunt, mutatus est Deus, sed eâ mutationis specie, quæ summam ejus libertatem itâ ad-

struit, ut excellentiæ ejus non deroget: non enim perfectior est Deus, quia mundum creare velit, quàm si velit eum non creare.

Hæc solutio facilis est & obvia. Habet id quidem incommodi quod in Deo accidentia admittat: verùm quid nocere possunt accidentia, quorum his vel illis carere non potest subjectum, quæque ei non meliora sunt quàm non ipsa.

Respondent tamen alii communiter, dist. min. Deus factus est volens creare mundum, id est, volitione suâ connotavit mundum quem non connotabat anteà, C. id est novæ volitionis entitatem acquisivit, N. Itaque eadem & unica est in Deo voluntatis entitas; sed quæ libere hunc vel illum terminum connotat, non per intrinsecam ex parte subjecti mutationem, sed per novam ad terminum relationem: hæc autem relatio cùm extrinseca sit, subjectum intrinsece mutare non potest.

QUÆSTIO QUARTA.

De Dei Visione.

QUinque erunt præsentis quæstionis articuli: primus de possibilitate visionis Dei; secundus de illius existentiâ; tertius de principiis visionis Dei effectivis; quartus de objecto hujus visionis, quintus de ejusdem proprietatibus.

ARTICULUS PRIMUS.

De possibilitate Visionis Dei.

VIsio quæ menti etiam competit, duplex hic distinguitur, *abstractiva*, quâ Deus per alienam speciem, putà per creaturas vel per fidem cognoscitur; *intuitiva*, quæ est clara rei ut in se est notitia. De hac agimus in præsenti, ubi quæritur 1°. utrùm Deus videri possit oculis corporis; 2°. num videri possit ab intellectu creato sibi relicto; 3°. an saltem ab intellectu supernaturaliter adjuto.

Suprà p. 82.

§. I. *An Deus videri possit oculo corporeo.*

Affirmarunt consequenter ad errorem suum Anthropomorphitæ. Sit contra

CONCLUSIO Deus videri non potest oculo corporeo.

Prob. 1°. ex Scripturis. I. ad Timoth. 1. *Regi seculorum immortali & invisibili;* & c. 6. *quem nullus hominum vidit, nec videre potest:* atqui hæc loca literaliter, ut debent intellecta, corpoream visionem excludunt; tum quia hæc proprie dicitur visio; tum quia de visione mentis intelligi non possunt; cùm eâ fruerentur multi, quo tempore scribebat Apostolus, ut infrà videbitur: ergo.

Prob. 2°. ex SS. Patribus. Sic (ut alios omittam, quos videris apud August. Ep. 248.) Cyrillus Hierosf. *Carnis oculis contemplari Deum impossibile est: quod enim corporis est expers, in carnis oculos cadere nequit:* ubi assertio nostra & traditur & probatur. Nempè verò facultas non potest vagari extra limites objecti sui: atqui oculus facultas est sensitiva, cujus objectum debet esse sensile, Deus autem sensilis non est; ergo.

Obj. 1°. Job. hæc habet c. 19. *In carne mea videbo Deum meum; quem.., oculi mei conspecturi sunt.* Et c. 42. *nunc autem oculus meus videt te:* demum Lucæ 3. *Videbit omnis caro salutare Dei.*

R. ad 1. dist. Videbo Deum in carne, id est, post resurrectionem meam, C. id est, per oculos carnis, subdistinguo; Deum salvatorem in humanitate, C. videbo ipsam Dei substantiam, N. Tota solutio est S. Augustini.

R. ad 2. dist. Oculus meus videt te, id est oculus mentis, C. oculus corporis subd. videt te in stupendis providentiæ effectibus, quos hic Job fusè investigat, C. in ipsa divina essentia, N.

R. ad 3. hîc agi de sancta Christi humanitate, quæ in terris visa est.

Obj. 2°. Potest Deus ad sui præsentiam ità oculum movere, ut hujus occasione motûs Deum anima percipiat; ergo,

R. neg. ant. In hac enim hypothesi movebitur quidem oculus, sed à Deo ut à causa motûs efficiente, non autem ut ab objecto colorato, & quod radios reflectat: unde nec tunc videbitur.

Obj. 3°. S. August. L. 22. de Civ. Dei c. 29. & alibi pluries asserit oculos mutatâ post resurrectionem qualitate Deum visuros esse; ergo.

R. neg. ant. nam dicit quidem S. Doctor, oculos, si Deum aliquando visuri sunt, alterius quàm nunc sint conditionis fore; sed non dicit determinatè futu-

rum ut oculi Deum videant. En ejus verba: *Longè itaque alterius erunt potentiæ oculi illi, si per illos videbitur incorporea Dei natura.* An autem res ità absolutè futura sit non determinat S. Doctor, sed aliis arbitrandum permittit. Unde Ep. 157. hæc loquitur: *Quam* Dei substantiam *si oculi corporales in resurrectione, mutatâ corporum qualitate conspicient, viderint qui hoc possunt adstruere;* non ergo adstruit ipse, sed indirectè evertit. Unde S. Fulgentius fidus Aug. Discipulus ad tertiam Ferrandi quæstionem hæc habet: *Oculis corporalibus Deus spiritus non videtur. Unde quosdam S. Augustinus, qui hoc voluerunt de Christo credere, quòd Deum Patrem oculis corporalibus videat, in Epistola quam ad Italicam scripsit, licèt brevi sermone, sufficienti tamen responsione convincit.*

§. II. *An Deus videri possit ab intellectu creato sibi relicto.*

Asseruit cum Eunomio Aëtius, cujus blasphemum id refert S. Epiph. hæresi 76. *Tam Deum novi, quàm me ipsum, imò non tam novi me ipsum quàm Deum.* Idem ex parte senserunt XIV. seculo Beguardi & Beguinæ, quorum hic erat quintus doctrinæ articulus: *Quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata; & anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum.* Sit

Conclusio. Deus videri non potest ab intellectu creato per solas naturæ vires.

Prob. 1°. ex Scripturis: Psal. 83. *Gratiam & gloriam dabit Dominus:* Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna;* Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum:* atqui quod naturalium virium opus est & ad quod eliciendum homo sibi sufficit, gratiæ donum dici non posset; ergo.

Prob. 2°, Fide constat hominem naturaliter imparem esse ad elicienda opera quibus vitam meretur æternam; ergo impar quoque est ad illam vitam æternam seu ad visionem intuitivam, neque enim diversæ sunt conditionis finis & media, merces & meritum; ergo.

Prob. 3°. ex traditione quam exhibent tum Concilium Viennense damnans Beguardos; tum Patres qui contra Eunomium & Aëtium insurrexêre, ut SS. Basilius, uterque Gregorius, Chrysostomus, Epiphanius, &c.

Obj. Deus est objectum intellectûs, ipsique intimè

præsens; ergo ab eo naturaliter percipi potest. R. neg. conseq. tum quia tali argumento probaretur Deum jugiter ab homine intuitivè videri, quod absurdum est; tum quia non sufficit ad visionem, intima objecti præsentia; requiritur insuper, ut facultati vires sint proportionatæ, quibus objectum apprehendere queat: porrò sibi relicta talibus deficit viribus; ergo.

Obj. 2°. Ex S. Aug. L. 4. de Civ. Dei, c. 27. solum peccatum causa est cur Deum non videamus; ergo intellectus à peccato immunis Deum videre potest. R. dist. ant. Solum peccatum est causa moralis, C. causa physica, N. hæc enim petitur ex mentis improportione: porro mens etiam à peccato libera cum Dei visione proportionem non habet.

§. III. *An Deus videri possit ab intellectu creato supernaturaliter adjuto.*

Sensêre nonnulli, teste Greg. Magno Lib. 18. Moral. c. 54. Deum à Beatis *in claritate quidem suâ conspici, sed in natura minimè videri.* Idem credidêre tum Græci Palamitæ, tum ii quorum proscripta fuit an. 1240. hæc thesis ab Episcopo Paris. *Divina essentia in se nec ab homine, nec ab Angelo, videtur vel videbitur.* Sit

Conclusio. Deus intuitivè videri potest ab intellectu creato supernaturaliter adjuto.

Prob. 1°. ex Scripturis, Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*: atqui ex Math. 22. Beati post mortem *erunt sicut Angeli Dei;* ergo justis concedenda est aliquando visio intuitiva; quin & Christus Matth. 5. eam illis pollicetur: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.*

Confirm. Ea visio est intuitiva naturæ divinæ, quâ Deus ipse manifestatur homini; quâ Deus cognoscitur ab homine, sicut homo cognoscitur à Deo; qua Deus videtur facie ad faciem; quâ videtur sicut est: atqui his phrasibus designatur natura visionis beatificæ. Sic Joan. 14. *Qui diligit... manifestabo ei meipsum.* I. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* I. Joan. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est;* ergo.

Prob. 2°. ex Florentina Synodo, quæ in Decreto unionis cum Græcis definit animas Justorum post mor-

tem *clarè intueri ipsum Deum trinum & unum, sicuti est*. Præiverant SS. PP., quos quia adducemus art. seq. sufficiat nunc id S. Greg. Mag. Lib. 18. Moral. *Neque simplici & incommutabili essentiæ aliud est claritas, & aliud natura; sed ipsa ei natura sua claritas, ipsa claritas natura est*: quo ratiocinio impugnat errorem de quo diximus initio paragraphi præsentis.

Prob. 3°. ratione. Possibilis esse debet homini suæ Beatitudinis consecutio: atqui Beatitudo hæc in intuitiva Dei visione consistit, ut docet Fides; ergo. Et certè nullatenus repugnat quod objectum maximè intelligibile percipiatur à facultate intellectivâ, si hæc auxilio supernaturali corroboretur: atqui Deus est maximè intelligibilis, intellectus creatus, facultas intellectiva; ergo etsi ratione non demonstretur visionis intuitivæ possibilitas, illâ tamen utcumque suadetur.

Obj. 1°. ex Math. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius*. Et Joan, 1. *Deum nemo vidit unquam*: ergo Deus videri non potest ab homine, etiam supernaturaliter adjuto.

R. dist. conseq. Deus videri non potest aut oculo corporeo, aut intellectu creato sibi relicto, aut in præsenti vitâ, aut perfectâ & comprehensivâ cognitione, C. non potest videri in altera vita, à creata mente superiùs adjuta, licet ab illa non comprehendatur, N. Concilianda sunt varia Scripturæ loca; hæc autem non nisi in sententia Catholicorum conciliantur.

Inst. Angeli ipsi teste S. Petro I. epist. c. 1. in Deum *desiderant prospicere*; ergo nequidem illi Dei visione fruuntur. R. neg. conseq. Illud enim desiderium excludit non objecti præsentiam, sed fastidium; ut belle docet S. Greg. Lib. 18. Moral.

Obj. 2°. Non magis licet concludere visionem intuitivam ex locis in probatione citatis, quàm ex Gen. 32. Num. 12. ubi dicitur Jacob & Mosem Deum vidisse facie ad faciem, & non per ænigmata & figuras; atqui, &c. ergo.

R. neg. maj. Cùm enim post concessas Patriarchis visiones perspicue dicat Scriptura neminem unquam vidisse Deum, liquet Patriarchas Deum in aliena specie vidisse, non in propria: cùm autem nihil tale dicatur de visione Sanctis concedenda, à contrario contendum est Deum ab ipsis in propria specie conspici.

Obj. 3°. Objectum infinitum non potest attingi à facultate finitâ; quia facultatem inter & objectum debet esse aliqua proportio: atqui Deus infinitus est, &c.

R. ad 1. dist. maj. Non potest attingi modo infinito, C. modo finito, subd. à facultate sibi relictâ, C. à facultate supernaturaliter adjutâ, N. Ad probationem, dico admittendam esse proportionem habitudinis inter facultatem & illius objectum, id est, agnoscendus est ordo inter facultatem & objectum; sed non requiritur ut sit æqualis proportio entitatis, ità ut objectum infinitum non possit attingi nisi à potentia infinita.

Obj. 4°. SS. PP. bene multi negant visionem Dei cuipiam concedendam. Ità inter alios S. Chrysostomus, qui Hom. 4. in Joan. explicans ista verba: *Deum nemo vidit unquam*, sic loquitur: *Id quòd Deus est, non modò Prophetæ non viderunt, sed neque Angeli, neque Archangeli; sed si eos percontaberis, nihil ab eis de divina substantia audies.... Nam quòd ipse sit invisibilis non solum hominibus, sed & supremis virtutibus constat, quia cum dixisset Paulus manifestum esse in carne, subdidit visum ab Angelis; ergo ex quo carnem induit, tunc visus est ab Angelis, anteà enim non ita videbatur, cum ipsis quoque invisibilis esset substantia. Quid igitur ait Christus, Angeli eorum semper vident faciem Patris; quid ergo? faciem habet Christus & cœlo circumscribitur? sed nemo eâ agitur insaniâ ut dixerit. Quænam ergo ea sententia est? quæ & in illo loco, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Nempe visionem appellavit mentis intuitum qui ad captum nostrum temperatus est, & notionem Dei prout eam habere possumus.* Ex his 1°. id quod Deus est, ne ipsi quidem Angeli unquam viderunt; 2°. neque illi possunt quidquam dicere de substantia Dei; 3°. Deus non est visus ab Angelis nisi post Incarnationem; 4°. id Christi, *Angeli eorum semper vident faciem Patris*, non debet litteraliter accipi; 5°. istud etiam: *Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt*, de quadam visione, seu, ut habet alia versio, *imaginatione ad nostrum captum attemperatâ* intelligendum est.

R. ad 1. dist. Ne ipsi quidem Angeli viderunt id quod Deus est, visione comprehensivâ, quæ nimirum adæquaret id totum quod Deus est, C. visione simpliciter intuitivâ, N.

Ad 2. similiter dist. Nihil dicere possunt quod adæquet intelligibilitatem substantiæ divinæ, C. nihil simpliciter & absolute, N. Sic nonnunquam in ipsa Scriptura vocabulum *nihil* accipitur, ità ut rem non absolute excludat, ut patet ex libro Esther. c. 5. v. 3. collato cum cap. 12. v. 5. loquitur autem S. Chrysostomus ap-

posite ad retundendam Anomoeorum superbiam, qui ipso teste, jactitabant se Deum æque perfecte nosse, ac Deus ipse se novit.

Ad 3. sensus non est Angelos ante Incarnationem non vidisse intuitive, vidisse autem postea (aliàs id pugnaret contra ipsos adversarios) sed sensus est, quòd antea simplex esset visio, posteà vero cognitio longe perfectior, quia multo meliùs cognoscitur humanitas Verbi, quàm divina ejus natura.

Ad 4. & 5. mens S. Doctoris est ut ostendat Anomoeos perperam omninò iis uti testimoniis ad astruendum suum errorem; ipsisque opponit sensum restrictum ad visionem, intuitivam quidem, sed attemperatam ad nostrum finitum intelligendi modum. Eam quoque *imaginationem* vocat, quia sicut homo comparatus Deo nihil nisi umbra est, sic visio beatifica imaginatio quædam est, si cum divina cognitione conferatur.

Has autem solutiones esse ad mentem Chrysostomi patet ex iis quæ alibi docuit. Sic Parænesi I. ad Theodorum c 7. *Quid dicemus*, inquit, *quando regiis cubiculis adapertis intueri licebit ipsum Regem, non per speculum, nec per ænigma, sed facie ad faciem.* Et Hom. 10. in Ep II. ad Cor. *Si cogitatio eorum qui adhuc vivunt, quamvis obscura sit, tantam suppeditat voluptatem, cogita quantam lætitiam nobis allatura sit manifesta visio.*

Major est difficultas de Theodoreti mente, quam investigare non sinit instituti nostri ratio. Certe eum non negasse mere intuitivam, sed solùm comprehensivam Dei visionem, qualem tuebantur Anomoei, indicant hæc ejus verba in vita S. Jacobi Anachorethæ: *Cum Sanctorum populo habitare cupiens, & cum eis resurgere, divinoque conspectu potiri.* Similia habet in vita S. Eusebii. Et Comment. in Ep. ad Ephes. sic loquitur: Nunc bonorum quæ *sperantur magnitudo est quidem omninò ignota fidelibus, fideles autem vident tanquam in speculo & in ænigmate, tunc autem videbunt facie ad faciem.*

Quæres an ratione demonstrari queat divinæ visionis possibilitas.

R. neg. 1°. quia medium demonstrationis esse debet res evidenter nota, cujus evidens quoque sit & necessaria connexio cum re demonstranda: atqui nihil hujusmodi in præsenti negotio assignari potest; cùm enim visio Dei intuitiva, ex jam probatis, sit entita-

tivè supernaturalis, & supra omnem naturæ exigentiam, nihil ratio sibi relicta cognoscere potest quod habeat necessariam cum ea connexionem, aliàs jam non esset supernaturalis & supra exigentiam naturæ; ergo.

2°. quia si demonstrari posset possibilitas illa, maxime ut aliqui volunt, ex ejus appetitu naturali & innato: atqui fictitius est iste appetitus visionis intuitivæ. Naturali quidem instinctu quisque inclinatur ad beatitudinem in communi, sed per se natura non appetit determinate beatitudinem supernaturalem visionis intuitivæ, quam seclusâ revelatione, non cognoscit, sibi esse possibilem. Unde id Aug. L. 1. Confes. c. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & irrequietum est cor nostrum, donec requiescat in te;* dictum est ab homine Christiano, qui per fidem didicit se ad fruendum Deo creatum esse.

ARTICULUS SECUNDUS.

De existentia Visionis Dei intuitivæ.

DUo sunt in hoc articulo investiganda: 1°. utrùm animæ Sanctorum quibus nihil luendum superest, statim admittantur ad visionem Dei intuitivam; 2°. utrùm alicui homini in hac vita aliquando concessa fuerit visio beatifica.

§. I. *Utrum animæ Justorum statim fruantur visione Dei intuitivâ.*

Oppugnandi in hac quæstione, 1°. Chiliastæ, seu Millenarii, sic dicti, quod finxerint regnum Christi mille annorum cum Sanctis in terra futurum post resurrectionem, seu regnum illud in carnali voluptate constituerint, ut Cerinthus & Marcionitæ; seu in deliciis pure spiritualibus, ut Papias Hierapoleos in Asia Episcopus, S. Polycarpi condiscipulus & auditor S. Joannis Apostoli, vel potiùs, ut tradit Euseb. Lib. 3. cap. 39. alterius Joannis Presbyteri; 2°. qui licet millenarium illud regnum rejicerent, putaverunt tamen Sanctos, non ante finem mundi in apertum Dei conspectum admittendos; ut SS. Justinus, Irenæus, aliique plures veteres Patres. in quorum opinionem seculo XIV. inclinavit Joan. XXII. Innoxii isti fuerunt, non ità verò Lutherus & Calvinus, qui post definiti-

onem Concilii Florentini, eundem errorem exſuſcitarunt. Sit

Conclusio, I. Prorſus rejiciendum eſt à Millenariis confictum Chriſti regnum mille annorum poſt reſurrectionem.

Probatur 1°. quia opinio millenaria non modo nihil habet in Scripturis fundamenti, ut infrà videbimus, ſed & iis directè contradicit. Siquidem Matth. 25. Chriſtus univerſale judicium deſcribens, ait: *Venite, benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum*: totaque deſcriptio clauditur his verbis: *Et ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam*, atqui ubi eſt vita æterna, ibi eſt viſio Dei intuitiva; ergo.

Prob. 2°. ex Patribus quorum alii, ut vetuſtiſſimus ſcriptor Caius Romanæ Eccleſiæ Presbyter, Cerinthum ex profeſſo confutarunt tanquam *ſacrarum Scripturarum hoſtem ac debellatorem*; alii, ut Origenes prologo in Cant. Millenariorum opinionem vocant *fabulam*, eamque ex ſiniſtra Scripturarum interpretatione natam aſſerunt; alii Sanctos ſtatim à morte Dei conſpectu potiri docent; de quo Concl. 2.

Euſeb. l. 3. c. 28.

Obj. 1°. id Apoc. c. 20. *Beatus & Sanctus qui habet partem in reſurrectione primâ, in his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis*: atqui hîc diſertè adſtruitur dogma Millenariorum.

R. neg. min. Imò ſubvertitur funditùs. Siquidem mille eorum anni poſt reſurrectionem corporum futuri erant, ex S. Irenæo Lib. 5. cap. 35. atqui loquitur S. Joannes de regno præcedente perſecutionem Antichriſti, adeoque & reſurrectionem corporum. Id patet quia poſt verba in objectione laudata ſtatim additur: *Et cum conſummati fuerint mille anni ſolvetur Satanas, &c.* & mox deſcribitur perſecutio futura tempore Antichriſti. Itaque, ut bene S. Auguſtinus L. 20. de Civ. c. 7. *mille annos pro annis omnibus hujus ſeculi poſuit ſacer Scriptor, ut perfecto numero notaretur ipſa temporis plenitudo.* Nec obſtant hæc verba; *Erunt Sacerdotes Dei & Chriſti*; ſic enim vocantur Sancti ſenſu metaphorico, eo quòd juge laudis & gratiarum actionis Sacrificium Deo & Chriſto offerant, vel quod membra ſint unius & ſummi Sacerdotis Chriſti. Ità S. Auguſtinus ibid. c. 10.

Inſt. In eadem Apocalypſi c. 6. v. 9. animæ Juſtorum repræſentantur adhuc ſub altari & petentes vindictam

sui sanguinis; ergo nondum fruuntur beatitudine sibi propriâ.

R. neg. conseq. nam 1°. nomine altaris non excluduntur, sed indicantur potiùs ipsa cæli penetralia, unde tanquam ex altari Thymiamatis, Sancti perpetuum Deo laudis Sacrificium offerunt; 2°. his verbis. *Vindica sanguinem nostrum*, non negatur actualis felicitas incompleta animarum, siquidem cap. 7. v. 9. dicuntur omnes stare *ante thronum in conspectu Agni amictæ stolis albis, & palmæ in manibus earum;* sed excluditur tantùm beatitudo completa, quam animæ non obtinebunt nisi in ultimo judicio, secundùm hæc: *Et dictum est illis ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum: & fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut & illi.*

Obj. 2°. non possunt nisi de regno terreno accipi hæc Christi verba Matth. 26. v. 29. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei;* ergo. R. neg. ant. nam 1°. verba hæc videntur respicere tempus quod fluxit à resurrectione Christi ad ejus Ascensionem, tunc enim sæpiùs apparuit Discipulis, & cum illis manducavit & bibit; & aliunde tempus illud nomine regni designatur Matth. 16. & Marci 8. eò quod Christus jam tunc cæperit datam sibi à Patre potestatem exercere; 2°. possunt etiam hæc intelligi de regno cælesti, ità ut vinum & potus ibi sumantur metaphoricè ad designandas spirituales delicias à Christo electis suis in æternitate communicandas. Hic sensus valdè frequens est in Scripturis: sic Luc. 14. v. 5. *Beatus qui manducabit panem in regno Dei;* & 22. *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.*

Obj. 3°. Millenariorum dogma nititur traditione Apostolicâ, cùm illud Papias à S. Joanne Evangelistâ didicerit, atque alii deinceps vetustissimi Patres idipsum docuerint, nimirum Justinus Martyr, Irenæus, Tertull. &c.

R. neg. ant. Etenim 1°. Papias, non S. Joannis Apostoli, sed alterius Joannis Presbyteri auditor fuit: quod si reverâ Apostolum audierit, veram profecto ejus mentem assecutus non est, sed ad alienum sensum detorsit, sicut locum Apocalypsis suprà explanatum. Id habemus ex Euseb. Lib. 3. cap. 39. qui & addit virum hunc mediocris admodum ingenii fuisse; 2°. tametsi ipsius pietate & autoritate multi in erro-

rem inducti sint, plures tamen eidem palàm obstiterunt. ut constabit ex dicendis in seq Concl. 3°. testimonia veterum Patrum non probant traditionem Apostolicam, nisi in iis quæ ipsi docuerunt velut communem Ecclesiæ fidem; atqui veteres Millenarii doctrinam hanc non proponebant ut fidem Ecclesiæ, sed ut meram opinionem, quam à multis impugnari non ignorabant, & in qua ipsi non admodum firmi stabant; neque aliunde erant inter se consentientes, sed tot ferè apud eos sensus erant, quot capita.

Conclusio II. Sanctorum animæ quibus nihil expiandum superest, statim admittuntur ad visionem Dei intuitivam.

Prob. 1°. ex Scriptura: Hebr. 12. v. 22. & 23. *Accessistis ad montem Sion, & civitatem Dei viventis Jerusalem cœlestem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cælis.* Et Apocal. cap 7. v. 9, *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat.... stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum:* sed qui cum Angelis vivunt in Civitate Dei viventis, & in conspectu Agni, æternâ jam fruuntur beatitudine, &c.

Obj. cum Calvino; Scripturæ ubique exhibent Sanctorum mercedem ut suspensam usque ad ultimum judicii diem. Matth. 24. v. 13. &c. Accedit Matth. 20. Parabola Operariorum quibus merces non nisi in fine diei datur, id est in fine mundi.

R. ad 1. dist. Exhibent mercedem completam, & cum solemni apparatu omnibus simul electis rependendam, C. qualemcumque mercedem, N. qui enim stant in conspectu Agni, stolis albis amicti, haud profecto omni mercede carent.

R. ad 2. juxta mox dicta per denarium designari mercedem completam & publicè decernendam; vel si designatur incompleta, per vesperam significabitur obitus uniuscujusque, isque sensus maximè congruit scopo Parabolæ, nimirum ut ostendatur nemini de salute desperandum esse, cùm omnes possint salvari, etiamsi in vitæ periodo fuerint conversi, modo sincerè id agant, & usque in finem perseverent.

Obj. 2°. Pœna non infligitur reprobis in exitu hujus vitæ; ergo nec præmium justis rependitur. Prob. ant. quia ipsi dæmones non cruciabuntur in inferno, *Ep. B. Judæ, v. 16.* nisi post judicium generale, ut colligitur ex Matth. 8. ubi sic Christum alloquuntur: *Venisti huc ante tem-*

pus torquere nos. Unde alibi dicuntur æternis vinculis reservari in judicium magni diei.

R. neg. ant ejusque probationem: quòd enim dæmones jam torqueantur, constat ex II. Petri 2. v. 4. ubi dicitur: *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari*. Et verò *Angeli semper ac proin ubique vident faciem Patris;* ergo & dæmones ubique torquentur.

Ad 1. textum dist. Christus venit ante tempus torquere dæmones quoad pœnam accidentalem, C. quoad essentialem, N. Pœna accidentalis quam reformidant dæmones, est detrusio in tartareum carcerem, sine licentiâ inde exeundi ad nocendum hominibus.

Ad 2. eadem est responsio, nempe dæmones ad diem magni judicii reservari, completè & per omnem modum cruciandos, non autem quod nunc minimè patiantur pœnam essentialem, quæ sita est in visionis Dei privatione, & ignis æterni perpessione.

Prob. 2°. Conclusio ex Conciliis: Lugd. II. an. 1272. expressè decernit animas eorum qui post Baptismum non peccaverunt, vel à peccatis fuerunt purgati, *mox in cœlum recipi*. Florentinum, cui sicut & præcedenti subscripserunt Græci post repetita Concilii Lugd. verba, addit Sanctos *intueri ipsum Deum trinum & unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectiùs*. Denique Trident. Sess. 24. de invocatione Sanctorum docet *illos qui negant Sanctos æternâ felicitate in cœlo fruentes invocandos esse... impiè sentire*.

Quæres quæ fuerit eâ de re mens Joannis XXII.

R. paucis, 1°. eum ab an. 1316. quo pontificatum iniit, usque ad an. 1330. catholicè sensisse, 1°. quia plures edidit fidei professiones, quibus inserta est citata Concilii Lugd. definitio, 2°. Acta Canonisationis ab eo emissa expressè tradunt Sanctos *facie revelatâ* Deum intueri.

R. 2°. Joan. XXII. ex quo in opinionem dilatæ beatitudins propendit, nihil unquam Pontificiâ autoritate definiisse. Et verò nullum ubilibet reperire est hujusmodi decretum, quidquid falsis & vagis rumoribus deceptus scripserit ante Pontificatum suum Adrianus VI. unde Parisienses Doctores ea de re à Philippo Valesio interrogati, in hæc verba responderunt: *Multorum fide dignorum relatione audivimus quòd quidquid in hac materia Sanctitas sua dixit, non asserendo seu opinando protulerit, sed solummodo recitando:*

idem confessi sunt vel ipsi Joannis hostes. Sic Ptolomæus Lucensis in sua Historia: *In consistorio*, inquit, *protestatus fuit*, (Joannes) *quòd in prædicta quæstione nihil definiendo, sed recitando dixerat, & quòd paratus esset revocare, si quæ enormia dixisset*: quapropter quod apud Raynaldum an. 1331, n. 41. ait Anonymus quidam Joanni coævus, eum *dogmatisatum esse quod Sancti in cælo non vident faciem Dei*, item quod Gerso vocat *falsitatem Joannis*, non sic intelligendum est quasi Pontifex ille fixam ac determinatam haberet eâ de quæstione sententiam, sed quia in eam propendebat vehementer, neque ei malam quamlibet notam inuri pateretur; ut hinc patet quod Thomam Valesium Dominicanum, qui opinionem illam hæresibus annumerabat, (præcipiti fortè judicio, quia res nondùm planè definita erat) in carcerem conjecerit.

R. 3°. Quæ minùs cautè in hoc negotio protulerat Joannes XXII. hæc morti proximus revocavit, & prout ad an. 1334. n. 37. narrat Raynaldus, expressè confessus est quod *animæ purgatæ sunt in cælo.... & vident Deum facie ad faciem clarè.* Addidit, se, quidquid eâ de re dixerat, dixisse *conferendo*, *non determinando*, *nec etiam credendo.*

Prob. 3°. eadem conclusio ex antiquis Ecclesiæ precibus in hunc modum: *Legem credendi statuit lex supplicandi*, ex Cælestino, Ep. 2. atqui lex supplicandi à priori ævo in Ecclesia solemnis dogma catholicum diserte adstruit. Siquidem in Gelasiano Codice omnium antiquissimo, Lib. 2. pag. 182. legimus, *Martyres jam cælestia præmia esse consecutos.* Et pag. 148. in festo sanctarum Perpetuæ & Felicitatis, *Quæsumus, ut sicut illis gloriam contulisti, nobis indulgentiam largiaris.* Et in festo SS. Gervasii & Protasii, *Ut quos gloriâ sublimasti, &c.* perantiqua etiam est oratio adhibita in festo S. Gregorii: *Deus qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti, &c.* ergo.

Nec dicas in Liturgia S. Marci, post commemoratos Prophetas, Apostolos, Martyres, addi: *Horum omnium animabus dona requiem.... in sanctis tabernaculis, in regno tuo*; quibus consonat id Liturgiæ S. Cyrilli: *Miserere, Domine, Patrum nostrorum.... maximèque sanctæ Dei genitricis Mariæ.* Hæc enim ex noto Ecclesiæ sensu sic semper intellecta sunt, ut pro iis qui nondum purgati sunt postuletur gloriæ substantia; pro iis verò qui plene sancti sunt, vel agantur gratiæ ob

eorum felicitatem, vel petatur augmentum gloriæ in memoria hominum. Rem paucis exponit Innocent. III. C. *Cum Marthæ* 6. *de celebrat, Miss.* ubi de Secreta beati Leonis in qua olim legebatur: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, sic respondet: *Cum sacræ Scripturæ dicat autoritas, quod injuriam facit Martyri qui orat pro Martyre, idem est ratione consimili de aliis Sanctis sentiendum; quia orationibus nostris non indigent, pro eo quod, cùm sint perfectè beati, omnia eis ad vota succedunt... unde quod in plerisque orationibus continetur: Prosit vel proficiat huic Sancto vel illis talis oblatio ad gloriam & honorem, ità debet intelligi, ut ad hoc prosit quod magis à fidelibus glorificetur in terris. Licèt plerique indignum non reputent Sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari, & ideo Ecclesiam interim posse augmentum glorificationis eorum optare.*

Prob. 4°. ex Patribus. Hermas in Pastore L. 3. simil. 8. expresse asserit, *omnes qui piè obeunt, si pœnitentes excipias, jam in cœlis coronari.* S. Ignatius B. Petri Discipulus in Epist. ad Rom. Martyrium totus spirans: *Sinite me*, inquit, *ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci... sinite me purum lumen haurire, cum illic fuero, homo Dei ero.* S. Cyprian. Tract. de exhortatione Martyrii cap. 12. *Quis*, inquit, *non omnibus viribus elaboret ad tantam claritatem pervenire, ut amicus Dei fiat, & cum Christo statim gaudeat?... Quanta est dignitas claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus, & aperire eosdem statim, ut Deus videatur & Christus?*

Obj. 1°. S. Chrysost. Hom. 28. in Epist. ad Heb. *Nè viderentur*, inquit, *melioris esse quàm nos conditionis* (Patres veteris Testamenti) *si primi coronarentur, definiit omnibus unum tempus coronarum;* ergo. R. dist. ant. Unum definiit tempus quoad completam beatitudinem, corporis scilicet & animæ, C. quoad incompletam animæ solius, N.

Inst. Idem S. Doctor Hom. 39. in I. ad Cor. docet animam frui non posse cælesti beatitudine sine suo corpore: *Si*, aït, *non resurgit corpus, incoronata manet anima, extra illam beatitudinem quæ est in cœlis.*

R. neg. ant. & dist. Textum: Si non resurgit corpus, id est, si nunquam est resurrecturum, C. id est. antequam actu resurgat, N. Nam scopus S. Doctoris non est agere de tempore beatitudinis, sed intendit tantùm probare necessitatem resurrectionis corporum

aliquando futuræ: unde solùm indicat Deum uno Decreto velle beatitudinem & corporis & animæ, adeo ut si uni penitùs denegetur, alteri debeat etiam denegari; quamvis in executione anima ante suum corpus sit beata. Et vero S. Doctor Ecclesiæ fidem aperte sequitur pluribus in locis, quorum instar sit istud homil. de S. Philogonio: *Subvectus in cœlum haud quaquam egere potest humanis laudibus... relictis hisce fastis, transiit ad celebritatem Angelorum. Illic qui adsunt, perpetuum vident Regem* (Deum) *condecorantem universum cœtum.*

Eodem modo intellegendi sunt non modo Theodoretus & Theophylactus, quos Chrysostomi doctrinæ addictos fuisse constat, sed & S. Hilarius, cùm in Psalm. 120. n. 16. scribit Sanctos in quâdam custodiâ detineri ubi expectant tempus introëundi in cælum. Sane S. Doctor in Psal. 142. n. 9. asserit eos omnes qui *cum impiis in lacum non descenderunt*, *frui facie Dei.*

Obj. 2°. S. Ambrosius, L. de Caïn & Abel, c. 2. *Anima*, inquit, *post finem vitæ hujus adhuc tamen futuri judicii ambiguo suspenditur*: atqui ubi esset Dei intuitus, non esset ulla suspensio.

R, dist. Anima suspenditur quantùm ad circumstantias loci, temporis, aliorumque hominum, qui judicandi sunt, C. quantùm ad proprium præmium, vel supplicium, N.

Inst. Ex S. Doctore, L. de bono mortis, *expectant animæ remunerationem sibi debitam:* sed quæ expectant, nondum habent.

R. ut supra, animas expectare mercedem completam & solemniter dandam, non autem quasi ne incompletâ quidem beatitudine fruantur. Certe enim S. Ambrosius in Epist. 54. de Sanctis Gervasio & Protasio: *Quorum*, inquit, *anima in cœlo, corpus in terra.* Et Lib. de bono mortis, cap. 11. *Justi hanc remunerationem habent, ut videant faciem Dei, & lumen illud quod illuminat omnem hominem.*

Obj. 3°. S. Augustinus in Psal. 43. aït: *Visio facie ad faciem liberatis in resurrectionem servatur*; ergo.

R. S. Augustinum idem aliquando sensisse cum Millenariis, prout ingenue fatetur L. 20. de Civ. c. 7. at licet etiam post Episcopatum dubius fuerit, ubi post corporis mortem commorarentur animæ, de his tamen nihil definiit quo vera, etsi necdum completa earum beatitudo excluderetur. Quin e contra: 1°. enim Lib. 9. Confess. c. 3. ita repræsentat Nebridium in sinu

Abrahæ, ut eum ibi visione Dei frui aperte significet: *Jam*, inquit, *non ponit aurem ad os meum, sed spirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum potest sapientiam, pro aviditate sua sine fine felix.* Et in Psal. 119. *Sancti*, aït, *fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris, quod nobis per magistros scriptum est, per faciem Dei cernunt.* Unde quod dicit August. L. de Gen. ad litt. mentem hominis, *post mortem non sic videre* Deum *ut sancti Angeli vident*, non negat omnimodam mentibus illis visionem, sed æque intensam quàm quâ fruuntur Angeli: *quia*, inquit, *inest eis naturalis quidam appetitus corporis administrandi, quo appetitu retardantur quodam modo, nè totâ intentione pergant in illud summum cœlum;* quanquam, ut fatear quod res est, videtur Augustinus circa summam hujusce quæstionis usque ad mortem suspensus fuisse.

Obj. 4°. S. Bernardus, Serm. 3. in Festo SS. omnium, aït Sanctorum animas post hanc vitam esse in atriis, non autem in domo Dei.

R. Patrem mellifluum vel sententiam mutasse, vel credidisse animas jam ab ipsis atriis Deum videre.

Inst. S. Bernard. Serm. 4. de eodem Festo, docet 1°. quod *sub Christi humanitate Sancti feliciter quiescunt, donec veniat tempus, quando non jam sub altari collocentur sed exaltentur super altare;* 2°. *eos super altare exaltandos, visione & contemplatione Dei.* Unde sic: Qui hodie solam vident humanitatem Christi, Deum ipsum non vident: atqui ex S. Bern. Sancti solam vident humanitatem.

R. neg. min. nam aït quidem devotus Pater SS. videre humanitatem, sed non aït eos videre solam humanitatem.

Inst. Qui à visione humanitatis transibunt ad visionem Dei, solam nunc vident humanitatem: atqui Sancti, &c.

R. dist. maj. Quæ transibunt ad visionem simpliciter, C. ad visionem magis perfectam quàm anteà erat, seu, ut verbis Bernardi utar, *ut divinitatem & majestatem* SUBLIMIUS *contemplentur*, N. Et vero visionis substantiam supponunt hæc S. Doctoris verba Serm. 2. de S. Victore n. 4. *Jam cœlos ingressus verè nunc revelatâ facie speculatur gloriam Dei.* Et Serm. 2. de S. Malachia n. 5. *Pari cum Angelis gloriâ & felicitate lætatur.*

§. II. *Utrum alicui præter Christum in hac vita concessa fuerit visio Dei intuitiva.*

Movetur hîc dubium de Moyse & de S. Paulo, quibus aliqui Religiosi suum addunt Patriarcham, sed sine gravi fundamento. Feliciùs id posset conjici de B. Virgine, sed nec de ea etiam ullum habetur efficax argumentum: unde sit

Conclusio. Nemini mortalium quandiu in vivis fuit, concessa est visio Dei intuitiva.

Prob. 1°. ex Exodi 33. ubi Moysi Dei intuitum precanti respondet Deus v. 20. *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet;* ibi quidem sermo est de præstanti quâdam formâ assumptâ, at non negatur visio formæ assumptæ, nisi quia multo minus videri potest propria Dei substantia.

Prob. 2°. ex Joan. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam;* si nemo, ergo nec Moyses; unde rursus c. 6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is qui est à Deo is vidit Patrem.*

1. ad Tim. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit; sed nec videre potest;* hæc Apostoli propositio negans est universalis & absoluta, proindeque comprehendit Moysem, ipsumque eundem S. Paulum, qui hæc scripsit post suum raptum in tertium cælum.

Prob. 3°. ex SS. Patribus: nihil sane expressius verbis S. Irenæi L. 4. adversùs hæreses cap. 20. *Neque Moyses vidit Deum, nec Elias, nec Ezechiel qui multa de cœlestibus viderunt.... quæ ab his videbantur, erant similitudines claritatis Domini;* idem docent Orig. in c. 1. Isaiæ, Tertull. & alii, qui ceteros, ut Augustinum & S. Thomam, numero longe superant, & autoritate, quia isti in opinione suâ haud multùm firmi fuêre.

Obj. 1°. Exodi 33. v. 11. *loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo amicum suum;* ergo.

R. neg. conseq. nam 1°. ibi non agitur de ipsa Dei substantiâ, sed de forma assumpta ab eo qui loquebatur; unde hinc sequeretur tantùm quod Moyses vidisset hanc formam facie ad faciem; 2°. dicitur quidem quod Deus alloqueretur Moysen facie ad faciem, non autem quod Moysi ostenderit faciem suam; hæc autem duo adeo distincta sunt, ut in eodem colloquio Moyses faciem Dei secum loquentis videre postulet,

v. 13. & 18. Deus autem respondet v. 20. *Non poteris videre faciem meam.* & v. 23. *Videbis posteriora mea* (id est fulgorem quemdam minùs perfectum gloriæ meæ) *faciem autem meam videre non poteris.* Fatemur tamen visionem hanc etsi minùs perfectam nemini deinceps in tanto gradu ac Moysi concessam fuisse, ut liquet ex Num. 12. v. 6.

Inst. Ibidem v. 19. Deus aït, *Ostendam tibi omne bonum:* atqui illud omne bonum est ipsa divinitas ergo.

R. hæc verba vel ad futurum seculum referri, vel si ad præsens, designare eximium quid & insolitum: id enim apud Hebræos *boni omnis* nomine exprimitur.

Obj. 2°. S. Paulus II. Cor. 12. v. 2. de se ipso sic loquitur: *Scio hominem.... quoniam raptus est in Paradisum, & audivit arcana verba quæ non licet homini loqui;* ergo donatus est visione Dei intuitivâ.

R. neg. conseq. nam aït quidem Apostolus se audivisse *arcana verba*, id est, multa abscondita mysteria cognovisse, at ne verbum quidem habet de visione Dei intuitivâ. Et certe in primo versu dixerat: *Veniam ad visiones & revelationes;* ergo de iis tantùm agit versu sequenti, non autem de manifesto Dei intuitu, quem ipse negat in Epist. ad Timotheum, ulli hominum concessum fuisse.

ARTICULUS III.

De Lumine gloriæ.

LUmen gloriæ est auxilium supernaturale adiuvans ad visionem beatificam eliciendam. De eo varia inquirunt Theologi. Sit

Conclusio I. Admitti debet lumen gloriæ.

Prob. 1°. ex Psal. 35. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Et Apocal. 22. *Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine solis, quia Dominus Deus illuminabit eos.*

Prob. 2°. ex Concil. Vien. in quo damnatur iste error Beguardorum & Beguinarum: *Animam non indigere lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum & de eo beatè fruendum.*

Prob. 3°. quia ex dictis mentes creatæ ad Dei visionem propriis visibus assurgere non possunt; ergo ad id auxilio supernaturali indigent: illud autem est, quod lumen gloriæ nuncupatur.

Conclusio II. Lumen gloriæ est quid habituale.

Prob. quia quando aliqua actio est elicienda à facultate vitali, connaturalius est ut operetur per formam sibi habitualiter inhærentem, præsertim quando ipsa actio non est transitoria, sed permanenter duratura; ergo.

Conclusio III. Suppleri potest lumen gloriæ per concursum Dei uberiorem.

Prob. quia Deus potest per se ipsum producere effectum cujuslibet potentiæ non vitalis, v. g. potest producere calorem sine igne: atqui lumen gloriæ est causa efficiens non vitalis, sed adjuvans principium vitale: ergo lumen illud suppleri potest.

Et certe se habet lumen gloriæ respectu visionis Dei, sicut se habent habitus fidei, spei & caritatis respectu suorum actuum: atqui actus illi possunt produci sine suis habitibus, nimirùm per gratiam actualem; ergo.

Obj. Ut intellectus Deum intueatur, debet compleri, & à statu naturali ad supernaturalem assurgere: atqui id fieri non potest sine nova forma supernaturali; ergo. R. dist. maj. Debet compleri vel intrinsece, vel extrinsece, C. intrinsece tantum, N. Nam sufficit ut Deus sit intime præsens intellectui, & concurrat extraordinarie cum ipso ad eliciendam visionem intuitivam. Unde non requiritur absolute mutatio interna, ut intellectus assurgat ad statum supernaturalem, quia sufficit ut in eo statu constituatur per connotationem omnipotentiæ divinæ, quæ semper & proxime sit parata ad concurrendum modo extraordinario.

Inst. Incapacitas intellectûs est intrinseca; ergo tolli non potest per complementum extrinsecum. R. dist. ant. Est intrinseca, sed non totalis & absoluta, C. est intrinseca & absoluta, N. Nam in intellectu non deest quædam potestas inchoata ad eliciendam visionem Dei intuitivam, cui complendæ sufficit concursus Dei extraordinarius.

Multa hic fuse & otiose disputant veteres Theologi, quæ paucis delibemus.

Quæres itaque 1°. an possibilis sit creatura quæ propriis viribus Deum intueatur. R. neg. implicat enim ut ens quatenùs naturale sit supernaturale: atqui creatura de qua loquimur, & naturalis foret & supernaturalis. Naturalis quidem, quia non alias haberet proprietates quàm quæ naturæ suæ deberentur; & supernaturalis, quia actus suprà naturam positos, puta caritatis, sanctitatis, atque ipsius etiam visionis

beatificæ eliceret; ergo. Hinc S. Augustinus I. de vera Relig. c. 19. *Bonum quod vitiari non potest, Deus est, cetera autem omnia bona ex ipso sunt, quæ per se ipsa vitiari possunt, quia per se ipsa nihil sunt.*

Quæres 2°. an Beatorum intellectus Deum videndo producat speciem expressam divinæ essentiæ. R, affirm. hæc enim species nihil est aliud quàm actualis cognitio Dei, seu potiùs terminus hujus cognitionis qui verbum mentis, id est idea nominatur: atqui indubie qui Deum vident, ejus ideam habent; ergo & hanc producunt, vel, ut aliis placet, in se à Deo recipiunt.

Quæres 3°. an non insuper ad videndum Deum indigeant Beati specie impressâ. R. negat. Siquidem species impressa, veteris Philosophiæ fœtus, est imago ab objecto profluens, ejusque absentiam & nimiam materialitatem supplens: atqui Deus nec á mentibus beatis abest, nec materialitatem habet quæ indigeat spiritualis reddi; ergo.

ARTICULUS IV.

De objecto Visionis beatificæ.

DUplex distinguitur objectum visionis Dei, *primarium* quod per se primo videtur & in quo videntur cetera, talis est essentia divina; & *secundarium*, quod videtur in alio, quales sunt creaturæ. De his sit

Conclusio I. Beati clare & intuitive vident essentiam divinam, omniaque attributa sive absoluta, sive relativa, seu, ut vulgo dicitur, omnia quæ sunt in Deo formaliter.

Prob. 1°. Qui Deum vident non in ænigmate, sed facie ad faciem, & sicuti est, illi vident essentiam &c. atqui Beati... I. Joán. 3. *Videbimus eum sicuti est.* I. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Speciatim verò quod Beati videant personas divinas, constat ex Joan. 17. ubi Christus ait, *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum;* porrò si videatur à Beatis Filius divinus, nulla est ratio cur non videatur simul & Spiritus sanctus: unde Concilium Florentinum expresse definit: *Deum unum & trinum à Beatis videri sicuti est.*

Prob. 2°. quia nisi Beati viderent omnia quæ enuntiantur in conclusione, satiatus non esset eorum ap-

petitus; neque enim fieri poteſt ut non deſiderent id intuitive videre, quod obſcure noverant per fidem: atqui tamen vere ſatiati ſunt Beati; ergo.

Conclusio II. Beati vident plures creaturas ſive futuras, ſive poſſibiles.

Prob. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus; atqui talis eſſe nequit ſine prædicta cognitione. Unde S. Greg. L. 4. Dial. c. 33. *Quid eſt*, inquit, *quod ibi neſciunt, ubi ſcientem omnia ſciunt?*

Præcipua verò quæ ab ipſis cognoſcuntur, hæc ſunt, 1°. generalis ordo univerſi, & creaturæ exiſtentes quantùm ad naturam, vires, proprietates, 2°. concives beatæ patriæ, imo & eorum cogitationes, ut docet S. Auguſtinus Serm. 243. 3°. quæ ad proprium illorum ſtatum pertinent, & ad perſonas quæ ſibi peculiariter conjunctæ fuerunt: ità definit Concilium Senonenſe cap. 13. ubi ait: *Beatis pervium eſſe uniforme divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſint elucescat.* Unde & norunt preces quas viventes ad eos dirigunt; licet enim illi *de ſua* ſint *immortalitate ſecuri*, *adhuc* tamen *de noſtra ſunt ſolliciti*, ait S. Cyprianus Lib. de immort. animæ, in fine: unde & Luc. 13. *gaudium* eſt *in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Quæres 1°. an Beati cognoſcant omnia prorſus exiſtentia, futura, vel poſſibilia. R. negat. quia omnia illa cognoſcere ad ſingulos Beatos nihil attinet, neque ullibi Scriptura talem ipſis ſcientiam adſcribit: imo de die judicii expreſſe id negat Chriſtus Matth: 24. 36. *De die illa & hora*, inquit, *nemo ſcit, neque Angeli cœlorum;* non cognoſcunt etiam occultas cordium cogitationes ſine ſpeciali ad ipſos directione. Supponit quoque Apoſtolus Epheſ. 3. v. 8. nonnullas Incarnationis circumſtantias ab Angelis cognitas non fuiſſe niſi per prædicationem Apoſtolorum. Unde eſt quod S. Chryſoſtomus in hunc locum appellat S. Paulum Angelorum Doctorem.

Imo valde probabilis eſt ſententia S. Thomæ & aliorum plurium Theologorum, quod Beati nequidem cognoſcere valeant omnes creaturas poſſibiles: quia ſic cognoſcere quidquid poteſt à Deo produci, eſſet comprehendere ejus omnipotentiam.

Quæres 2°. an creaturæ ut ſunt in ſe ipſis à Beatis videantur in eſſentia divina, ſeu, ut aiunt, *in Verbo*, quia Verbo tribuuntur quæ ad intellectionem pertinent.

R. ex rebus illis aliquas cognoſci in Verbo, velut

in speculo, prout supra docet Concilium Senonense; alias vero cognosci causaliter, id est per revelationem, aut aliud medium à visione Dei distinctum, & sic preces nostras cognoscunt. Ratio est quia actus Visionis beatificæ non mutatur, sed semper idem manet; ergo semper idem repræsentat; ac proinde quæ de novo videntur, in illo non videntur.

ARTICULUS V.

An Visiones beatificæ sint æquales.

SEnsus quæstionis est an Beati æque Deum cognoscant; & si non æque, unde petenda sit inæqualitatis ratio. Sit

Conclusio I. Æqualis non est in omnibus Sanctis visio beatifica. Est de fide contra Jovinianum iv. seculo, & Lutherum seculo xvi. Joviniano errandi causa fuit, quod paria faceret merita & demerita: Luthero autem quod omnia prorsùs negaret merita, de quo alibi. Jam Conclusio.

Prob. 1°. ex Script. Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* I. Cor. 15. v. 41. *Alia claritas solis, alia claritas stellarum: stella enim à stella differt in claritate; sic & resurrectio mortuorum;* ac licet hic locus intelligi possit de variis corporis gloriosi dotibus, cùm tamen is splendor corporum ex animæ gloriâ profluat, palam est eandem fore in felicitate animæ inæqualitatem.

Prob. 2°. ex Conc. Florentino in Decreto unionis, ubi definit Sanctos videre Deum sicuti est, *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs.*

Prob. 3°. ex SS. Patribus: S. Irenæus Lib. 4. adv. hæres. c. 13. aliàs 27. *Quanto plus Deum dilexerimus, hoc majorem ab eo gloriam accipiemus.* S. Augustinus Tract. 67. in Joannem: *Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates.*

Prob. 4°. Inæquali merito respondere debet inæqualis merces; atqui inæqualia fuêre Sanctorum merita. Major & minor traduntur ab Apostol. I. Cor. 3. v. 8. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* & II. Cor. 9. v. 6. *Qui parcè seminat parcè & metet; qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.*

Confirm. Se habet merces ad merita, ut cruciatus ad demerita: atqui... Sap. 16. v. 7. *Potentes potenter*

tormenta patientur, fortibus fortior instat cruciatio. Et Apocal. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum;* adde quod æqualitas præmiorum torporem ac socordiam generaret.

Obj. Omnes Beati Deum vident ut in se est; ergo nulla potest esse inter eos inæqualitas.

R. dist. ant. Vident ut in se est, modo tamen finito, qui possit esse perfectior in uno quàm in alio, ut definit Concilium Florentinum supra, C, modo infinito, N. Solutio planior fiet ex dicendis paulo post ubi de comprehensione. Objectionem e cap. 20. Matth. petitam solvemus in Tract. de Actibus humanis.

Conclusio II. Inæqualitas visionis beatificæ à sola inæqualitate luminis gloriæ est repetenda, non vero ab intellectuum inæqualitate.

Prob. quia in sententia adversa dicendum esset eos qui intellectum habent perspicaciorem, cum merito æquali, perfectiùs Deum visuros: atqui est id absurdum; quia sic non servaretur æqualitas in mercede. Responderi quidem potest in illis minui lumen gloriæ secundùm proportionem vivacitatis intellectûs; sed 1°. diminutio illa merùm est figmentum omni destitutum fundamento; 2°. lumen gloriæ est etiam merces meriti, proinque quibus lumen illud minueretur, iis subtraheretur aliqua mercedis suæ portio.

Obj. 1°. Quando causa totalis ex duabus coalescit, & una ex illis incrementum accipit, actio quoque debet esse intensior: atqui ex intellectu & lumine gloriæ fit una causa totalis respectu visionis beatificæ; ergo ubi intellectus est perfectior, visio perfectior erit.

R. dist. maj. Si causa perfectior influat ratione sui incrementi, C. secus, N. Porrò intellectus non influit in visionem ratione majoris perfectionis naturalis, sed secundùm potentiam obedientialem quæ in omnibus est æqualis.

Obj. 2°. Duorum intellectuum inæqualium eodem habitu fidei instructorum, perspicacior in hac vita elicit actum fidei perfectiorem; ergo etiam in alia vita cum eodem lumine gloriæ poterit elicere perfectiorem Dei visionem.

R. neg. ant. & dico posse quidem ab intellectu perspicaciori faciliùs apprehendi veritates naturales præsuppositas ad fidem, non posse verò præcisè propter majorem perspicaciam elici perfectiorem actum fidei; hujus enim perfectio, utpotè supernaturalis, refundi

debet in causam supernaturalem, scilicet in habitum fidei magis intensum, vel majorem ardorem voluntatis adjutæ per gratiam.

Quæres 1°. an visio beatifica in Angelis & hominibus sit ejusdem speciei.

R. affirm. 1°. quia visiones illæ idem habent objectum essentiale, eundemque in illud tendendi modum; 2°. quia etsi intellectus Angelici & humani specie differant quantum ad virtutem naturalem, non tamen quatenus per lumen gloriæ elevantur, & supernaturali donantur virtute: atqui iidem intellectus non eliciunt actum visionis prout naturali virtute præditi, sed prout elevati per lumen gloriæ; ergo.

Quæres 2°. an Deus à Beatis comprehendatur.

R. eos *comprehensores* esse hoc sensu, quod & assecuti sint terminum ad quem tendimus *viatores*, secundùm id Apostoli I. Cor. 9. *Sic currite ut comprehendatis;* & claram perspicuamque Dei cognitionem habeant; sed non eo sensu, quod Deum cognoscant quantum cognosci potest.

Prob. 1°. ex Scriptura. Jerem. 31. v. 19. Deus vocatur *magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. v. 33. *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus*: agitur quidem hoc in loco de Decretis divinis; at si ipsa non possunt comprehendi, quomodo comprehendi poterit ipsa Dei substantia?

Prob. 2°. ex Conciliis: Lateranense sub Innoc. III. sic decernit: *Firmiter credimus quod unus sit Deus... incomprehensibilis.* Basileense an. 1415. hanc proscripsit propositionem Augustini de Roma: *Anima Christi videt Deum tam clare & intense, quam clare & intense Deus videt se ipsum.* Præiverant universi Patres, quorum instar sit Augustinus qui serm. 117. ait: *Attingere aliquantum mente Deum, magna beatitudo est, comprehendere autem omnino impossibile.*

Prob. 3°. ratione: Comprehendere, est rem cognoscere quantum cognoscibilis est, & ejus cognoscibilitatem exhaurire: atqui Deus est infinitus, & infinitâ cognitione opus est, ut ejus cognoscibilitas exhauriatur; ergo comprehendi nequit nisi ab eo qui vim intelligendi infinitam habuerit, qualem habere non potest ulla creatura.

Obj. 1°. id S. Pauli I. Cor. *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*: atqui cognitus est à Deo cognitione comprehensivâ; ergo.

R. dist. Cognoscam sicut cognitus sum quantum ad aliquid, quatenus videbo intuitivè, ut visus sum, C. quantum ad omnia, N. alioqui Paulus secum pugnaret.

Obj. 2°. Objectum quod est simplicissimum, & totum videtur quale est in se, comprehenditur: atqui Deus est simplicissimus, atque à Beatis videtur ut est in se; ergo.

R. dist. maj. Si videtur totum & totaliter, C. si videtur totum, sed non totaliter, N. Porrò Deus est quidem simplicissimus, ac totus quoad substantiam videtur, sed non videtur eo omni modo quo potest videri.

S. Aug. p. 147. Inst. 1°. tunc res videtur totaliter, quando *nihil* illius *latet videntem*: atqui nihil Dei latet Beatos; ergo.

R. dist. min. Latet Beatos quoad substantiam, C. quoad gradus substantiæ, & atributorum, N. Itaque videtur quidem à Beatis substantia Dei; verum tota ejus profunditas, tota ejus infinitis entibus æquivalentia nec videtur, nec videri potest.

Obj. 2°. Beati vident actum ipsum quo Deus se comprehendit; ergo eo mediante Deum comprehendunt. R. dist. Vident modo finito, non attingendo omnem ejus terminum, C. vident modo infinito, N.

QUÆSTIO QUINTA.

De Intellectu Dei ejusque Scientia.

ESse in Deo intellectum & scientiam docet ipsa entis summè perfecti idea; docent & Scripturæ: I. Reg. *Deus Scientiarum Dominus est*, id est phrasi hebraicâ, *scientissimus*; & Ps. 138, *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est supra me, & plus quàm intellegere possum: de hac ineffabili scientia quæritur 1°. quod sit ejus objectum; 2°. quo in medio Deus omnia cognoscat; 3°. an scientia Dei sit causa rerum; 4°. quotuplex sit in Deo scientia distinguenda.

ARTICULUS PRIMUS.

De objecto Scientiæ divinæ.

UT minora quædam dubia tollantur,

Dico 1°. Deus comprehensivè se ipsum cognoscit. Ratio est quia tota ejus substantia est ipsius intellectui perfectissimo præsentissima, & summè intel-

ligibilis, quod sufficit ad comprehensionem. Porrò solus Deus se ità cognoscit; dicitur enim I. Cor. 2. v. 11. *Quæ sunt Dei, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.*

Dico 2°. Deus certò cognoscit creaturas omnes possibiles, & quidem sigillatim ac distinctè. Nulla enim est quæ non sit terminus omnipotentiæ; cùm igitur Deus, juxta mox dicta seipsum, suamque omnipotentiam perfectè comprehendat, omnes quoque creaturas possibiles comprehendat necessum est. Unde Rom. 4. v. 17. *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.*

Dico 3°. Deus certò novit omnia existentia, etiam vilissima. Nihil siquidem passere vilius, nihil capillis minutius; & tamen Matth. 10. dicitur: *Nonne duo passeres asse væneunt, & unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt.* Eccli. 1. v. 2. *Arenam maris & pluviæ guttas, & dies seculi quis dinumeravit? unus Altissimus creator omnipotens.* Et Heb. 4. generatim de omnibus existentibus dicitur: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & operta sunt oculis ejus.*

Dico 4°. Novit etiam Deus omnia mala, sive naturæ, sive poenæ, sive culpæ. De malis naturæ dicitur Sap. 8. *Signa & monstra scit antequam fiant*; de malis poenæ Eccli. 11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt*; denique de malis culpæ David Ps. 68. ait, *Tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita.*

Dico 5°. occultas cordium cogitationes clare cognoscit Deus. Hoc diserte exprimit David I. Paral. 28. *Omnia corda scrutatur Deus, & universas mentium cogitationes intelligit*: & Psalm. 7. *Scrutans corda & renes Deus.*

Obj. 1°. ex S. Hieronymo in caput 1. Habacuc, *Absurdum est ad hoc deducere Dei majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices quotve moriantur.*

R. S. Hieronymum ibi non excludere simplicem horum notitiam, sed solùm velle quod non tanta sit Dei providentia erga res illas quanta est erga homines; sic enim pergit: *Non sumus tam fatui, ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nosipsos injuriosi simus, eandem rationabilium, quàm irrationabilium providentiam esse dicentes*; & hoc sensu Apostolus I. ad Cor. 9. ait: *Numquid de bobus cura est Deo?*

Obj. 2°. Deus explorata Abrahæ obedientiâ, ait

Gen. 22. v. 12. *Nunc cognovi quod times Deum;* ergo antea non cognoſcebat ſecreta cordis Abraham. R. neg. conſeq. jam enim Deo perfectè nota erat Abrahæ fides, ut patet ex cap. 18. v. 19. unde eum tentavit, ut ipſi occaſionem ſubminiſtraret heroicam ſuam obedientiam manifeſtandi; cùm ergo Deus ait, *Nunc cognovi*, *&c.* phraſis eſt Scripturæ familiaris, quæ ſignificat tantùm, quod Abrahami fides tunc publico experimento palàm omnibus fuerit declarata.

His præmiſſis graviora duo quærentur; 1°. an Deus futura abſoluta etiam libera cognoſcat; 2°. an ea etiam cognoſcat, quæ ut Tyriorum converſio, facta fuiſſent, ſi quædam poſita eſſet conditio, puta miraculorum quæ ponenda non erat. Primam cognitionis ſpeciem Deo abnegavit Tullius ne libertati humanæ noceret, ſicque *ut homines faceret liberos*, *fecit ſacrilegos.* Secundam, Theologi quidam antiqui. Sit

S. Aug.

Conclusio I. Deus certiſſimè cognoſcit futura omnia contingentia & libera.

Prob. 1°. ex Scripturis. Pſalm. 138. *Intellexiſti cogitationes meas de longe .... & omnes vias meas prævidiſti.* Daniel. 13. *Deus æterne qui noſti omnia antequam fiant.* Joan: 6. v. 65. *Sciebat ab initio Jeſus qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum;* perſpicua ſunt hæc, neque ullâ indigent elucidatione.

Prob. 2°. quia ut benè Tertullianus in Apolog. *Idoneum teſtimonium divinitatis*, ut & præſcientiæ, eſt *veritas divinationis*: atqui Deus innumera prædixit ſeu per Prophetas, ut ortum Meſſiæ, & Imperiorum everſionem; ſeu per ſe, ut proditionem Judæ & negationem Petri; ergo. Unde iterùm Tertul. L. 2. contra Marcion. *Præſcientia Dei tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas.*

Prob. 3°. Id quod eſt proprius divinitatis caracter Deo negari nequit, ſed futurorum præſcientia.... unde Iſaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dii eſtis vos;* meritò igitur Aug. L. 2. Civ. Dei, c. 9. *Confiteri Deum & negare præſcium futurorum apertiſſima inſania eſt.*

Obj. 1°. quando Deus futura contingentia prædixit, uſus eſt ſæpiùs particulis *fortè, forſitan*, quæ dubium exprimunt, Jerem. 26. v. 3. *Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiant & convertantur.* Joan. 5. v. 46. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi*: ergo. R. his verbis, *ſi fortè*, aut ſimilibus non ſignificari rem dubiam ex parte Dei, ſed tantùm reſpectu noſtri, ut

observat S. Aug. in Psal. 2. Voluit etiam Deus humanum usurpare loquendi modum, ut meliùs ostenderet suâ præscientia nullam imponi necessitatem. *Verbum ambiguum*, *forsitan*, inquit S. Hieronymus in cap. 26. Jerem. *majestati Domini non potest convenire*, *sed nostro affectu*, *ut liberum homini servetur arbitrium, nè ex præscientia ejus quasi necessitate facere aliquid vel non facere cogeretur.*

Obj. 2°. Non omnia Dei vaticinia fuerunt impleta. Etenim Isaias mortem prædixit Ezechiæ, & Jonas subversionem Ninive: atqui tamen neutrum accidit; ergo. R. dist. ant. Vaticinia conditionata & comminatoria non fuerunt impleta, C. absoluta, N. nam Eze- *Isai.* 38. chiæ mors prædicta fuit sub hac tacita conditione, nisi *Joan.* 3. precibus longiorem vitam obtineas, & Ninivitis subversio urbis, nisi converterentur.

Obj. 3°. Quidquid à Deo prævidetur est necessarium; ergo prævidere non potest futura contingentia. R. dist. ant. Est necessarium necessitate hypothetica & consequente liberam hominis determinationem, C. necessitate antecedente & absolutâ, ubi agitur de actibus humanis, N. Nam cùm Deus prævidet hujusmodi actus, eos prævidet futuros dependenter à libera voluntatis electione, actus igitur sic prævisi nullam habent necessitatem nisi dependentem à libertate, & quæ sit effectus libertatis, quod sufficit ut in tuto eadem libertas constituatur. Hinc fluxit axioma celebre in hac materia: non ideo res sunt futuræ quia prævidentur à Deo, sed ideo ab ipso prænoscuntur quia futuræ sunt. De ceteris adi Philosophos ubi de futuro contingenti.

CONCLUSIO II. Deus certissimè cognoscit futura conditionata.

Prob. Ea certo novit Deus quæ prædixit: atqui futura conditionata sæpius prædixit Deus; 1°. enim cùm David in urbem Ceilam ingressus consuluisset Dominum, an si in ea maneret, obsidendus esset à Saüle, eique tradendus à Celeitis, respondit affirmativè Deus I. Reg. 13. *Descendet Saül*, *tradent* te Celeitæ: atqui ibi manifestè agitur de futuro conditionato; ergo; 2°. de justo morte immaturâ sublato legitur Sap. 4. *Raptus est né malitia mutaret intellectum ejus;* noverat ergo Deus justi mutationem, quæ non absolutè, sed sub conditione erat futura, si nempe vitam longius produxisset; 3°. Matth. 11. ait Christus: *Væ tibi Corozaïm*, *væ tibi Bethsaïda*, *quia si in Tyro & Sidone factæ essent*

virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent; unde sic: Conversio Tyriorum pendebat à conditione nunquam ponendâ, proinque erat futurum merè conditionatum: atqui tamen conversionem hanc certò prædixit, ac proinde certo prænoverat Christus. Unde Augustinus Lib. de bono persev. c. 9. *Numquid possumus dicere*, inquit, *etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cùm eis ipse Dominus attestetur, quod acturi essent pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum?*

Obj. 1°. SS. Augustinus, Prosper & Fulgentius sugillant scientiam conditionatorum velut Semipelagianorum figmentum; ergo.

R. dist. ant. Explodunt ad sensum Semipelagianorum, C. ad sensum nostrum, N. Scilicet cum Semipelagiani negarent necessitatem gratiæ ad initium fidei, asserebant consequenter fidem donari à Deo propter initium saltem aliquid bonæ voluntatis naturalis. Cumque illis objiciebantur exempla quorumdam Gentilium, qui absque ullis meritis præcedentibus ad fidem vocati, postmodum salutem consequuntur, respondebant id fieri quia noverat Deus eos ad credendum fore bene affectos, & viribus liberi arbitrii credituros, si ipsis Evangelium prædicaretur; & è contra alios rejici, quia prænoscebat Deus eos Evangelicæ veritati, si illis annuntiaretur rebelles futuros. Errorem hunc invictè confutat Aug. ex citato textu Sap. 4. *Raptus est &c.* ibi enim demeritum justi, si diutius viveret, nedum sit ratio cur puniatur, est potius motivum cur citius è vita eripiatur: at sensum nostrum non expugnat, sed disserte admittit, ut patet ex adducto ejus testimonio.

Obj. 2°. Ea prævideri nequeunt quæ nullam habent veritatem: atqui futura conditionata nullam habent veritatem; cum veritas eorum pendeat à conditione nunquam ponenda; ergo.

R. dist. maj. quæ nullam habent veritatem absolutam, vel conditionalem, C. quæ non habent absolutam, N. sufficit enim ut habeant conditionalem, tali autem veritate non carent ea objecta de quibus loquimur; namque positâ quâdam conditione vere futura essent.

Inst. Nulla potest esse veritas etiam conditionata, sine aliquo Dei decreto, saltem permissivo: atqui de futuris conditionatis nullum est prorsus Dei decretum.
R. dist. maj. sine aliquo decreto ponendo sub condi-

tione, C. ponendo absolute. N. hæc distinctio planior fiet ex dicendis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De medio in quo Deus omnia cognoscit.

NIhil cognosci potest nisi præsens exhibeatur intellectui, vel per se ipsum, vel per aliud quod se habeat ut medium in quo res absens videatur. Quæritur itaque an Deus res creatas videat in se ipsis, an in aliquo medio, & quodnam illud sit. Movetur difficultas de creaturis possibilibus, futuris contingentibus absolutis, & futuris conditionatis: sit

Conclusio I. Videt Deus res possibiles in propriis earum ideis in essentia sua contentis, cum ordine ad omnipotentiam.

Prob. Videt Deus res possibiles ut entia quorum attributa non repugnant, & quæ proinde é nihilo educi possunt: atqui ideæ divinæ repræsentant id omne quod non repugnat; omnipotentia verò connotat id omne quod é nihilo educi potest; ergo.

Conclusio II. Vix ac nê vix quidem explicari potest quo in medio videat Deus futura libera tum absoluta, tum conditionata.

Prob. 1°. ex Psal. 138. *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est & non potero ad eam;* quibus consonat id Augustini in Psal. 49. *Non audeamus dicere, quomodo novit Deus? Ne fortè hoc à me, fratres expectetis ut explicem vobis quomodo cognoscat Deus. Hoc solum dico: Non sic cognoscit ut homo, non sic cognoscit ut Angelus. Et quomodo cognoscit? dicere non audeo, quoniam & scire non possum:* atqui quod non poterant David & Augustinus, mirum est si Scholastici Theologi id possunt; ergo.

Prob. 2°. quia duplex præcipuè assignatur medium quo Deus prædicta futura intueatur, nempe decreta prædeterminantia, quæ in ordine tam naturali, quam supernaturali admittunt Thomistæ; & determinata futurorum veritas, quam Deus vel in essentia sua, vel in ipsis rebus mediante decreto indifferenti intueatur; atqui utrumque id medium altis obnoxium est difficultatibus: primum quidem, ad id enim necessum est ut admittatur præmotio physica ad omnes omnino actus: atqui præmotio hæc non videtur admittenda.

Prob. min. 1°. quia positâ præmotione physicâ De-

us magis est autor peccati, quàm diabolus. Diabolus enim moraliter tantùm excitat ad adulterium, v. g. imaginationi proponendo objecta quibus voluntas ad crimen accendatur; Deus verò non moraliter tantum, sed & physicè eadem objecta proponet, & cordis desiderium inflammabit.

2°. Positâ eâdem præmotione est quod homo de Deo conqueratur, non quod conqueratur Deus de homine. An non enim Deo sceleris poenas repetenti exprobrabit homo, se inopinantem & inconsultum, imò aliud prorsus cogitantem, physicè ad esum v. g. fructûs vetiti fuisse determinatum? An exprobrare poterit Deus Adæ quod eum fructum comederit, quem ab ipso comedi Deus efficaciter voluit? cùm utique id efficaciter fieri velit, ad quod efficaciter præmovet.

3°. Eadem præmotio impositum unicuique mandatum bene proximo suo consulendi subvertit. Ecquid enim consilii Adamo ad esum fructûs vetiti physicè prædeterminato dare potuisset vel ipse Angelus? num dixisset? Vide ne fructum hunc manduces. Respondisset Protoparens: Ad hunc esum à Deo ipso efficaciter præmoveor: sic autem præmotum, in sensu composito præmotionis non manducare implicat. Nam dixisset cum Goudino: Præmoveris ad hunc esum, non ut malus est, sed ut bonus; ut comedas, non ut malè comedas. Respondisset Adam: Penes Deum ipsum non est efficere, ut in hac tali circumstantiâ actionem simpliciter agendo, non eam eliciam ut malè est; nec à me misero pendet esûs materialis ab inobedientia formali separatio. Num pergeret Angelus: Potes tamen actum hunc non elicere, & servas potentiam ad oppositum. Forsitan negasset Adam antecedens, ut faciunt alii plures: sed quidquid de eo sit, statim regere potuisset Protoparens: Haud mihi tot opus erat consiliis ut scirem posse me non peccare; opus erat & consiliis & præmotione ut actu non peccarem; porrò præmotionem habeo ex qua immutabiliter comedam, nullam autem habeo, aut per me habere possum ex qua à comedendo abstineam. Deinde qui præmovet me ad comedendum, vult indubiè ut comedam; ergo resistam supremæ ejus voluntati, si non comedero &c.

4°. Præmotio physica tollit admirabilitatem scientiæ divinæ. Siquidem juxta prædeterminantes nihil videt Deus ante decretum; post decretum verò id unum videt quod videret cæcus. In hac enim actione: Prædefinio efficaciter ut si apud Tyrios fierent miracula,

daturus eis essem auxilium prædeterminans, ex quo eorum sequeretur pœnitentia: quid tandem est quod oculos Dei commendet? An quod suæ sibi conscius sit prædefinitionis: sed quis mortalium suæ sibi volitionis compos non sit? An quod ex illa videat secuturum auxilium prædeterminans, & ex isto pœnitentiam? sed quis hominum ignoret ex physica ad actum applicatione, actum infallibiliter sequi? Ecqui ergo opus sit cum S. Augustino exclamare: *Quomodo cognoscit Deus? Dicere non audeo, quoniam & scire non possum*, ergo stat. 1. Deum non videre futura in decretis prœdeterminantibus, seu absolutis, seu conditionatis.

Sed nec ea videt in ipsorum veritate dependenter à decreto solum indifferenti. Quæ enim determinatam veritatem non habent, in sua solùm veritate certo videri non possunt: sed quæ solùm viderentur in decreto indifferenti, non haberent veritatem determinatam. Ut enim futura Petri deambulatio determinatam & infallibiliter cognoscibilem veritatem habeat, necessum est ut Petri voluntas in priori momento ad sedendum vel ambulandum indifferens, in secundo videatur ad ambulandum potiùs, quam ad sedendum se determinatura: atqui implicat hanc ad unam præ alio determinationem videri in decreto indifferenti; cùm decretum eo ipso quo est indifferens, non magis unum quam aliud repræsentet: unde S. Thomas I. p. q. 14. a. 13. *Causa contingens se habet ad opposita, & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde qui cognoscit effectum contingentem in causa sua tantum, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem;* ergo nec in decretis prædeterminantibus, nec in non-prædeterminantibus Deus futura videre concipitur; ergo satiùs fortè fuerit suam hic cum Augustino inscitiam profiteri, quam altiora se quærere.

ARTICULUS III.

De variis Scientiæ Dei divisionibus.

ETsi unica sit, eaque simplicissima quantùm ad entitatem, Dei scientia, pro diversis tamen objectis multiplex distinguitur: scilicet 1°. alia dicitur *necessaria* seu naturalis, quæ versatur circa Deum ipsum & res possibiles; alia *libera*, quæ habet pro objecto creaturas: 2°. alia dicitur *speculativa*, quæ nihil operatur circa objectum suum; alia *practica* quæ opera-

tur: 3°. alia eſt *approbationis*, quæ intuetur & probat quæ bona ſunt; alia *improbationis* quæ improbat mala: 4°. alia dicitur *ſimplicis intelligentiæ*, quæ circa res poſſibiles; alia *viſionis* quæ circa res exiſtentes, vel aliquando futuras occupatur. Poſtrema hæc diviſio locum dedit famoſæ controverſiæ de ſcientia media.

Contendunt ſcilicet nonnulli Theologi diviſionem hanc adæquatam non eſſe, tertiumque membrum interſerendum putant, nempe ſcientiam conditionatorum, id eſt eorum quæ futura eſſent, ſi certa quædam poneretur conditio; & hanc vocant ſcientiam mediam, eo quod medium teneat inter ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & ſcientiam viſionis; aſſerunt prætereà uſum talis ſcientiæ neceſſarium eſſe in ſupernaturalibus, ut poſſit conciliari efficacia gratiæ, & infallibilitas decretorum divinorum, cum indifferentia libertatis humanæ. Prima hujus controverſiæ pars quæ *Philoſophica* vocari poteſt, leviſſimi eſt momenti ut paulo poſt patebit. Verùm aliud eſt de ſecunda parte: hæc enim utpote vere *Theologica*, eo gravioris eſt momenti, quod connexionem habet cum diverſis ſyſtematibus circa gratiam efficacem.

Thomiſtæ (ad quos quantùm ad gratiam præſentis ſtatûs accedunt ii qui Auguſtiniani vocantur) cùm gratiæ per ſe & ab intriſeco efficacis ac decretorum Dei abſolutorum neceſſitatem rigidè tueantur, inutilem omnino (nè quid ampliùs dicam) exiſtimant ſcientiam mediam, ſine quâ inquiunt, Deus certiſſimè cognoſcit in decretis ſuis abſolutis, ac virtute efficaci ſuæ gratiæ, quid homo facturus ſit, ſi hæc ipſi gratia conferatur.

Thomiſtis è diametro opponuntur ii qui nomine generali vocantur Moliniſtæ, licet non in omnibus Molinam ſequantur: hi enim cùm nullam agnoſcant gratiam quæ per ſe & ex naturâ ſuâ conjuncta ſit cum effectu, negant conſequenter Deum certo videre poſſe futuros actus ſupernaturales in ſolo decreto dandi gratiam efficacem; ſed neceſſarium eſſe exiſtimant ut priùs prioritate quâdam rationis per ſcientiam mediam exploraverit, quid actura eſſet voluntas, ſi talis ei vel talis gratia concederetur. Etſi hæc quæſtio vix in præſenti agitari poteſt, quin præoccupentur multa quæ ad gratiæ Tractatum pertinent; ei tamen paululum immorabimur. Sit itaque

Conclusio I. Opinio de ſcientia mediâ philoſophicè ſpectatâ, prout ab iis agitatur, qui decreta prædetermi-

nantia rejiciunt, potest dici quæstio de nomine.

Prob. Tunc lis est de nomine, cùm duo de re ipsâ consentientes, non nisi penès loquendi modum differunt: sed qui scientiam mediam admittunt vel rejiciunt, 1°. de re ipsâ consentiunt nimirum quod in Deo sit scientia futurorum conditionatorum, idque independenter à decreto per se efficaci; 2°. iidem de loquendi modo disputant. Qui enim scientiæ simplicis intelligentiæ & visionis notiones pro libito ità dilatant vel imminuunt, ut vel absolutè rejicienda sit scientia media, vel absolutè admittenda, hi de solo loquendi modo disputant; atqui talis est præsentis controversiæ conditio. Placet mihi ut futurorum conditionatorum cognitionem ad scientiam simplicis intelligentiæ referam, nullo id negotio assequar: dicam videlicet scientiæ simplicis intelligentiæ objectum esse non solùm necessaria & merè possibilia, quæ decretum omne præcedunt, sed & libera, quæ sub tali conditione futura essent, sed reipsa propter ejus defectum nunquam futura sunt: uno verbo, illud omne quod abstrahit ab actuali & absoluta existentia. Placet rursus eorumdem futurorum cognitionem revocare ad scientiam visionis: rem quoque consequar facillimè. Contendam cum Suare eam omnem scientiam, quæ rem quovis modo, id est, seu absolute, seu conditionatè futuram, considerata, scientiam visionis nuncupari debere; scientiam vero simplicis intelligentiæ eam nuncupando, quæ in sola possibilitate & prædicatis essentialibus sistit, & ab omni futuritione etiam conditionatâ præscindit. Denique si neutrum arrideat mihi, tertiam de qua nunc scientiæ speciem effingam, nempe scientiam simplicis intelligentiæ restringam ad cognitionem objecti abstrahentis ab omni futuritione etiam conditionatâ; scientiam vero visionis ad cognitionem eorum duntaxat quæ certo futura sunt; unde colligam mediâ opus esse scientiâ, quæ conditionata respiciat; cùm ea nec absolutè futura sint, nec aliunde sint de merè possibilibus, quæ juxta me, necessario abstrahere debent à futuritione conditionatâ. Et vero pergam, res conditionaliter futuræ non parùm discrepant à rebus merè possibilibus. Fiant enim duæ hæ propositiones: Si Petrus tali modo vocaretur, posset consentire: Si Petrus tali modo vocaretur, posset non consentire; duæ illæ propositiones sunt de possibili sub conditione, & sunt simul veræ. Fiant rursus duæ istæ propositiones:

Si Petrus tali modo vocaretur, consentiret; Si Petrus tali modo vocaretur, non consentiret; duæ illæ propositiones sunt de futuro sub conditione, & non possunt esse simul veræ: imò earum una est determinatè vera, altera determinatè falsa; ergo inquam, res sub conditione futuræ, non idem omninò sunt cum rebus merè possibilibus; ergo iterum nihil loquuntur absurdi qui tertiam hanc partem amplectuntur.

Conclusio II. Opinio de Scientia media spectata theologicè, seu eos inter qui decreta ab intrinseco efficacia admittunt vel rejiciunt, non est quæstio de nomine.

Prob. Tunc quæstio de nomine non est, quando quis concepta adversarii sui mente expressè id negat quod ab eo asseritur: sed qui scientiam mediam admittunt eo ipso expressè negant id quod asserunt Thomistæ, aliique efficaciam decretorum vindices. Rem nitidè, ut solet, exponit P. Daniel Epist. 2. ad Nat. Alexandrum: sic ille: *Souvenons-nous que tenir la science moyenne, c'est* 1°. *ne point réduire la science des conditionnelles ou à la science de simple intelligence, ou à la science de vision, ou à toutes les deux; que c'est en second lieu admettre la science des conditionnelles dans le systême de la prédestination avant tout décret, & indépendamment de tout décret. Nier au contraire que la chose soit ainsi, c'est combatre la science moyenne.*

Conclusio III. Scientia media posteriori hoc sensu sumpta, quatenus nimirum decreta de se efficacia, potissimum Thomistico sensu, excludit, gravibus fulcitur momentis, sed & gravibus impugnatur. Utraque pars fusiùs exolvetur in Tract. de Gratia, nunc multo paucioribus.

Prob. 1. pars ex celebri textu Matth. 11. 21. ubi sic Christus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent*: unde sic: Objurgat eo loci Christus Judæos comparatè ad Tyrios, quia factis apud se miraculis non egerint pœnitentiam, quam factis apud se iisdem miraculis acturi fuissent Tyrii: atqui quo ore rebelles Judæos comparatè ad Tyrios objurgat Christus, eodem decreta prædeterminantia explodit. Ut enim decreta prædeterminantia explodat Christus, sufficit ut Tyriorum pœnitentiam in decreto conditionato prædeterminante videre non potuerit: atqui Christus eo ipso quo Judæos comparate ad Tyrios objurgat, horum pœnitentiam in Decreto ipsam prædeterminante vide-

re non potuit. Prob. min. Ut quis objurgationem absolutam mereatur, sufficit quidem ut non fecerit aliquid quod poterat & tenebatur facere: sed ut quis mereatur objurgationem comparativam, requiritur insuper ut non fecerit rem quam poterat & tenebatur facere, alio rem eandem in iisdem aut similibus circumstantiis faciente aut facturo; ità ut qui objurgatur comparate, omnia ad operandum necessaria habere debeat, non minus quam alter, & æquales saltem cum illo vires, & facultatem operandi, si non majorem, at certe parem. Principium illud, quod cuique terminos intelligenti evidens est, palpabile faciam exemplo duplici: Sint cursores duo, qui acceptis ab eodem domino equis in stadio currant, ille equo vectus tardissimo, iste velocissimo: teneantur ambo certum intra tempus ad metam pervenire, non perveniat autem unus, nempe cursor equi tardissimi; objurgari quidem potest, quod ad metam non pervenerit, si potuit pervenire; at profecto objurgari non potest comparate ad alium cursorem, & rideretur qui sic hominem increparet: Næ tu stolidus & es iners? non te pudet, quod cum vili caballo non deveneris ad metam, non secus ac alter cum equo quadrupedante. Sic quoque rideretur, qui Centurionem increparet, quod cum militibus centum eam arcem non expugnaverit, quam expugnarit alter cum integrâ legione. Constat igitur objurgationem comparativam postulare, ut in eo qui increpatur, minor non sit operandi facultas, quam in eo ex cujus comparatione ducitur reprehensio: atqui si Christus videbat decretum prædeterminans pœnitentiam Tyriorum, & non videbat decretum prædeterminans pœnitentiam Judæorum, non videbat in Judæis omnia ad pœnitentiam concurrentia, sicut videbat in Tyriis; non videbat æquales Judæorum vires cum viribus Tyriorum. Videbat enim Tyrios auxilio efficaci præveniendos fore, Judæos autem auxilio tantùm sufficienti præventos; ergo Judæos quidem objurgare poterat, sed objurgare non poterat comparate ad Tyrios.

Confirm. 1°. quia Tyrii, si præviderentur destituti decreto ipsorum pœnitentiam prædeterminante, quemadmodum Judæi, nihilo plus præviderentur acturi pœnitentiam, quam Judæi; ergo nihil est in Tyriis unde Judæi præ Tyriis culpabiles judicentur.

Confirm. 2°. quia Judæi, posito decreto ipsorum pœnitentiam prædeterminante, non minùs pœniten-

tiam acturi erant, quàm Tyriis; ergo præ Tyriis culpandi non erant; cùm in iisdem positi circumstantiis, eodem modo præviderentur operaturi.

Confirm. 3°. quia objurgatio legitima nullum legitimæ excusationi locum relinquit: atqui objurgatio Judæis à Christo facta legitimæ excusationi locum relinquit in systemate decreti prædeterminantis. Siquidem poterant increpanti Christo respondere: Quid Tyrios nobis objectas? quid quereris Judæorum conditionem absolutam à conditionato Tyriorum statu diversam esse?

Vel quereris quod in te non sit decretum prædeterminans poenitentiam nostram, sicuti futurum esset decretum prædeterminans poenitentiam Tyriorum; vel quereris quod positâ in te illâ decretorum diversitate sit nos inter & Tyrios operandi diversitas: atqui neutrum justè quereris. Non 1. pendet enim ex te decretum prædeterminans habere, non à nobis: si quæ igitur hic subest culpa, tua est. Non 2. quia positâ illâ tuæ voluntatis diversitate circa nos fieri nequit, ut non sit in nobis operandi diversitas. Quid ergo quereris esse in nobis relativè ad Tyrios, quod factâ suppositione, quæ à nobis non pendet, quamque tu posuisti, solus, futurum erat in Tyriis sicut & in nobis? Ad hæc nemo hominum videat quid respondere possit is de quo scriptum est: *Stupebant omnes super prudentiâ & responsis ejus.*

Confirm. 4°. Ea est objurgationis comparativæ legitimæ ratio, ut objurgato justam inferat pudoris causam quæ prodeat ex consideratione illius, unde comparatio deducitur: atqui in systemate Prædeterminantium, objurgatio Christi justam non infert Judæis pudendi causam provenientem ex Tyriorum consideratione. Prob. min. Pudore suffundi nequeunt Judæi, quia non fecerint quod facturi erant Tyrii, si nemo hominum aut Angelorum in iisdem positus circumstantiis in quibus supponuntur Judæi, faceret id quod Tyrii facturi fuissent: atqui nemo hominum vel Angelorum in iisdem positus circumstantiis in quibus supponuntur Judæi, faceret id quod Tyrii facturi essent: sed homines omnes, omnes Angeli, imò omnes creatæ voluntates eodem haberent se modo quo Judæi. Nulla enim creata voluntas poenitentiam faceret sine decreto prædeterminante ad poenitentiam uti volunt Prædeterminantes, & hoc decretum pro Judæis datum non erat; ergo.

Huic argumento ut respondeant Thomistæ, mirum quam variis se versent & torqueant modis. Itaque

Respondent 1°. quidam mysterii profunditatem admirantes exclamando cum Doctore Gentium: *O altitudo!*

Verùm non satisfit exclamando, si intempestive exclametur: alioqui quot passim admitterentur absurda. Quæ igitur nec fide, nec ratione constant, admitti non possunt in Deo, si præsertim insuperabilem habeant difficultatem: atqui decretum prædeterminans, nec profecto revelatum est, nec ratione naturali constat; & difficultatem habet invictam: ergo.

Respondent 2°. alii Judæos præ Tyriis culpabiles esse, quia obligationem habent faciendæ pœnitentiæ non minùs quam Tyrii, & in utrisque æqualia sunt quæ dant posse agere, quamvis inæqualia sint quæ dant agere: nimirùm enim decretum & prædeterminatio non dant posse, sed agere.

Refelluntur; nam 1°. si est in Judæis obligatio faciendæ pœnitentiæ, vel est obligatio faciendi ut sit in Deo decretum prædeterminans, vel conjungendi pœnitentiam cum negatione decreti prædeterminantis; sed utrumque Judæis est impossibile; vel saltem non est actu possibile Judæis, ut actu possibile futurum erat Tyriis.

Contra 2°. vix intelligi potest vera operandi potestas in eo, qui nullâ suâ culpâ caret aliquo ad actu operandum necessario.

Contra 3°. demus esse in Judæis veram obligationem & potestatem operandi: demus etiam auxilium prædeterminans non esse necessarium ad *posse*, sed solùm ad *agere*; adhuc tamen indubium erit, Judæos qui non operantur, carere aliquo ad operandum necessario, quo non carebant Tyrii: Constabit rursus Judæos, si illo necessario non carerent, perinde ac Tyrios pœnitentiam facturos fuisse: Constabit denique Tyrios, si illo carerent, nihilo plus pœnitentiam facturos fuisse quam Judæos; & eodem modo respectu Tyriorum habituros se fuisse, quo se habuêre Judæi, non omnes homines modo, sed & Angelos, in iisdem positos circumstantiis in quibus erant Judæi; ergo si videtur Tyriorum pœnitentia in decreto prædeterminante, constat semper Judæos præ Tyriis non esse culpabiles.

Respondent 3°. nonnulli Judæos præ Tyriis culpa-

biles esse, quod plura gratiæ prædeterminanti posuerint impedimenta.

Refelluntur: 1°. enim quis credat Judæos, electam Dei gentem, plura antecedenter ad abusum prædicationis Christi posuisse impedimenta, quam Tyrios omni vitiorum generi mancipatos, aut infames Sodomitas?

2°. Fatentur Thomistæ auxilium prædeterminans quandoque dari indignioribus; ergo extra rem est responsio.

3°. In ipsa impedimentorum positione aut remotione eadem est difficultas quæ in omissione aut operatione pœnitentiæ: illa enim impedimentorum positio vel remotio, pendet pariter à decreto prædeterminante; ergo transfertur difficultas, non solvitur; ergo iterùm scientia Dei quæ decreta prædeterminantia abigit, gravibus fulcitur momentis, sed & gravibus impeditur. Unde

Prob. 2. pars: S. Paulus hisce verbis: *Quis enim te discernit? quid habes quod non accepisti?* prout ab Augustino, sanctisque ejus Discipulis constanter intellecta sunt, ostendit primam radicem discretionis per quam is qui pie agit, discernitur ab eo qui non agit, esse Deum, non libertatem humanam: atqui admissâ scientiâ mediâ jàm non ipse Deus, sed homo, prima erit hujusce discretionis radix. Atque id ut mage magisque explicetur, supponamus Petrum & Paulum eâdem instructos esse gratiâ, in iisdemque positos circumstantiis, ità ut alter divinæ voluntati consentiat, alter eidem refragetur. Dico autem quod in ea hypothesi Petrus prima sit discretionis suæ radix: non dico, quod summe notandum, prima bonæ suæ actionis causa: absit enim ut scientiæ mediæ defensores in Semipelagianos traducere velim; dico, quod satis & nimium est, prima suæ discretionis radix. Sic autem probo: Ille est prima suæ discretionis causa, qui actum bonum de statu possibilis transfert ad statum existentis; tota enim Petrum inter & Paulum discriminis ratio inde deducitur, quod Petrus actum eliciat, qui respectu Pauli remanet in genere mere possibilis: atqui admissâ scientiâ mediâ Petrus transfert actum.... Vel enim Petrus ipse transfert actum bonum à statu possibilitatis ad statum existentiæ, vel gratia, vel ipse Deus: Non gratia, cùm sit par in utroque; non Deus. Ut enim Deus actum bonum diceretur transferre à statu possibilitatis ad statum existentiæ, vel futuritionis conditio-

natæ, ideoque Petrum discerneret à Paulo, deberet Petro dare id quo Paulus à Petro superatur, & vicissim Petrus à Deo illud recipere quo Paulum vincit: atqui in hypothesi scientiæ mediæ Deus non dat Petro id quo Petrus Paulum vincit. Id enim quo alter alterum vincit, est consensus salutaris: sed Deus non dat Petro consensum hunc salutarem; alioqui tribueret Deus Petro aliquid quod non tribuit Paulo, quod scientiæ mediæ repugnat; ergo Petrus tunc se discernit à Paulo; ergo Molinæ systema cum Apostoli systemate conciliari nequit. Ut enim loquitur Aug. L. de prædest. SS. c. 5. *Nihil huic sensui*, id est his Apostoli verbis, *Quis te discernit? tam contrarium, quam de suis meritis sic quemquam gloriari tanquam sibi ipse ea fecerit, non gratia Dei, sed gratia quæ bonos discernit à malis, non quæ communis est bonis & malis.*

Respondent aliqui, 1°. cum Ferrerio insigni Societatis Jesu Theologo, disp. 5. cap. 2. Petrum tunc à Paulo discretum iri per consensum, qui in gratiam & voluntatem refundi debent; in gratiam quidem, ut in causam magis præcipuam, quia hæc Petri voluntatem inclinat & elevat ad hujusmodi consensum; in voluntatem vero ut in causam minùs præcipuam; 2°. alii discretionem hanc deducunt partim à gratia, partim à libero arbitrio, ut eadem navis partim ab homine, partim ab equo trahitur; 3°. alii discretionem illam reducunt ad gratiam congruam, quæ licet in ratione entis, seu in esse physico æqualis sit in consentiente, & in non consentiente, major tamen est in esse moris, & in ratione beneficii in eo qui convertitur, quatenus ei datur in circumstantiis in quibus Deus eum per scientiam mediam prævidit esse consensurum.

Verùm responsa hæc difficultate minora esse liquet. Illud enim discernit, non quod se habet concomitanter ad actum, sed quod determinat ad actum; non quod duobus commune est, sed quod unius est proprium: atqui positâ scientiâ mediâ gratia determinatur quidem à voluntate, sed voluntatem, alliciat licet, non tamen efficienter determinat. Gratia enim hic distinguitur duplex à scientiæ mediæ asseclis, altera moraliter excitans, altera coefficientiæ: porro neutra vere determinat. Non prima, cùm hæc, juxta Molinam, & Lessium, quandoque vehementior sit & vivacior in eo qui dissentit, quam in eo qui consentit: cùm igitur duorum discretio ab eo repeti non possit in quo causæ conveniunt, non potest hæc à tali gratiâ repeti. Ne-

que etiam eadem determinatio repeti potest à gratia coefficientiæ, seu à concursu simultaneo supernaturali; tum quia concursus ille est indifferens; tum quia actio quæ voluntatis determinationem supponit, non facit sed factam supponit discretionem.

Confirm. quia illud discernit quod est causa principalis actionis: atqui Petri libertas in hypothesi scientiæ mediæ est principalis causa actionis. Scilicet enim causa determinans & vitaliter efficiens, cum causa morali & indifferenti comparata, est huic vi & efficacitate superior, adeoque est simpliciter principalis: atqui in hypothesi scientiæ mediæ libertas Petri est causa determinans, & simpliciter efficiens; gratia vero, causa moralis & indifferens; ergo in hac hypothesi libertas est principalis discretionis causa, non Deus: atque id aliquando, cùm liberiùs loquerentur, expresse confessi sunt ii ex adversariis, qui scientiæ mediæ systema pleniùs indagarunt. Sic Lessius de Grat. efficaci, c.12.n.3. *Quod conversio hic & nunc potiùs fiat quàm aliàs, & alio modo, hujus causa directa & principalis est liberum arbitrium, quamvis non sine auxilio gratiæ*. Vide Massoulie differt. 3. q. 2. a. 18. p. mihi 83.

Confirm. 2°. In eo systemate discernit se homo, in quo plus nonnunquam liberum arbitrium in actionem bonam influit, quàm gratia; secus ac Augustino visum est; atqui juxta Molinam plus aliquando... supponit enim ille in concordiâ q. 14. a. 13. disp. 39. ex duobus hominibus eâdem instructis gratiâ alium præ alio ferventiorem actum elicere, ità ut *à propria industria, conatuve majori vel minori liberi arbitrii proveniat quod plus aut minùs quisque lucretur*. Tunc autem unde discerni potest qui ferventiorem actum emittit, nisi à propria industria. Jam vero idipsum est quod olim damnabat Augustinus Lib. 1. ad Simplician. q. 2. n. 21. quia, inquiebat, *Ut sit nutus voluntatis, ut sit industria studii, ut sint opera caritate ferventia, ille*, Deus, *tribuit, ille largitur*.

Plura hic congerere superfluum fuerit, quia hæc denuo ubi de gratia efficaci pertractanda erunt. Ex iis interim colliget vir studiosus, 1°. nemini eorum qui cum bonâ Eclesiæ veniâ hanc vel illam partem amplectuntur, facilè dicendum esse anathema, ut ii facere videntur, qui renovatum à Thomistis Calvini systema, à Molinianis vero semipelagianum hæresim inverecundè clamitant; 2°. sat in his peritum esse, qui utriusque

partis momenta novit, etſi veritus, ne fors utraque peccet, aliam præ aliâ pro aris & focis tutari non auſit.

ARTICULUS IV.

An & quæ Scientia Dei ſit cauſa rerum.

TRia hic inquiruntur, 1°. an Dei ſcientia, rerum quæ factæ ſunt cauſa dici poſſit; 2°. an ſi ſic, ſit earum rerum cauſa efficiens, an ſolùm directrix; 3°. an munus illud ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ competat, an ſcientiæ viſionis, vel conditionatorum. Sit

Conclusio I. Scientia Dei cauſa rerum dici poteſt.

Prob. Scientia Dei ſe habet ad res creatas, ſicut ſcientia artificis ad artefacta: atqui ſcientia artificis dici poteſt artefactorum cauſa. Artifex enim operari nequit niſi in mente ideam gerat eorum quæ facturus eſt.

Conclusio II. Scientia Dei non eſt cauſa rerum efficiens, ſed directrix.

Prob. 1°. ex Scripturis, quæ creaturarum directionem tribuunt divinæ ſcientiæ. Sic Jerem. 1. *Præparat orbem in ſapientia ſua ;* productionem verò divinæ voluntati, Epheſ. I. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ*

Prob. 2°. Si ſcientia Dei eſſet efficiens creaturarum cauſa, res ideo futuræ eſſent quia à Deo cognoſcuntur: atqui ideo è contra juxta Patres cognoſcuntur, quia futuræ ſunt. Prob. min. tum ex Origene, qui in cap. 8. Ep. ad Rom. *Non propterea*, inquit, *erit aliquid, quia id ſcit Deus futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo antequam fiat ;* tum ex S. Hieronymo in c. 26. Jerem. ubi hæc habet: *Non ex eo quod Deus ſcit, aliquid futurum, idcirco futurum eſt, ſed quia futurum eſt, Deus novit, quaſi præſcius futurorum.*

Prob. 3°. quia ut artifex quidpiam operetur, non ſufficit ut mente gerat ideam rei faciendæ, ſed neceſſum eſt inſuper ut operi manum admovere velit; ergo pariter ut Deus creaturas producat, non ſufficit ut illarum ideam habeat, ſed oportet ut ideæ huic liberum omnipotentiæ ſuæ decretum adjungat.

Conclusio III. Scientia Dei in rerum productione directrix, eſt ſcientia non viſionis, ſed intelligentiæ.

Prob. Scientia quæ eſt rerum cauſa facit, non autem factum ſupponit objectum ſuum: atqui ſcientia

visionis objectum suum jam factum supponit; cùm scientia visionis pro objecto habeat res jam existentes; ergo.

Dices: scientia quæ est causa rerum habet pro objecto existentiam rerum: sed scientia quæ pro objecto habet existentiam rerum est visionis.

R. dist. maj. habet pro objecto existentiam rerum, ut ponendam vi decreti sequentis, C. ut jam decretam, N. porrò scientia visionis ìd tantùm attingit cujus existentia jam decreta est, & quà talis in certa temporis differentiâ ponenda.

QUÆSTIO SEXTA.

De Dei Voluntate,

NOmine voluntatis intelligitur tum facultas, quæ præviâ cognitione itellectûs, bonum prosequitur, & aversatur malum; quæque finem intendit, & propter ipsum eligit media; tum istius facultatis actus, quo sensu dicitur quod sit in Deo voluntas salvandi omnes.

Circa voluntatem Dei hæc expendenda: 1°. an & quotuplex sit, & quale sit ejus objectum: 2°. quæ sint illius proprietates; 3°. utrùm in Deo sit vera & sincera voluntas salvandi omnes, &c.

ARTICULUS PRIMUS.

De divisione & objecto Voluntatis Dei

ESse in Deo voluntatem æquè docent fides & ratio. Fides, Ephes. 1. *Operatur* Deus *omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Ratio, quia voluntas est perfectio simpliciter simplex, quæ est melior ipsa quàm non ipsa. Unde cùm Deus sit ens perfectissimum, voluntate præditus sit plane necesse est.

Voluntas Dei dividitur, 1°. in voluntatem beneplaciti & signi. Voluntas beneplaciti est internus actus voluntatis divinæ, prout ad aliquod objectum Deo placens terminatur, qualis est voluntas dandi gloriam electis. Voluntas signi prout opponitur voluntati beneplaciti, non est verus actus divinæ voluntatis, sed ejus duntaxat signum aliquod, quod impropriè dicitur voluntas, sicut testamentum dicitur voluntas testato-

ris, quia est signum voluntatis ejus ultimæ. Signum porrò divinæ voluntatis quintuplex distinguitur, scilicet præceptum, prohibitio, consilium, permissio & operatio; quæ exprimuntur hoc versu,

Præcipit aut prohibet, permittit, consulit, implet.

Quamvis autem voluntas signi, ut talis est, non sit actus internus, supponit tamen semper aliquem actum internum, aliàs signa jam falsa forent, & immeritò dicerentur voluntas Dei. Sic in ipsa etiam permissione peccati Deus vere interiùs vult, non quidem peccatum ipsum, sed experimentum libertatis humanæ. Haud tamen semper ex signo exteriori colligi potest quid Deus intrinsece velit. Sic cùm præcepit Deus Abrahæ ut filium suum immolaret, haud volebat immolationem hanc, sed solùm fidei & obedientiæ Abrahami manifestationem. Atque hinc quæritur, quâ ratione dignosci queat voluntatem beneplaciti consociari voluntati signi. Estius hanc affert regulam; meram esse signi voluntatem, non autem beneplaciti quoties ea quæ Deus exterius præcipit vel consulit non eveniunt, vel ea quæ prohibet, fiunt.

Refellitur, 1°. quia si res ità foret, mandata quibus Deus declarat velle se ut operemur bonum, & abstineamus à malo, seria non essent, sed illusoria, ubi prævidet ea non observanda: atqui tamen vere pronuntiavit Ecclesiasticus c. 34. *Est beneplacitum Domino recedere ab iniquitate;* vere dixit Apostolus I. ad Thessal. 4. v. 3. *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione;* 2°. quia qui non faciunt quæ Deus jubet, vel qui ab iis non abstinent quæ prohibet, non facerent contra Dei voluntatem veram sed metaphoricam, adeoque in rei veritate non essent infractores voluntatis divinæ; 3°. quia jam Deus vere & ex animo non vellet ut salvi fiant qui pereunt, ut præcepta observent qui ea violant: si enim, juxta adversarios, Deus illud sincere ex beneplacito velle, certissime fieret: atqui hæc absurda sunt & fidei adversa; ergo.

Dividitur 2°. voluntas Dei in antecedentem, & consequentem. Voluntas *antecedens* ea dicitur quæ objectum considerat in se, præcisis circumstantiis, atqui à S. Joan. Damasceno appellatur *voluntas bonitatis & misericordiæ*: tali voluntate vult Deus omnium salutem; voluntas *consequens* dicitur ea quæ objectum suum considerat omnibus vestitum circumstantiis, & dicitur *vo-*

luntas justitiæ; tali voluntate vult Deus aliquos damnare, consideratis eorum peccatis.

Divisionem hanc admittunt & admittere debent Catholici omnes; & revera hanc disertè tradunt; 1°. S. Chrysost. Hom. 1. in Epist. ad Ephes. ubi sic loquitur: *voluntas prima est, ut non pereant qui non peccarunt; voluntas secunda est ut qui facti sunt mali, pereant*: hæc voluntas secunda quâ reprobi addicuntur poenis, haud dubiè est consequens; voluntas autem prima quæ nondum supponit peccatum prævisum, est antecedens; 2°. S. Joan. Damascenus L. 2. de fide c. 29. ubi sic: *Hoc itidem nosse oportet, Deum primariâ & antecedente voluntate velle omnes salvos esse & regni sui compotes fieri. Non enim nos ut puniret condidit; sed quia bonus est, ad hoc ut bonitatis suæ participes essemus: peccantes porrò puniri vult, quia justus est. Itaque prima illa voluntas, antecedens dicitur & beneplacitum cujus ipse causa sit: secunda autem, consequens voluntas & permissio, ex nostra causa ortum habet*; 3°. S. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. ubi hæc habet: *Secundum Damascenum*, id Apostoli, *qui vult omnes homines salvos fieri, intelligitur de voluntate antecedente, non de voluntate consequente*; deinde ut amplius rem declaret, observat Deum nihil velle, nisi sub ratione boni, sæpius autem contingere ut res quæ absolute & antecedenter est bona, contrario modo se habeat, consequenter ad speciales circumstantias: *Sicut hominem vivere*, inquit, *est bonum, & hominem occidi est malum secundùm absolutam considerationem; sed si addatur circa aliquem hominem, quod sit homicida, vel vivens in periculum multitudinis, sic bonum est eum occidi, & malum est eum vivere. Unde potest dici quod Judex justus antecedenter vult omnem hominem vivere, sed consequenter vult homicidam suspendi. Similiter Deus antecedenter vult omnem hominem salvari, sed consequenter vult quosdam damnari, secundum exigentiam suæ justitiæ.*

Porrò voluntatem hanc antecedentem, sinceram esse non mere metaphoricam, patet 1°. quia objectum ejus in se bonum est & amabile; 2°. quia juxta laudatos Doctores voluntas antecedens, sicut & consequens est species voluntatis beneplaciti, quam omnes consentiunt esse veram & formalem: *Prima illa voluntas*, inquit S. Damascenus, *antecedens dicitur ac beneplacitum, cujus ipse causa sit*; pari modo S. Chrysostomus post verba superius adducta, primam voluntatem vocat vehementem εὐδοκίαν, id est, *beneplacitum, voluntatem*

cum desiderio, & addit rationem; quia Deus *valde cupit, valde desiderat nostram salutem.* Et S. Thomas de verit. q. 23. art. 3. *Invenitur in Deo propriè ratio voluntatis, & voluntas propriè de Deo dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & consequentem distinguitur.*

Dividitur 3°. in absolutam, quæ à nulla conditione pendet, sed ab uno Dei libero arbitrio, qualis est voluntas creandi mundum: & conditionatam quæ pendet ab aliqua conditione, qualis est voluntas salvandi omnes, si velint illi gratiâ adjuti, Dei mandata observare. Duplicem hanc voluntatem in Deo existere perspicuum est ex ipsis exemplis allatis. Jam quæritur quale sit objectum divinæ voluntatis.

Not. Objectum divinæ voluntatis, seu divini amoris, duplex: primarium quod propter se amatur, & propter quod amantur cetera; secundarium quod amatur propter aliud. Sit

Conclusio I. Deus amat seipsum primario.

Prob. Voluntas perfectissima non potest non amare bonum perfectissimum; atqui Deus &c.

Conclusio. II. Amat etiam Deus creaturas, sive existentes, sive possibiles.

Prob. 1. pars: divina voluntas fertur in id omne quod habet rationem boni: atqui omnes creaturæ existentes habent aliquam rationem boni, juxta illud I. Tim. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* & Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona;* unde Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.*

Prob. 2. pars, quia creaturæ possibiles sunt suo modo bonæ; cùm in possibilitate sua totidem sint modi diversi participabilitatis perfectionum divinarum.

Not. Amor relativè ad possibilia est amor simplicis complacentiæ, quia ex amore illo Deus nihil operatur circa res possibiles: at vero erga res existentes, est amor benevolentiæ, quia vi illius Deus ipsis benefacit, creando & conservando. Rursum amor Dei erga seipsum & res possibiles est necessarius; quia amabilitas divina, sive secundùm se, sive ut participabilis à creaturis possibilibus, est necessaria. Amor autem erga creaturas existentes, est per se contingens, & hypotheticè tantùm necessarius.

Quæres an sicut Deus vult & amat omne bonum, sic velit malum. Triplicis autem generis mala distinguuntur, naturæ, pœnæ & culpæ. Itèm duplici modo

Deus potest aliquid velle, directè scilicet & indirectè: directè quidem, quando illud in se vult & propter ipsum: indirectè autem, quando illud vult propter aliud.

R. 1°. Deum per accidens tantùm velle mala naturæ, qualia sunt monstra; illud quippe Deus non vult directè quod per se & propter se non est amabile: atqui mala naturæ, formaliter scilicet sumpta, non sunt amabilia, cùm habeant rationem defectûs; attamen in ipsis monstris, ratione entitatis, est quædam bonitas quæ potest esse objectum amoris Dei.

R. 2°. Deum velle pariter mala pœnæ indirectæ tantum: ratio est quia non sunt expetibilia propter se, sed tantùm propter aliud; de hoc genere malorum dicit Amos, cap. 3. *Si erit malum in civitate quod non fecerit Dominus.* Isaiæ 45. *Ego Dominus formans lucem & tenebras....faciens pacem & creans malum.*

R. 3°. Deum nulla prorsus ratione neque directe, neque indirecte velle mala culpæ; sic enim habetur Psalm. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Sap. 14. v. 9. *Odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Jacobi 1. v. 13. *Deus intentator malorum est.* Ratio est quia mala culpæ, non solum nullam habent rationem boni, sed & directam habent cum divina rectitudine oppositionem. Sed de his fusiùs in Tract. de peccatis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De proprietatibus Voluntatis divinæ.

PRoprietates voluntatis divinæ de quibus hic disputatur, sunt efficacia & libertas.

§. I. *De efficacia Voluntatis divinæ.*

Explicandum hic an & quo sensu voluntas Dei semper impleatur.

Conclusio I. In iis quæ Deus operatur sine creaturæ liberæ cooperatione, Dei voluntas semper impletur, neque illi resisti potest.

Prob. ex Scrituris: Esther 13. v. 9. *Domine Deus Rex omnipotens....non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.* II. Paralip. 20. *In manu tuâ est fortitudo, nec quisquam potest tibi resistere.* Job. 9. v. 13. *Deus cujus iræ nemo resistere potest.*

Frustrà Janseniani hæc & alia hujusmodi Scripturæ testimonia opponunt, ut efficiant divinæ gratiæ nunquam resisti; namque his in locis sermo non est de

notione interioris gratiæ, & cooperatione creatæ voluntatis, sed de externis divinæ potentiæ operibus quæ Deus solus efficit. Sic Esther 13. Mardocheus petit à Deo singularem omnipotentiæ ipsius operationem, quâ nefandum superbissimi Aman contra Judæos consilium penitùs dissipetur. Sic Paral. II. veritus Josaphat ne ingruenti hostium multitudine opprimatur, Deum rogat ut impendens Judæis malum avertat in manu extenta, quæ toties Israëlitas liberavit, &c.

Conclusio II. Datur in Deo voluntas absoluta & efficax, etiam circa actus liberos quæ semper impletur.

Prob. 1°. ex Scripturis: Psalm. 113. *Dominus noster in cœlo, omnia quæcumque voluit fecit.* Isaiæ 44. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?*

Prob. 2°. ex Patribus quorum instar sit Augustinus. Sic ille Enchirid. c. 96. *Neque veraciter ob aliud vocatur omnipotens, nisi quoniam quidquid vult potest, nec voluntate cujusvis creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et paulò ante: *Nisi hoc credamus, periclitatur ipsum nostræ confessionis initium, quâ nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur.* Id vero de liberis quoque hominum voluntatibus intelligendum esse constat ex his cap. 98. verbis: *Quis enim tam impiè desipiat ut dicat Deum malas hominum voluntates quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, non posse convertere?* Neque tamen hinc colligi potest Deum ipsa etiam peccata operari, prout ostendemus in Tract. de peccatis.

Conclusio III. Voluntas Dei conditionata, cujus conditio à solo Deo non pendet, sed à libera creatæ voluntatis cooperatione, non semper impletur.

Prob. 1°. ex Scriptura: Proverb. 1. v. 24. *Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis.* Ezech. 24. v. 13. *Mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis.* Matth. 23. v. 37. *Jerusalem... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Act. 7. v. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Et vero juxta S. Petrum, Epist. II. c. 3. *Deus neminem vult perire; sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et ex Paulo I. ad Tim. 2. v. 4. Deus *vult omnes homines salvos fieri:* atqui voluntas illa, quæ, ut supra ostensum est, non est signi tantùm, sed & beneplaciti, non

ſemper impletur; quia pendet à conditione cui deficit homo; ergo.

Prob. 2°. ex Auguſt. Lib. de Catech. rudibus c. 26. *Deus vult homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui*; en conditio non reſiſtentiæ quàm ab hominibus exigit Deus, ut impleat, quam habet de ſalute illorum, voluntatem; ſed de his pleniùs infrà.

§. II. *De libertate divinæ Voluntatis.*

Libertatem non quidem à coactione, ſed electivam Deo abnegarunt Abaëlardus, Wiclefus, Lutherus, &c. Alii quidam docuerunt Deum equidem pro libito ad extra agere, vel non agere, ſed in hypotheſi quod extra ſe operetur, neceſſum eſſe ut id faciat quod eſt optimum. Sit

Conclusio I. Deus eſt circa creaturas liberrimus. Eſt de fide.

Prob. 1°. ex Scripturis: Pſalm. 93. *Deus ultionum liberè egit.* Epheſ. 1. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*: porrò quod ſit ſecundùm conſilium voluntatis, non fit ex neceſſitate. I. Cor. 12. *Hæc operatur unus & idem Spiritus, dividens ſingulis prout vult*; id eſt, ait S. Ambroſius L. 2. de fide, c. 3. *pro libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio.*

Prob. 2°. ratione: Si Deus ex neceſſitate ſemper ageret extra ſe, admittenda eſſent impia hæc Spinoſæ conſectaria, Deum nec orandum eſſe, nec timendum; nam ſi ad ea omnia quæ agit, neceſſario determinatur, fruſtra rogatur in adverſis, ut res aliter fiant, nec timendum eſt ne ſuâ voluntate eventus nobis proſperos avertat. Accedit ratio communis omnibus attributis, quod libertas ſit perfectio ſimpliciter ſimplex, quæ Deo denegari non poteſt.

Obj. Deus ab æterno fuit determinatus ad ea producenda quæ produxit in tempore; ergo non fuit indifferens & liber.

R. diſt. conſeq. Non fuit indifferens indifferentiâ ſuſpenſionis, quaſi indiguiſſet aliquo tempore ad deliberandum, C. non fuit indifferens indifferentiâ electionis, N. Nam indifferentia electionis eſt potentia agendi & non agendi poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis: atqui talis ab æterno in Deo fuit potentia; cùm enim non aliunde, ſed ex propria electione determinatus fuerit ad creandum mundum, facile in-

telligitur cum tali determinatione integram ſtetiſſe potentiam ad non creandum.

CONCLUSIO II. Suppoſitâ creatione mundi, Deus non neceſſario id producit quod eſt optimum.

Prob. 1°. Nihil melius eſt myſterio Incarnationis: atqui tamen illud reſpectu Dei non eſſe opus neceſſarium, ſed liberæ caritatis, docet id Joan. 3. *Sic dilexit mundum ut Filium ſuum unigenitum daret.*

Prob. 2°. Juxtà autores quos hic impugnamus, Deus non neceſſario creavit mundum; aliunde tamen negari non poteſt quin mundus exiſtens ſit quid melius mundo non exiſtente; ergo falſum eſt eorum principium, quod Deus neceſſario ad id determinetur quod melius eſt.

Prob. 3°. Vel iidem autores principium ſuum intelligunt de optimo ſimpliciter, vel de optimo ſecundum quid tantùm: ſi priùs; ergo Deus neceſſario determinatur ad opus quo nihil melius eſſe poſſit, ſicque exhauritur omnipotentia divina: ſi poſterius; ergo dari poteſt aliquid melius eo quod Deus produxit, proindeque falſum eſt Deum ſemper neceſſario velle quod melius eſt.

Obj. 1°. Voluntas Dei neceſſario facit quod ſapientia divina judicat eſſe faciendum: atqui ſapientia judicat eſſe faciendum quod melius eſt; ergo. R. diſt. min. Sapientia judicat faciendum eſſe quod melius eſt relativè ad Deum, C. quod melius eſt in ſe, N. Namque ſapientia divina procul dubio Deum ipſum omnibus præfert, ac proinde judicare non poteſt melius, niſi quod tale eſt in ordine ad Deum: atqui falſum eſt rem in ſe perfectiorem, eo ipſo meliorem eſſe in ordine ad Deum. Nam Deus ſummè eſt independens à bonitate intrinſecâ rerum creatarum; ergo ſapientia ad Deum ipſum & ejus voluntatem reſpicit, ut judicet quid ſit faciendum vel non faciendum, minimè vero ad majorem perfectionem rerum in ſe: atque in eo Deus differt ab artifice creato, cujus peritia æſtimatur ex perfectione operis ipſius, quia omnem ſuam induſtriam in artefactis elaborandis collocare præſumitur.

Obj. 2°. Deus in operibus ſuis neceſſario intendit gloriam ſuam, & conſequenter neceſſario id debet producere, unde major in eum gloria redundat: atqui ex opere meliori major naſcitur gloria; ergo. R. diſt. maj. Neceſſario intendit gloriam ſuam eſſentialem, C. ac-

cidentalem, subdist. necessario intendit necessitate consequenti, dependente ab ejus libera electione, C. necessitate antecedenti, N. Gloria Dei essentialis est ipse Deus, & summa perfectio ipsius voluntatis quæ non suscipit majus & minus, quidquid operetur ad extra; adeoque ex hac parte non necessario debet eligere quod in se perfectius est. Gloria accidentalis nihil est aliud quàm manifestatio & expressio divinarum perfectionum in creaturis. Illa autem manifestatio, cùm nihil Deo addat perfectionis, non est bonum Dei, sed creaturæ; ac proinde solâ liberâ electione suâ ac beneficâ voluntate Deus determinari potest ad eam, sive simpliciter intendendam, sive in hoc potiùs quam alio perfectionis gradu.

Conclusio III. Libertas divina est ipsa volitio Dei quoad entitatem necessaria, prout respectu creaturarum est indifferens, atque ad eas terminari potest, vel non terminari.

Prob. Libertas in genere consistit in indifferentia activa; ergo talis etiam esse debet libertas divina. Sedes autem istius indifferentiæ in Deo esse non potest voluntas ut potentia, quia voluntas divina tota est actus; ergo indifferentia residere debet in ipso actu necessario, unde rursùs sequitur indifferentiam non esse ad diversos actus producendos, sed tantùm ad diversa objecta, atque eatenus dici activam, quod resideat in actu, & quod terminetur ad aliquid extrinsecum producendum, non autem quod in varios actus & conatus prorumpat.

Dices: Actus liber ut liber debet esse simul aliquid intrinsecum & contingens: intrinsecum quidem, quia libertas est vera perfectio; contingens autem, quia liberum est aliquid quod potest esse & non esse: atqui juxta nostram explicationem hæc duo non stant simul in Deo; ergo.

Resp. æquivocationem esse in illa reduplicatione, *actus ut liber*; nam si per liberum intelligatur indifferentia ad plura, tunc verum est actum ut liberum debere esse quid intrinsecum, quia importat perfectionem; si autem liberum confundatur cum contingenti, illa denominatio male tribuitur actui divino, sed convenit tantùm creaturis ad quas volitio Dei terminatur: nam liberum hoc sensu sumptum sonat imperfectionem quæ Deo tribui non potest. In nobis quidem actus liber, ut liber, est ratione sui contingens, quia nostra libertas est ad plures actus; at vero respectu

Dei contingentia non est in actu, etiam ut libero, sed in objecto, quia ejus libertas non est ad actus diversos, sed ad objecta, revolve superius dicta de divina immutabilitate, ejusque cum libertate concordiâ.

Quæres an & quis sit ordo in decretis divinis.

R. Admittendus est inter decreta divina ordo aliquis virtualis & secundùm nostrum intelligendi modum. Ratio est quia licet in Deo non sit nisi unus & simplicissimus actus voluntatis, ille tamen actus ratione suæ infinitatis, & terminationis ad diversa objecta, æquivalet pluribus, quos inter possumus cum fundamento excogitare eundem ordinem, ac si realiter forent distincti. Cùm igitur in nobis volitio finis prior sit volitione mediorum, possumus similiter dicere quod Deus priùs velit finem, quàm media; priùs velit creare hominem, quàm illi gratiam conferre; priùs decreverit redemptionem generis humani, quâm Incarnationem Verbi; & alia id genus.

ARTICULUS III.

An sit in Deo sincera voluntas salvandi omnes, & an Christus pro omnibus mortuus fuerit.

SEnsus primæ quæstionis est an Deus omnium hominum salutem velit voluntate non quidem, absolutâ, non etiam signi, & metaphoricâ, sed beneplaciti eâque sincerâ, & vi cujus singulis, etiam post Adæ peccatum, media ad obtinendam salutem præparet aut largiatur.

Sensus verò secundæ quæstionis est an Christus eâ intentione mortuus sit, ut omnium, vel saltem aliorum à prædestinatis salutem procuraret, obtinendo iis gratias ad hanc salutem promerendam verè sufficientes.

Circa utrumque caput erravêre, 1°. Pelagiani & Semipelagiani, docendo Deum omnium salutem æqualiter & indifferenter velle, modo ipsi divinæ voluntati cooperari vellent per solas etiam naturæ vires.

2°. Calviniani, quorum alii volunt Deum etiam ante prævisum Adæ peccatum aliquos destinasse ad gloriam, alios vero ab eadem exclusisse; & hi dicuntur *Antelapsarii*; alii vero eos qui pereunt, non nisi post prævisum originis peccatum à gloria exclusos esse cen-

sent; & hi quorum communior est opinio, dicuntur *Postlapsarii.*

3°. Janseniani, qui cum Magistro suo docent, 1°. Deum non nisi prædestinatorum salutem æternam velle seriâ & activâ voluntate; 2°. Christum mortuum quidem esse ut transeuntes quasdam gratias reprobis mereretur, sed *non magis pro æternâ liberatione ipsorum, quàm pro diaboli* Patrem suum orasse. Ità Jansenius L. 3. de gr. Chr. c. 21. Sit

Conclusio I. De fide est Deum, supposito etiam originali peccato, velle verâ ac sincerâ voluntate aliquorum aliorum quàm prædestinatorum salutem; ità ut illis conferat auxilia verè sufficientia quibus salutem consequi possint.

Prob. 1°. Vult sincerè Deus ut omnes quos dedit Christo habeant vitam æternam. Ità docet ipse Christus, Joan. 6. v. 39. *Hæc est*, inquit, *voluntas ejus qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem illud in novissimo die;* seu uti pergit v. 40. *ut omnis qui vidit Filium & credit in eum, habeat vitam æternam*: atqui tamen hi omnes non sunt salutem consecuti; ut docet idem Christus ibid. c. 17. v. 12. *Quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, ergo.

Ut vim hujusce argumenti eluderent Janseniani, particulam, *nisi*, quæ legitur in textu laudato, *nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, in sua editione Montensi inverterunt in particulam, *sed*; quasi dictum fuisset à Christo, nemo ex iis quos dedisti mihi periit, *sed* tantùm filius perditionis qui ex illis non erat.

Verùm ista interpretatio manifestè adversatur expositioni SS. Augustini & Thomæ, aliorumque SS. Patrum qui constanter docent, Judam unum fuisse ex iis qui à Patre Christo dati fuerant. Testimonia illa mox referemus.

Prob. 2°. ex Apost. I. ad Thessal. 5. v. 9. & 10. *Non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Jesum Christum qui mortuus est pro nobis*: ibi agitur de voluntate Dei actuosâ, præparationem scilicet mediorum includente, *Posuit nos Deus in acquisitionem salutis per Jesum Christum qui mortuus est pro nobis*. atqui ea voluntas non tantùm ad prædestinatos, sed etiam ad quosdam reprobos extenditur: neque enim Thessalonicenses, ad quos scribebat Apostolus, omnes prædestinati erant.

Prob. 3°. ex Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mun-*

dum, ut Filium ſuum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Certè vox iſta *mundus* ad ſolos prædeſtinatos reſtringi non poteſt; cùm ad eos omnes qui credunt in Chriſtum eo loci extendatur. Porrò dilectio illa ac bona voluntas non eſt otioſa & ſterilis, ſed actuoſa & efficax: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret*: at, ſicuti loquitur Apoſtolus, Rom. 8. *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

Prob. 4°. ex Patribus, qui Judam Chriſto datum ad vitam æternam, & tamen periiſſe docent. Sic Auguſtinus Tract. 106. in Joan. ubi ſic, *Illud magis urget quod paulò poſt ait.... Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex iis periit niſi filius perditionis, Judam ſignificans qui tradidit eum: ex iſto quippe duodenario numero Apoſtolorum, ſolus periit.* Non poterat clariùs S. Doctor affirmare Judam unum fuiſſe ex iis quos Pater Chriſto dederat. Idem docent S. Chryſoſtomus Homil. 44. in caput 6. S. Joannis; Theophilactus in idem caput; S. Cyrillus Alexandrinus, Lib. 3. Commentarii in Joannem: & alii benè multi quos brevitatis causâ omittimus.

Not. II. Iluſt. Boſſuet, nuſquam librum hunc publici juris feciſſe, aut pro ſuo agnoviſſe. *Inſtruct. Paſt. a.* 1714 *p.* 6. & 7. *Explic. ſur la Bible, art.* 3.

Probatur 5°. ex Præſulibus Gallicanis. Jll. Boſſuetus in Libro cui titulus: *Juſtification des Réflexions, &c.* hæc habet §. 16. *Il faut reconnoître la volonté de ſauver tous les hommes juſtifiés, comme expreſſément définie par l' Egliſe Catholique en divers Conciles, notamment dans celui de Trente, & encore très-expreſſément par la Conſtitution d' Innocent X.* Porro omnes juſti non ſunt prædeſtinati; ergo in mente Jll. Autoris, ab Eccleſia Catholica expreſsè definitum fuit, (proinde de fide eſt) Deum velle alios ſalvos fieri quàm prædeſtinatos. His congruenter ſtatuerunt in Comitiis an. 1714. Gallic. Præſules, *hæreticum eſſe aſſerere Deum velle ſolos electos ſalvos fieri.* Huic autem doctrinæ publicis Mandatis adhæſerunt omnes ferè Gallicani Epiſcopi, ut conſtat ex collectione horumce Mandatorum editâ an. 1715. neque quantùm ad hoc à ceteris diſſenſit Card. Noaillius: is enim in corpore doctrinali circa Quenelli propoſitiones citata Boſſueti verba refert & approbat.

Prob. 6°. quia cùm Jll. Cameracenſis Archipræſul in Lib. cui titulus; *Maximes des Saints*, docuiſſet eſſe aliquem extremæ probationis ſtatum, in quo anima abſolutum ſalutis ſuæ ſacrificium facere teneatur; addidiſſetque: *Il n'eſt pas queſtion de lui dire* (à cette ame

le dogme précis de la foi sur la volonté de Dieu de sauver tous les hommes, & sur la croyance où nous devons être qu'il veut sauver chacun de nous en particulier, &c. Doctrinam hanc sic perstrinxêre Doctores 250. Facultatis Parisiensis an. 1693. *Est autem hæc doctrina eò perniciosior in praxi, quod probationi extremæ remedium non tantùm consulat ipso malo gravius & periculosius, sed & excludat utilissimum ac propè unicum. Vetat autor, seu saltem inutile pronuntiat, sic tentatæ ac probatæ animæ proponi dogma de voluntate Dei, quâ vult omnes homines salvos fieri, ac de fiducia quâ unusquisque nostrum tenetur id persuasum habere voluntatis Dei esse ut salvetur.* Ex quibus manifestè patet in mente autorum Censuræ, 1°. *unumquemque nostrûm teneri persuasum habere* (ac consequenter credere) *voluntatis Dei esse ut salvetur;* 2°. teneri id credere *certa* cum *fiducia;* 3°. voluntatem illam Dei, quâ vult salutem uniuscujusque nostrûm, *dogma* esse; 4°. propositionem hujusce dogmatis esse *utilissimum* ac *propè unicum remedium* animæ gravissimâ tentatione pulsatæ; ergo certum visum fuit illis 250. Doctoribus, de fide esse Deum omnium Fidelium, proinde aliorum quàm prædestinatorum, salutem velle, & quidem voluntate sincerâ, vi cujus conferat media relativè sufficientia; hæc enim sola voluntas, ut patet, non autem voluntas omnino sterilis, potest esse *remedium* utilissimum animæ, quæ gravissimâ ac extrema tentatione premitur.

Vid. Tract. de grat. Prob 7°. De fide est Deum sincere velle conferre justis omnibus, urgente præcepto, ipsisque reipsâ conferre gratias vere sufficientes quibus possint actualem concupiscentiam superare, & mandata hic & nunc observare. Unde Concilium Arausic. an. 529. can. 25. *T. 4. Conc. p. 1672.* *Hoc*, inquit, *secundum fidem Catholicam credimus, quod omnes baptisati, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere:* atqui admissâ eâ veritate constat omninò Deum sincerè velle justorum omnium, proinque aliorum quàm prædestinatorum salutem. Media enim non assumuntur nisi ex intentione finis; & sicut voluntas finis, si sit sincera, includit collationem aut præparationem mediorum; ità etiam collatio aut sincera præparatio mediorum relativè sufficientium, importat veram ac sinceram finis voluntatem.

Prob. 8°. ex dicendis sequenti Conclusione: cùm enim voluntas humana Christi omninò conformis fu-

erit voluntati divinæ, si de fide sit Christum verè ac sincerè mortuum esse pro aliis quàm pro prædestinatis, de fide quoque erit Deum sincere velle alios quàm prædestinatos salvos fieri.

Conclusio II. De fide est Christum pro aliorum quàm prædestinatorum æterna salute mortuum fuisse, non solùm sufficientiâ pretii oblati, sed etiam voluntate offerentis; ac proinde quod eo animo sanguinem suum Patri obtulerit, ut ipsis mereretur gratias ad salutem verè ac relative sufficientes.

Prob. 1°. ex Scripturis. I. ad Timoth. 4. v. 10. *Speramus in Deum vivum qui est salvator omnium, maximè fidelium.* Porro non omnes Fideles sunt prædestinati. Rom. 14. *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* & I. Cor. 8. v. 11. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* Frater ille, de quo loquitur Apostolus, est quicumque Fidelis in fide infirmus. An dicent adversarii, ad numerum prædestinatorum pertinere quemcumque Fidelem in fide infirmum?

Probatur 2°. ex Conciliis. Valentinum can. 4. *Fideliter*, inquit, *tenendum ac docendum placet, juxta evangelicam & apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum sit pretium* (sanguinis Christi) *de quibus Dominus noster dicit, Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto; ità exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Est ergo *evangelica veritas*, Christum mortuum esse pro iis omnibus qui in Christum credunt: porro non omnes Fideles sunt prædestinati. *T. 8. Conc. p.130.*

Concinit Nicœnum I. in Symbolo fidei, ubi id de Christo Fideles omnes credere & profiteri tenentur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & incarnatus est... homo factus.... crucifixus pro nobis, passus, & mortuus, &c.* Idem adstruit hæc formula quæ feriâ v. majoris hebdomadæ recitatur in articulo consecrationis: *Qui pridie, quàm pro nostra omniumque salute pateretur, &c.*

Prob. 3°. ex summis Pontificibus Innocentio X. & Alex. VII. qui hanc quintam Jansenii Propositionem, *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, &c.* proscripserunt ut *impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem;* & ut *hæreticam*, eo sensu intellectam, *ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit:* atqui propositio hæc in sensu Jansenii damnari *Recueil des Bulles p. 82. & 144.*

non potest, ut debet, quia fide constet Christum pro æternâ reproborum quorumdam salute mortuum esse, cùm id solum neget Jansenius; & disertissime doceat Christum eo etiam fine mortuum esse, ut reprobis mereretur gratias, quibus aliquando ad tempus exornantur; ergo.

Pag. 220. edit. Rigal. Prob. 4°. ex SS. Patribus. Cyprianus Tract. de opere & eleemosynis, dæmonem adversùs Christianos æternis suppliciis addictos sic loquentem inducit: *Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec familiam meam pretio passionis & cruoris redemi.* Quæ dæmon non fecit pro suis, hæc fecit Christus pro suâ familia, quam pretio sanguinis & passionis redemit: at non omnes qui de familia Christi sunt, seu non omnes Fideles sunt prædestinati; ergo tam pro aliis quám pro prædestinatis Christus mortuus est.

S. Augustinus idem non minùs clare docet multis *T.1.p. 481.* in locis: L. 4. ad Bonifacium c. 8. conceptis verbis repetit ac suum facit laudatum mox S. Cypriani testi- *T.1 p 707.* monium. In Psal. 68. enarratione 2. de Juda proditore sic loquitur: *Projecit pretium argenti, quo ab illo Dominus venditus erat, nec agnovit ipse pretium quo à* *T.6.p. 561.* *Domino redemptus erat.* L. 2. de Symbolo ad Catechumenos c. 8. Christum crucifixores ità alloquentem inducit: *Videtis vulnera quæ inflixistis, agnoscitis latus quod pupugistis: quoniam per vos & propter vos* *Ibid. p. 561.* *apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Ibid. c. 5. de Herode Christum ad necem quærente sic habet: *Venit qui te redimat, & turbaris: & tunc eum vis perdere, quando ille te disposuit liberare*: atqui his S. Doctoris testimoniis manifeste ostenditur, Christum non pro salute electorum duntaxat mortuum fuisse, cùm Judas reprobus, Herodes, &c. à Christo dicantur redempti.

Prob. 5°. ex Clero Gallicano, cujus fidem sic exprimit Ill. Bossuet. citato superiùs Libro: *Il n'y a bien assurément aucun des Fideles qui ne doive croire avec une ferme foi que.... Jesus-Christ a versé tout son sang pour son salut. C'est la foi expressément déterminée par la Constitution d'Innocent X. C'est la Tradition de l'Eglise Catholique dès le tems de S. Cyprien.... S. Augustin & S. Cyprien d'un commun accord nous ont laissé pour constant, que Jesus-Christ a donné son sang pour rendre le paradis, c'est-à-dire, le salut éternel, à cette partie de sa famille qui est damnée avec satan & avec ses anges.* Quæ verba cum 90. & amplius Episcopis adoptavit

Card. Noaillius an. 1720. Præiverant Episcopi Gallicani in Comitiis anni 1714. sic enim loquuntur in suo Documento Pastorali: *Dire que Jesus-Christ n'est mort pour le salut que des seuls prédestinés, c'est précisément le sens hérétique condamné dans la cinquieme proposition de Jansenius.*

Prob. 6°. quia Jansenianum systema fidem, spem & caritatem funditùs subvertit: 1°. fidem, quia hâc tenendum est Christum *propter nos & propter nostram salutem descendisse de cœlis*, prout præcipit tum Nicœna Synodus, tum Ritualia Parisiense, Suessionense, & cum aliis pluribus Remense, ubi sic interrogatur fidelis ad mortem vergens: *Ne croyez-vous pas que Jesus-Christ est mort pour vous, & que vous ne pouvez être sauvé que par les mérites de sa passion?* 2°. spem, hæc enim ut vere Christiana sit, firmissima esse debet: atqui, aït S. Augustinus & ante Augustinum ratio: *Omnis spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus, qui effusus est propter nos & propter nostram salutem*: ergo si semel dubium sit an Christus pro salute nostra mortuus sit, sicut dubium est an simus è numero prædestinatorum, necessum est ut corruat, vel incerta nutet spes nostra; 3°. Caritatem, hujus enim grande incentivum est, quod quis cum Apostolo dicere possit: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* An verò id firmiter dicet cui persuasum erit è ducentis Christianorum millibus vix esse centum quos ad salutem dilexerit Christus?

Rituel de Rheims, par M. le Tellier, tiré de l'extrém. p.160. Lib. medit. C. 14. Enchir. c.8.&c.

CONCLUSIO III. Deus sincerâ & actuosâ voluntate, supposito originali peccato, suppositis etiam actualis concupiscentiæ gradibus, vult omnium ac singulorum hominum salutem.

Prob. 1°. ex Scripturis: Ezechielis 36. v. 11. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, sed ut convertatur à via sua & vivat*: atqui si Deus mortem impii, id est damnationem non vult, necesse est ut velit salutem.

II. Petr. 3. v. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam... sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire. sed omnes ad pœnitentiam reverti*: sed qui neminem perire vult, vult omnes prorsus salvari: non vult autem absolutâ voluntate; ergo antecedente & conditionatâ.

I. ad Timoth. 2. *Obsecro primum omnium*, inquit Apostolus, *fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Re-*

gibus, &c. Hoc enim bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo, qui vult omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire: unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Unde sic: Ut ex eo textu colligi possit Deum omnium in præsenti statu hominum salutem serio velle, sufficit ut Apostolus loquatur, 1°. de hominibus lapsis; 2°. de omnibus; 3°. de sincerâ quoad omnes voluntate: atqui loquitur 1°. de hominibus lapsis, iis nimirum qui tunc vivebant, ut Cæsares & alii; 2°. de omnibus, tum quia omnes, etiam sceleStos, prout tunc erant Reges & Principes, exprimit; tum quia eos omnes complectitur quorum Deus Deus est; Deus autem est omnium Deus; 3°. loquitur de seria & actuosa voluntate; tum quia voluntas simpliciter dicta de voluntate propria intelligitur; tum quia voluntas consequenter ad quam vult Deus obsecrationes & orationes fieri, non est otiosa; tum quia nihil activum magis quàm voluntas, ex qua omnium hominum mediator destinatus est Christus, & dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.

Prob. 2°. ex Conciliis. Arelatense circa an. 475. approbat Fausti Regiensis Episcopi ad Lucidum Presbyterum Epistolam in qua sic habetur n. 6. *Anathema illi qui dixerit, quod Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* Moguntinum II. ann. 484. damnat Gotescalcum, eo quia, ut refert Hincmarus Remensis, cum veteribus Prædestinatianis diceret: *quoniam non vult Deus omnes salvos fieri, sed tantum eos qui salvantur.* Carisiacum an. 849. sic habet: *Deus omnipotens omnes homines sine exceptione vult salvos fieri, licet non omnes salventur. Quod autem quidam salvantur, salvantis est donum; quod autem quidam pereunt, pereuntium est meritum.*

Tomus 4. Concil. Labb. p.1043

Prob. 3°. ex Patribus, quorum, quia Græcos nobis dimittit Jansenius, instar sit Augustinus; sic ille L. de Spirit. & Lit. c. 33. *Vult autem Deus omnes salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo bene vel male utentes justissimè judicentur. Quod cum sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem*

Tom. 10. p. 118.

ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt. Ità voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem, si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possint evadere quod de talibus ille constituit. Vides, juxta S. Augustinum, Deum velle omnes homines salvos fieri; ità ut non ideo salventur omnes, quia propriâ mala voluntate gratiam Dei contempserunt: voluntatem tamen Dei semper manere *invictam*, quia de divinæ misericordiæ *contemptoribus facit quod vult, nec ullo modo possunt evadere quod de ipsis constituit.* Quod autem reponit Jansenius, *Mirabili hallucinatione, recentiores, objectionem pro solutione; pelagianam responsionem pro Augustini doctrina, errorem pro veritate accepisse;* adeo mirabile est, vel potius miserum, ut ab eo in præsenti capite recesserint præcipui ejus Discipuli.

Augustino consentit fidelis ejusdem interpres S. Prosper in Responsione ad 2. Objectionem Vincent. *Sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, sollicitissimè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus hominibus supplicetur; ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum; quod multi salvantur, salvantis est donum.* Utrique concinunt SS. Joannes Damasc. Lib. 2. c. 29. Fulgentius Lib 2. de remiss. peccat. c. 1. Bernard. Homil. 4. super *Missus est.* Anselmus in c. 6. S. Matth. in ista verba, *Fiat voluntas tua*: ubi hæc habet: *In terra multi contradicunt voluntati Dei; illi scilicet, quæ est ex misericordia. Cum enim vellet pravos etiam salvare, si vellent, tamen ipsi contradicunt suis operibus huic voluntati.*

Pag. 211.

Edit. Colon. 1612. *p.* 36.

Prob. 5°. ex unanimi ac constanti Scholarum consensu. Magistros proferam, quia per tempus proferre Discipulos non licet S. Thomas, q 14. de verit. art. 11. ad 1. *Hoc*, inquit, *ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex parte ejus non impediatur.* Et in cap. 12. Epist. ad Hebræos: *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ideo gratia nulli deest; sed omnibus, quantum in se est, se communicat.* Idem docent Lemos, Alvares, Soto, Massoulié, Zumel, & nobiliores quique Thomistæ.

Nec certè dissentit Schola subtilis. S. Bonaventura in 1. Sentent. dist. 46 a. 1. q 1. *Damascenus*, inquit, *voluntatem antecedentem & voluntatem consequentem in*

Tom. 3. *p.* 474.

Deo distinguit.... prima scilicet antecedens, dicitur à Magistris voluntas conditionalis, sive voluntas quâ Deus vult quantum in se est: secunda autem scilicet consequens, dicitur absoluta. Et paulo post: *Prout Deus dicitur velle omnium salutem, quantum in se est, & antecedenter, connotatur in omnibus ordinatio ad salutem, tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ.*

Prob. 6°. Deus vult eos omnes salvos fieri, quibus confert vel saltem offert media ad salutem assequendam verè sufficientia: atqui Deus omnibus ac singulis hominibus confert, &c. ergo. Major certa est, intentio quippe finis est, quæ movet ad electionem mediorum. Minor autem adeo constanti Theologorum omnium Scholarum consensu firmata est, ut certè absque temeritate negari non possit. Ità Ferrar. 3. *contra gentes* cap. 159. Medina 1. 2. quæst. 109. art. 10. ad 4 & 6. S. Bonavent. in 2. dist. 28. art. 2. quæst 1. Halensis 3. part. quæst. 6. memb. 5. art. 3. Salmanticenses tract. 14. quæst. 3. disp. 6. & alii passim.

Et verò Deus vult eos omnes salvos fieri, pro quorum salute Christus mortuus est: ut enim docebat supra S. Augustinus, ex illa voluntate Dei ortum est, ut Filium suum mitteret, qui omnium salutem morte suâ procuraret; atqui Christus pro omnium ac singulorum hominum salute mortuus est, ut probabimus conclusione sequenti; ergo.

Conclusio IV. Christus pro omnium ac singulorum hominum salute mortuus est, non solùm sufficientiâ pretii oblati, sed etiam sufficientiâ voluntatis offerentis; ac proinde eâ intentione sanguinem suum Deo obtulit, ut gratias mereretur quibus omnes possent verè ac relativè æternam salutem consequi.

Prob. 1°. ex Scripturis: Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum:* quam sententiam ad ipsos etiam parvulos pertinere asserit Augustinus L. 2. de nuptiis & concup. cap. 33.

II. Cor. 5. *Caritas Christi urget nos; æstimantes hoc quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus, ut & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Ex Apostolo pro illis omnibus mortuus est Christus, qui mortui sunt in Adamo: atqui omnes & singuli homines (unâ exceptâ B. Virgine) mortui sunt in Adamo, *in quo omnes peccaverunt*; ergo pro omnibus & singulis hominibus mortuus est Christus; non tantum sufficientiâ & valore pre-

tii, de quo nullus ambigit. sed etiam ex animo, *ut qui vivunt, jam non sibi vivant, &c.*

Prob. 2°. ex Concilio Trid. seff. 6. de justific. ubi sic: *Hunc* (Christum) *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris; non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi*: atqui hæc verba, *pro totius mundi*, de solis prædestinatis intelligi non possunt. Nam eo loci Concilium ad spem & fiduciam peccatores erigit: porro si Christus diceretur mortuus pro salute prædestinatorum duntaxat, id certè ad desperationem potius quàm ad fiduciam impelleret. Neque etiam explicari potest Concilium de sufficientia pretii; tum quia hoc sensu dici posset etiam Christus mortuus pro dæmonibus, cùm pretium sanguinis ejus ipsis omnibus redimendis sufficientissimum sit; tum quia Concilium errores Novatorum hìc perstringit: at nusquam illi negarunt sanguinis Christi pretium sufficiens esse omnibus hominibus redimendis. Undè cùm ibid. c. 3. dicitur, *non omnes mortis Christi beneficium recipere*, sermo est de gratia habituali, non vero de quolibet mortis Christi beneficio, auxiliis nempe gratiæ actualis sufficientis, quibus potest homo saltem mediatè ad gratiam sanctificantem pervenire. Id constat ex titulo capitis quod sic inscribitur, *qui per Christum justificantur*. Dici etiam posset, Concilium loqui de assecutione gloriæ, ad quam non omnes perveniunt.

Prob. 3°. ex Augustino, cui potissimum innituntur Novatores. Is in Psalm. 95. sic de Christo loquitur: *Judicabit Orbem terrarum in æquitate, non partem; quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*: atqui non dedisset pretium pro toto, si non dedisset nisi pro pusillo electorum grege: ergo dedit pro iis etiam quos ad lævam collocabit; ut ibid. aït Augustinus. *Tom.5. App. page 420. n.4.*

S. Doctori succinit S. Fulgentius Lib. 2. de remissione peccatorum c. 16. *Post traditionem Christi*, inquit, *habuit & traditor tempus quo per illum sanguinem qui effusus est in remissionem peccatorum, ipsius quoque Judæ possit remitti peccatum, quoniam Christus qui pro impiis mortuus est, non denegasset suo traditori remissionis beneficium, si non ille sibi desperando adimeret tempus remisssioni concessum.* Quid illo testimonio clarius? Disertè testatur Fulgentius Christum pro Juda sanguinem fudisse, eumque pretio illius sanguinis peccatorum suorum veniam consequi potuisse, *si non ille*

sibi desperando adimeret tempus remissioni concessum.

Prob. 4°. quia quæ Christi mortem ad electos solos restringit Jansenii opinio, non minus fidem, spem & caritatem imminuit, quam quæ Dei voluntatem ad solos electos limitat: atqui ex dictis conclusione præcedenti, &c.

Obj. 1°. contra 1. part. Omnis vera & sincera Dei voluntas semper impletur: atqui non omnes prorsùs homines, sed soli electi salvantur; ergo Deus non vult omnes omnino homines, sed solos electos salvos fieri. Minor patet: prob. maj. ex citatis supra Scripturæ textibus: Isaiæ 46. *Omnis voluntas mea fiet.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit*, &c.

R. hæc & similia Scripturæ testimonia exponenda esse de voluntate absoluta, & efficaci, quam semper impleri omnes Theologi ultro fatentur; at præter hanc voluntatem admittendam esse aliam quæ, *obsistente humana iniquitate*, suo quandoque privatur effectu, aperte ostendunt textus Scripturæ & SS. Patrum quos in confirmationem quatuor priorum nostrarum Conclusionum produximus. Et vero quid aliud sibi vult id Act. 7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

Obj. 2°. S. Augustinus Epist 217. generalem pro salute omnium voluntatem reprobat in Pelagianis. Scilicet asserit, *eos qui Apostoli verba de omnibus generaliter exponunt, non intelligere quâ locutione sit dictum, quod Deus vult omnes salvos fieri.* Idem docent SS. Prosper & Fulgentius ; ergo.

R. dist. reprobat voluntatem generalem ad sensum Pelagianorum & Semipelagianorum, C. ad sensum orthodoxum, ac sepositis eorum hæreticorum erroribus, N. Itaque tres circa præsens caput Pelagianorum & Semipelagianorum errores redarguit Augustinus; 1°. quod ità docerent Deum velle omnes homines salvos fieri, *si ipsi velint*, ut hanc salutis voluntatem, quam Deus à nobis exigit, solis naturæ viribus assignarent; 2°. quod ità statuerint Deum velle omnes homines salvos fieri, *si ipsi velint*, ut conditionem hanc, etiam in parvulis præmaturâ morte extinctis locum habere arbitrarentur; quatenus, inquiebant, prævidebat Deus futurum, ut bonam hanc haberent voluntatem, si ad pleniorem ætatem pervenissent; unde asserebant, parvulos omnes sine Baptismo decedentes, ideo non salvari, quia si diutius vixissent, salvari noluissent; 3°. quod textum Apostoli

sic intelligerent, ut divinæ omnipotentiæ derogarent: sic enim contendebant Deum velle omnes homines salvos fieri, si quærerent, si peterent, si pulsarent propriis liberi arbitrii viribus, ut arbitrarentur Deum non posse illos salvare, nisi tales in ipsis dispositiones præsupponeret; quia alioquin, inquiebant, Deus esset personarum acceptor. Hæc errorum portenta damnat & merito damnat Augustinus: at non ideo generalem homines salvandi voluntatem Deo abnegat, ut invictè patet vel ex solo cap. 33. lib. de spir. & lit. *Suprà p.* 169.

Inst. Qui Apostoli textum, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, explicat, vel eo sensu quod nemo salvetur, nisi quem Deus salvum fieri velit; vel eo sensu quod in uno quoque genere, sint aliqui quos Deus salvare velit; vel causaliter, quia vult Deus ut omnium salutem velimus, ille procul distat ab admittendâ generali omnium salvandorum voluntate: atqui S. Augustinus triplici hoc sensu textum Apostoli explicat.

R. neg. maj. Etsi enim S. Doctor ut à Pelagianorum tricis faciliùs se expediat, Apostoli textum quandoque interpretatur de voluntate absoluta quæ solos electos respicit, haud tamen generalem conditionatæ voluntatis sensum ab eodem textu excludit: 1°. quia hunc alibi pluries diserte admisit, idque, quod notandum, quoties eludendæ non erant hæreticorum objectiones; 2°. quia Enchir. c. 103. ubi primam tradit expositionem, loquitur de salute Angelorum, sicut de salute hominum; & tamen fatente Jansenio voluit Deus sincere omnium Angelorum salutem; 3°. quia ibidem permittit Augustinus, ut textus Apostoli, *quocumque alio modo intelligatur dum tamen credere non cogamur, aliquid omnipotentem Deum voluisse fieri, factumque non esse*; porrò fatemur Deum nihil velle absolutè fieri, quod non fiat, prout docet Augustinus cit. c. 33. de spir. & lit.

Inst. Si res ità sit, Deo hominem salvum facere volenti resistit liberum hominis arbitrium: atqui contra ex Aug. L. de corr. & gr. c. 14. *Volenti salvum facere*, inquit, *nullum resistit arbitrium: sic enim velle seu nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, seu superet potestatem.*

R. dist. min. Volenti voluntate absolutâ, non resistit liberum arbitrium, C. volenti voluntate conditionatâ, subd. non resistit, quia *de his qui faciunt* QUÆ NON VULT, *facit Deus quod vult*, ut ibid. addit S.

Doctor, C. non resistit ullo sensu, N. Solutio liquet tum ex dictis, tum ex ipso qui objicitur textu.

Obj. 3°. Ecclesia Lugdunensis generalem voluntatem explodit, triplicemque Augustini expositionem sectatur in Lib. *de tribus Epistolis*; unde & tertium Carisiaci Concilii articulum, quo voluntas generalis definita erat, reprobat in Lib. *de tenenda veritate Scripturæ*; ergo.

R. neg. ant. siquidem Ecclesia Lugdunensis in citato de tribus Epistolis Opere, asserit 1°. sententiam de generali hominum salutis voluntate, *fideliter posse recipi*; 2°. à SS. Patribus *fuisse probatam*, eosque simpliciter existimasse Deum velle omnes homines salvos fieri *bonitate Creatoris*; 3°. hoc unum in ea generali expositione esse cavendum, nè dicatur Deum, ut salvet homines, humanas expectare voluntates *propriis viribus relictas*; hoc errore seposito, nihil in ea expositione contineri quod *falsum sit*, aut *fidei contrarium*: imò illam *reverenter honorari* aut suscipi debere.

Neque etiam eadem Ecclesia tertii Capituli Carisiaci doctrinam de voluntate generali circa salutem omnium proscribit; sed id unum eo in Capitulo sibi displicere significat, quod generalis voluntas salutis omnium definita fuerat, (ut ipsi videbatur) tanquam unica interpretatio textûs Apostoli, *Qui vult omnes homines salvos fieri*: quasi excludenda esset expositio quorumdam SS. Patrum de voluntate efficaci ad aliquos duntaxat homines se se extendente. Eodem facti errore prædicta Ecclesia doctrinam Gotescalci laudat & approbat, quia putabat Gotescalcum ità admisisse voluntatem specialem pro electis, ut voluntatem generalem pro salute omnium non excluderet.

Obj. 4°. Illa voluntas non est in Deo proprie & formaliter, quæ pugnat cum idea Entis summe perfecti, & summe potentis: atqui talis est voluntas antecedens & generalis salutis omnium. Siquidem voluntas inefficax, ac proinde imperfecta, pugnat cum idea Entis summe perfecti, &c. atqui voluntas antecedens & generalis salutis omnium est inefficax, non enim omnes salvantur; ergo.

R. 1°. argumentum istud in quo adversarii tantoperè confidunt, ipsi Jansenio ac Jansenistis esse solvendum, si ad statum innocentis naturæ transferatur. Certè in eo statu, sicut & in præsenti, Deus erat perfectissimus, omnipotens, &c. atqui tamen tunc

aliquid voluntate verâ, sincerâ, propriâ ac formali voluit, quod completum non est. Voluit enim, ut expressè fatetur Jansenius, Angelos & Adamum in accepta justitia perseverare, quæ tamen voluntas suo effectu caruit in malis Angelis & Adamo. *Lib. 3. c. 10: & L. 10. c. 1.*

R. 2°. ad 1. neg. min. ad 2. dist. maj. Voluntas inefficax ex aliquo impedimento extrinseco, quod à volente superari non possit, est imperfecta, C. voluntas inefficax ex propria ordinatione & providentiâ ipsius volentis, N. Porrò voluntas antecedens quam Deus habet de salute omnium hominum, est inefficax, non priori sensu, quasi humanâ obsistente voluntate, Deus eam implere non possit; sed posteriori modo, scilicet, quatenùs ex propriâ ordinatione & providentiâ suâ, Deus, tanquam provisor universalis, (ad quem pertinet, ut observat S. Thomas, ità omnia ordinare ad fines suos, ut permittat quod aliqua talem finem non consequantur nè impediatur bonum majus) permittit ut voluntas generalis & antecedens suo frustretur effectu, ut nempe locus detur mutabilitati & infirmitatati liberi arbitrii, & ut manifestetur pulchritudo justitiæ erga aliquos, & splendor misericordiæ erga alios. Et verò, ut solidè aït S. Augustinus: *Numquid negandum est quod apertum est quia comprehendi non potest quod occultum est?* & rursus: *Numquid propterea dicturi sumus quod ità esse perspicimus, non ità esse* (scilicet in Deo admittendam esse voluntatem antecedentem circa salutem omnium hominum) *quoniam cur ità sit non possumus invenire?* *3. Part. quæst. 22. art. 2. ad 2. Lib. de dono persev. T. 10. p. 842. Ibid.*

Obj. 5°. Mera velleitas non potest dici voluntas sincera: atqui ex S. Thoma 1. part. q. 19. art. 6. ad 1. voluntas antecedens *magis potest dici velleitas, quàm absoluta voluntas*: ergo.

R. 1°. argumentum hoc contra Jansenium ipsum militare: si enim velleitas non sit voluntas sincera; ergo Deus Angelorum salutem non voluit sincerè; contra quod totis viribus pugnat Iprensis.

R. 2°. neg. maj. constabit enim ex modo dicendis, id quod S. Thomas velleitatem, vel voluntatem *secundum quid* nuncupat, esse in mente ipsius aliquid vere, proprie & formaliter existens in Deo. Unde

R. 3°. dist. min. Est velleitas, quia nec eadem assumit media, nec impletur ut voluntas absoluta, C. est velleitas in se & ratione sui, N. quæ enim est vera voluntas beneplaciti, hæc utique ratione sui nec

imperfectum aliquid, nec proin simpliciter velleitas censeri potest: atqui & ex ipso S. Thoma, voluntas antecedens, est vera beneplaciti voluntas. Sic enim loquitur Angelicus Præceptor in qq. disputatis: *Voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc est voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem & consequentem distinguitur, ut dictum est.* Et in 1. sent. dist. 47. q. 1. a. 2: *Possumus loqui de voluntate vel beneplaciti, vel signi: & de voluntate beneplaciti vel consequente vel antecedente.* Ità objectum textum interpretantur nobiliores Thomistæ, Lemos, Alvares, Mariales, Joannes à S. Thoma, Gonetus, &c.

Quæstio 23. de veritat. art. 3.

Obj. 6°. Deus non vult salvos fieri pueros qui in utero materno priùs extinguuntur, quàm possit ipsis Baptismus applicari: nulla quippe ipsis media confert quibus salvi esse possint; ergo non habet Deus generalem & antecedentem pro salute omnium voluntatem.

R. neg. ant. *Numquid* enim, ut egregie S. Augustinus Lib. 4. contra Julianum cap. 8. de istis parvulis ait: *Numquid homines non sunt, ut non pertineant ad id quod dictum est, Omnes homines vult salvos fieri?* Et verò Deus vult eos salvos fieri, pro quibus Christus mortuus est: atqui Christus pro omnibus omnino parvulis mortuus est: *Si unus pro omnibus mortuus*, inquit Apostolus II. ad Cor. 4. *ergo omnes mortui sunt.* Porrò qui pro parvulorum salute mortuus est, vult ut ipsis salutis remedium applicetur.

At, inquies, illis sufficienter de applicatione remedii Deus non providit, quibus absque ulla culpa parentum, solo Deo nolente, non potest remedium applicari: atqui multi sunt infantes, quibus absque ulla parentum culpa, solo *Deo nolente*, remedium salutis, Baptismus scilicet, applicari non potest, ut disertè tradit Augustinus L. de dono persf. c. 12. n. 31. ergo.

R. dist. min. quibus Deo nolente non potest applicari Baptismus, nolente, inquam, consequenter ad causarum secundarum dispositionem, quam Deus tanquam provisor generalis interturbare non tenetur, C. nolente Deo antecedenter, N. Solutio fundatur in Doctrina S. Thomæ, 1. p. q. 22. a. 2. ad 2. ubi sic: *Provisor particularis excludit defectus ab eo quod curæ ejus subditur, quantùm potest: sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, nè impediatur bonum totius.*

Inst. Qui eum naturæ cursum instituit in quo præ-

vidit futurum, ut infans priùs moreretur, quàm ullâ humanâ industriâ possit illi Baptismus conferri, ille certe non censetur sufficienter providisse de applicatione remedii salutis: atqui Deus eum naturæ cursum instituit, &c.

R. dist. maj. Qui directa & expressa intentione eum naturæ cursum instituit, in quo priùs moriatur infans quàm possit baptisari, ille non censetur sufficienter velle infantis illius salutem, C. qui tanquam provisor generalis eum naturæ cursum instituit ac permittit, in quo necesse est infantem priùs mori quàm baptisetur, N. Porrò Deus rerum omnium provisor est generalis, ac singulis debet itá consulere, ut nulli benefaciat, dispendio alterius, maxime verò boni communis: cùm igitur, nostro concipiendi modo, Deus priùs certum quemdam causarum secundarum ordinem instituerit, quàm de remedio salutis infantium quidquam decreverit; si in eo rerum cursu infans constituatur, in quo necesse sit vi sola naturæ illum mori, in Dei voluntatem directam refundi non debet, quod infans ille remedio ad salutem necessario privetur, sed in voluntatem duntaxat permissivam, & in causas ipsas secundas, quarum ordinem provisor generalis interturbare non tenetur. Ità colligitur ex citato mox S. Thomæ testimonio.

Obj. contra 2. part. de morte Christi pro omnibus: obj. inquam, 1°. id Christi apud Matth. 26. *Hic est sanguis meus qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum;* ergo non est effusus pro omnibus.

R. neg. conseq. & dico ibi per *multos* intelligi *omnes*. Ità interpretatur S. Chrysost. Homil. 83. in S. Matth. Theophylactus in eum locum: *Pro multis*, inquit, *dicit effundi, hoc est, pro omnibus: sunt enim & omnes multi.* Concinit ipse S. Augustinus Julianum impugnans Lib. 2. Operis imperf. c. 175. ubi dicit *non repugnare omnibus multos, quia ipsi omnes non pauci sed multi sunt.*

Inst. 1°. Christus diserte testatur se mortuum esse pro solis electis: *Animam meam*, inquit Joan. 10. *pono pro ovibus meis.... & ego vitam æternam do eis.* Joan. 6. *Hæc est voluntas Patris, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo.*

R. dist. Testatur se pro solis electis mortuum esse quantum ad efficacem meritorum applicationem & assecutionem vitæ æternæ, C. quantum ad sufficientem

mortis oblationem pro salute omnium, N. Laudata Scripturæ testimonia affirmant quidem Christum mortuum esse pro ovibus suis, ut habeant vitam æternam: at non negant esse passum etiam pro aliis, neque repugnant pluribus Scripturæ locis affirmantibus Christum esse mortuum *pro peccatis totius mundi*, I. Joan. 2. *gustasse mortem pro omnibus*, Heb. 2. *dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus*, I. ad Timoth. 2. &c.

Inst. 2°. Pro illis solis mortuus est Christus, pro quibus oravit: atqui oravit pro solis prædestinatis; Joan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro iis quos dedisti mihi.*

R. 1°. Nimis probat istud argumentum; nempe Christum non esse mortuum pro temporalibus gratiæ donis quibus etiam reprobi hâc in vitâ exornantur, quod vel ipse Jansenius admittit; imò & Christum pro solis Apostolis orasse, quia de illis solis eo loci loquebatur.

R. 2°. dist. min. Christus oravit pro solis Apostolis seu prædestinatis, hâc singulari oratione quam tunc fundebat, esto: nusquam oravit pro aliis, N. Eodem quippe capite v. 20. aït: *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et v. 21. orat *ut mundus credat quia tu me misisti.* Et Lucæ 23. orat pro suis tortoribus: *Pater*, inquit, *dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Dubitari autem non potest quin multi ex illis reprobi forent. Et verò ex S. Augustino serm. 4. de Sanctis, *Christus in cruce pendens pro omnibus oravit, & pro omnibus veniam postulavit.*

Inst. 3°. Oratio Christi semper exaudita fuit: *Ego sciebam*, inquit Christus, Joan. 11. *quia semper me audis:* atqui non fuisset exaudita Christi oratio pro salute reproborum.

R. dist. maj. Oratio Christi efficax & absoluta, C. non efficax, nec absoluta, N. Sicut in Deo duplex distinguitur voluntas, una absoluta quæ semper impletur, altera conditionata quæ non impletur; ità & in Christo juxta S. Thomam; duplex oratio, una efficax quæ ex voluntate consequente; altera inefficax & conditionata, quæ ex voluntate antecedente profluit: prior semper impletur, non posterior. Priori oratione oravit Christus pro electis, posteriori verò pro reprobis: ità docet S. Thomas in 3. dist. 17. q. 1. a. 3. quæst. 4. ad 1.

Obj. 2°. ex S. Augustino, Lib. 21. de civit. Dei c.

24. *Si de aliquibus certa esset* (Ecclesia) *quod prædestinati sint in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro isto*: atqui Christus certo cognoscebat quinam essent reprobi in æternum ignem mittendi; ergo.

R. 1°. hanc objectionem retorqueri posse contra voluntatem quam Deus habuit, non diffitentibus adversariis, salvandi omnes Angelos: quomodo enim (dicet aliquis) voluit Deus verè ac sincere eos salvos esse, quos noverat damnandos fore? quod ipsi respondebunt, hic nos dictum non abnuemus.

R. 2°. dist. maj. Non oraret pro iis oratione absolutâ & supponente reprobationem, C. oratione conditionatâ & antecedente reprobationem, N. Concessa min. similiter dist. conseq. Christus non oravit pro reprobis, oratione absolutâ & consequente eorum reprobationem, concedo; oratione conditionatâ & antecedente eorum reprobationem, N. S. Augustinus eo loci disputat contra quosdam qui existimabant in extremo Dei Judicio *sanctos Angelos simul cum sanctis hominibus pro damnandis & Angelis & hominibus oraturos*, atque tandem *propter Sanctorum preces omnibus reis esse parcendum*. Hunc errorem rejicit S. Doctor, quia, inquit, tantum abest ut Sancti oraturi sint pro salute damnatorum, quin imò si jam Ecclesia certo sciret de quibusdam quod sint reprobati, non magis pro his salvandis oraret, quàm pro diabolo: eâ scilicet oratione de qua agebat, nempe absoluta & consequente damnationem, quâ postularetur venia ejusmodi reprobis concedenda consequenter ad eorum finalem impœnitentiam. Eodem modo Christus non oravit pro reproborum salute, consequenter ad eorum reprobationem & finalem impœnitentiam, eo nempe sensu quod non oraverit ut gratias post impœnitentiam finalem iterum obtinerent per quas à damnatione quam incurrissent, possent liberari.

Attamen Ecclesia orat & Christus oravit pro reprobis antecedenter ad eorum damnationem, hoc sensu quod oraverit ad gratias illis impetrandas cum quibus possent à finali impœnitentiâ & damnatione præservari, quamvis simul certo prævideri, eos propter gratiæ abusum esse damnandos. Et vero cum reprobatio sit effectus abusûs seu non usûs gratiæ, & gratia concedenda sit, quia & Deus voluit homines salvos fieri, & Christus moriturus erat, atque oraturus pro gratia hominibus concedenda; priùs est & voluntatem

Dei pro ſalute omnium, & Chriſti mortem & orationem ſaltem in propoſito intelligi, quàm reprobationem aut præviſionem reprobationis; adeoque (etſi daretur, quod Eccleſia non poſſet orare pro his quos certo reprobos præſciret) conſtans tamen adhuc eſſet & certum pro iis oraſſe Chriſtum, qui reprobi facti ſunt ob neglecta gratiæ dona quæ Chriſtus morte ſuâ ipſis promeritus fuerat, & ſuâ oratione impetraverat.

Inſt. ex Auguſt. Epiſt. 169. ad Evodium, *Non perit unus ex illis pro quibus mortuus eſt Chriſtus*: atqui tamen multi pereunt; ergo pro illis Chriſtus mortuus non eſt. R. diſt. Non perit unus ex illis pro quibus mortuus eſt Chriſtus efficaciter, C. pro quibus mortuus eſt ſufficienter ſufficientia non pretii tantùm, ſed & intentionis. N. Vide probationes noſtras.

Quæres quæ fuerit IX. ſeculo circa præſentem controverſiam Eccleſiæ Lugdunenſis opinio.

R. Eccleſia hæc, cujus autoritate tantopere gloriantur Novatores, non ut opinionem, ſed tanquam certiſſimum fidei dogma proponit, Chriſtum pro omnibus omnino Fidelibus mortuum fuiſſe. En ìpſius verba: *Fides Catholica tenet, & Scripturæ ſanctæ veritas docet, quod pro omnibus, & per gratiam ex aquâ & Spiritu ſancto regeneratis, & Eccleſiæ incorporatis, verè Dominus, & Salvator noſter ſit paſſus.*

Lib. de tenenda verit. Scripturæ. *Ibid.* *p.* 676.

R. 2°. Cùm eadem Eccleſia dixit de impiis qui ante Paſſionem Chriſti in ſua impietate mortui ſunt, pro eis *Dominum non eſſe paſſum, nec ad eos ſalvandos veniſſe, nec pro iis ſanguinem fudiſſe*: ſenſus eſt, Chriſtum nec veniſſe, nec mortuum fuiſſe, ut eos ab inferis eriperet, ſicuti juſtos ex lymbo eduxit; licet pro iis adhuc viventibus mortuus ſit, & Paſſionem ſuam æterno Patri obtulerit. Unde eorum duntaxat errorem perſtringere voluit, qui, teſte Auguſtino, hæreſ. 79. aſſerebant, *deſcendente ad inferos Chriſto credidiſſe incredulos, & omnes exinde liberatos.*

Quod autem ſpectat ad alteram partem impiorum & infidelium, qui poſt Chriſti paſſionem uſque ad mundi finem fuerunt aut futuri ſunt, cùm Chriſtum pro iis mortuum non fuiſſe videtur aſſerere Eccleſia Lugdunenſis, hoc ſenſu duntaxat id ab eâ aſſertum eſt, ut Chriſtus pro iis efficaciter mortuus non ſit, illos ſcilicet regenerando, liberando à poteſtate diaboli, & Eccleſiæ inferendo, at non negat Chriſtum eo animo mortuum eſſe ut eos redimeret. Quandoquidem in Lib. *de tribus Epiſtolis*, c. 19. uſurpat ac ſua facit

verba Sancti Leonis de Juda proditore dicentis: *Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit; quoniam perditionis filius.... prius in desperationem transiit, quàm sacramentum generalis redemptionis Christus impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset fortè etiam hic consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* Et vero, inquit Ecclesia Lugdunensis, *verè ipsius redemptor fieret, si ab eo etiam post tantum reatum piè & fideliter indulgentiam posceret.* *Ibid.*

At, inquies, eadem fuit Lugdunensis Ecclesiæ mens, quæ Concilii Valentini III. anno 855. celebrati: atqui in eo Concilio damnantur Canone quarto Capitula Carisiaca, & definitur *erroneum esse, asserere Christum mortuum esse pro impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui sunt.*

R. Valentini Patres errore facti crediderunt Patres Carisiacos favisse errori illorum qui affirmabant, *infideles in suâ impietate mortuos ex pœnis inferni passione Christi fuisse liberatos.* At ubi suum hunc facti errorem agnoverunt, quod contigit an. 859. in Concilio Lingonensi, censuram suam expunxerunt. Imò utriusque Synodi Carisiacæ & Valentinæ Præsules in Synodo Tullensi apud Saponarias eodem anno ex duodecim Galliæ provinciis habitâ, Valentinos Canones, expunctâ censura tandem susceperunt; sicque tam Carisiaci, quàm Valentini Canones ab iisdem ut Augustini doctrinæ conformes approbati sunt.

ARTICULUS IV.

De effectibus & perfectionibus Voluntatis divinæ.

Quæres 1°. an voluntas Dei sit ab omni defectu libera. R. affirm. docet id eleganter S. August. Lib. 1. Confess. c. 4. ubi Deum ità alloquitur: *Amas, nec æstuas: zelas & securus es: pœnitet te, & non doles: irasceris & tranquillus es: opera mutas, nec mutas consilium: recipis quod nunquam amisisti: nunquam inops & gaudes lucris, nunquam avarus & usuras exigis.*

Quæres 2°. an in Deo sit odium.

R. dari in Deo odium abominationis de peccato, & peccatore formaliter considerato; non autem odium inimicitiæ quod cadit in personam.

Prob. 1. pars, quia odium abominationis eſt ſimplex deteſtatio malitiæ peccati: atqui Deus non poteſt iſtam malitiam non deteſtari, cùm directè ſit ejus bonitati & rectitudini contraria. Unde Prov. 15. dicitur: *Abominatio eſt Domino via impii*, imò & impius formaliter ut talis, ſecundùm id Sap. 14. *Odio ſunt Deo impius & impietas ejus*. Et Pſalm. 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.*

Prob. 2. pars, quia licet Deus odio habeat peccatum in peccatore, ipſam tamen ejus perſonam, quæ opus ſuum eſt, diligit. Nec proinde de perſona ipſa, ſed de formali conditione peccatoris intelligenda ſunt mox laudata teſtimonia.

Quæres 3°. an voluntas Dei ſit omnipotens.

R. affirm. tum quia *Deus omnia quæcumque voluit fecit*, quod mirè exprimit in Gen. 1. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux;* tum quia innumera ſunt quæ ſi vellet, operaretur ſecundùm id Chriſti, Luc. 3. *Dico vobis quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Et Matth. 26. *An putas quia non poſſum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones Angelorum?*

Non debet tamen ex his concludi divinam potentiam ad ea extendi quæ repugnant; Deo ſiquidem Scriptura & SS. Patres tribuunt omnipotentiam, non nihili potentiam: atqui id quod repugnat eſt merum nihil; unde S. Auguſt. Serm. de Symbolo ad Catechum. c. 1. *Deus*, inquit, *omnipotens eſt; & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt, & quod ait Apoſtolus II. Tim. 2. negare ſeipſum non poteſt. Quàm multa non poteſt, & omnipotens eſt! & ideo omnipotens eſt, quia ita non poteſt.*

Quæres 4°. an Deo inſit juſtitia.

Not. Juſtitia eſt virtus reddens unicuique quod ſuum eſt: eaque triplex diſtinguitur, *commutativa*, qua unum datur pro alio accepto vel ablato; *diſtributiva*, qua præmium alicui pro meritis rependitur; *vindicativa*, quâ pœnæ pro admiſſis criminibus infliguntur.

R. 1°. Deus eſt juſtus: ità expreſsè Pſalm. 10. *Juſtus Dominus & juſtitias dilexit.* Et Pſalm. 118. *Juſtus es, Domine, & rectum judicium tuum.*

R. 2°. Strictè loquendo non eſt in Deo juſtitia commutativa: hæc enim in eo poſita eſt, ut tantum detur, quantum acceptum eſt; & importat ſtrictam obligationem retribuendi; atqui Deus nihil poteſt creaturis ſic retribuere: *Quis prior dedit illi*, aït Apo-

ſtolus, Rom. 11. *& retribuetur ei?* Latiori tamen ſenſu admitti poteſt in Deo juſtitia commutativa; quatenùs opera noſtra ex gratiâ elicita proportionem habent cum gloria. Unde interdum SS. Patres aïunt nos unum pro alio commutare, cælum bonis operibus venale eſſe, & ſimilia quæ ſenſu morali intelligenda ſunt.

R. 3°. Eſt in Deo juſtitia diſtributiva decernens mercedem meritis proportionatam. Huic divinæ juſtitiæ confidens S. Paulus dicebat II. ad Timoth. 4. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi; in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex.* Et ad Heb. 6. *Non injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri*, &c.

R. 4°. Exiſtit quoque in Deo juſtitia vindex rependens malis debita ſupplicia: Pſal. 5. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: Matth. 26. v. 16. *Tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.*

Quæres 4°. an Deo inexiſtat miſericordia.

R. affirm. Miſericordia enim eſt virtus inclinans ad ſubveniendum miſeriæ alterius: atqui perfectionem hanc Deo frequenter adſcribit Scriptura. Pſalm. 144. *Miſerator & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors . . . . miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Et certe miſericordia perfectionem dicit ſine imperfectione; ergo exiſtit formaliter in Deo: 1°. dicit perfectionem; quia per eam non fit aliquid contra juſtitiam, ſed ſupra, ut ſi debens 50. det 100. Unde Jacobi 2, *Superexaltat miſericordia judicium*; 2°. perfectio illa eſt in Deo ſine imperfectione, quia licet, ut habetur in nobis, ſit ſpecies triſtitiæ, tamen ex ſua ratione triſtitiam non poſtulat, ſed tantùm velle ſubvenire miſeriæ alienæ.

Dices: Miſericordia & juſtitia ſibi adverſantur; ergo non poſſunt ſimul admitti in Deo.

R. neg. ant. Nam inclinat quidem miſericordia ad parcendum, & juſtitia ad puniendum; ſed cum limitatione quâ tollitur omnis vera oppoſitio, nempe quantum ipſe Deus ſupremus arbiter judicat expedire.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Providentia Dei in ordine naturali.

PRovidentia quæ secundùm etymologiam idem est ac *prævidentia*, quantum ad rem, definitur: *Ordinatio rerum ad debitum finem, per media idonea.* De hac quæruntur præcipuè duo; I. an existat; II. an sit æqualis respectu omnium. Sit

CONCLUSIO Est in Deo providentia, & hæc ad omnia etiam vilissima extenditur.

Prob. 1°. ex Script. Qui omnia etiam minima curat, qui omnes hominis actus dirigit, qui ipsa ejus peccata certo quodam sensu ordinat, ei necessario inest providentia: atqui Deus 1°. omnia curat etiam minima, Sap. 12. *Non est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus.* Matth. 6. *Respicite volatilia cœli quoniam non serunt.... & Pater vester pascit illa*; 2°. omnes hominis actus dirigit. Prov. 16. *Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus ejus.* Et cap. 21. *Sicut divisiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini*; 3°. ipsa etiam mala ordinat, quatenus iis suos in fines utitur; unde Joseph ad fratres, Gen. 50. *Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum.* Hinc Augustinus de Gen. ad lit. c. 5. *Vitiorum non est autor Deus, sed ordinator.*

Confirm. quia quæ maximè fortuita videntur, ordinationi divinæ adscribuntur in Scripturis, certe nihil magis contingens videtur, quam sors; & tamen Prov. 16. v. 33. dicitur: *Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.*

Prob. 2°. quia Epicuri providentiam negantis opinio de medio tollit omnem Religionem, omnibusque facinoribus viam aperit: *Si Dei providentia*, inquit August. Lib. de utilit. credendi, c. 16. *non præsidet rebus humanis, nihil est de Religione satagendum.* Et Lactantius Lib. de irâ Dei c. 8. *Si Deus, colentium obsequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam stultum, quàm templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur?* Consecutionem vidit ipse Tullius Lib. 1. de Nat. Deorum. *Si dii*, aït, *neque possunt nos juvare, nec volunt, nec curant omninò, quid ullos diis immortalibus cultus, honores, preces exhibemus?*

Prob. 3°. ratione. Si Deus rebus omnibus non providet, vel quia non potest, vel quia non vult, vel quia

id supremam ipsius majestatem dedecet: atqui nullum horum dici potest. Non 1. Deus enim ex supra probatis, cognoscit singula entia, etiam minima, & aliunde infinita ejus potentia omnibus abundè sufficit. Non 2. summa siquidem Dei bonitas non patitur suspicari, quod nolit eorum curam gerere, quæ ipse condidit. Non 3. si enim divina majestate indignum non sit res quaslibet viles creare, neque ipsum dedecere potest easdem regere.

Obj. 1°. Apostolus I. ad Cor. 9. aït. *Numquid de bobus cura est Deo?* ergo Deus rebus omnibus non consulit. R. dist. de bobus non est cura Deo comparatè ad specialem curam, quam gerit de hominibus, C. non est cura absolutè, N. Apostolus eo loci probat Evangelii præconibus debitam esse alimoniam, atque eam in rem citat præceptum Deuter. 25. *Non alligabis os bovi trituranti*, cujus præcipuum sensum vult esse non de bobus, sed de Ministris qui laborant & triturant in area Domini, quia homines longè magis curat Deus, quàm boves: at non omnem de animalibus curam Deo abnegat, cùm scriptum sit, Psal. 35. *Homines & jumenta salvabis, Domine;* & Psal. 146. *Qui dat jumentis escam ipsorum, & pullis corvorum invocantibus eum.*

Obj. 2°. Si Deus esset providus, non pateretur bonos vexari, & nocentes florere: atqui.

R. nego maj. nam Deus ista permittit, pluribus de causis: 1°. ut justis patientiæ, humilitatis & contemptus mundi materia præbeatur: 2°. ut eorum peccata levia purgentur; 3°. ut improborum quædam facta bona temporalibus hisce præmiis compensentur.

Obj. 3°. Sapiens provisor excludit malum ab iis, quorum curam gerit: sed Deus à rebus singulis malum non excludit; non à rebus naturaliter agentibus, quarum pleræque se invicem destruunt, non etiam ab agentibus liberis, sinit enim hominem tentari & peccare; ergo.

R. dist. maj. provisor particularis, C. universalis, N. Provisor particularis ad unum respicit, ac proinde ejus bonum procurare debet, quantum potest: at provisor universalis respicit ad omnia simul, & juxta sapientiæ regulas permittit defectum aliquem in rebus particularibus, ne impediatur bonum totius. *Deus omnipotens*, aït S. Augustinus, Enchirid. 1. *nullomodo sineret malum aliquod esse in operibus suis, nisi us-*

que adeo esset omnipotens & bonus, ut benefaceret etiam de malo.

Obj. 4°. Providentia esset actus vel intellectûs, vel voluntatis; atqui neutrum dici potest.

R. neg. maj. Rectè enim & rectiùs dicitur ad utramque facultatem pertinere: nam divinæ providentiæ est non tantùm media cognoscere apta ad finem, sed & illa præparare: porro prior actus ad intellectum pertinet, posterior ad voluntatem. Et vero prædestinatio, quæ est præstantissima providentiæ species, in Scripturis modo per actum intellectûs exprimitur, ut Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri, &c.* modo per actum voluntatis, ut Ephes. 1. *prædestinavit nos.... secundùm consilium voluntatis suæ.*

Conclusio II. Providentia non est æqualis respectu omnium.

Prob. ex citato textu: *Numquid de bobus cura est Deo?* unde id Sap. 6. *Æqualiter ei cura est de omnibus*, non significat quod æquales sint effectus providentiæ Dei respectu omnium, sed tantùm quod ea providentia ad omnes sine exceptione extenditur.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Providentia in ordine supernaturali.

PRovidentia supernaturalis est *ordinatio creaturarum rationalium ad finem supernaturalem per media supernaturalia.* Providentia igitur latius patet quàm prædestinatio: hæc enim prædestinatio respicit solos electos; illa vero extenditur ad ipsos etiam reprobos, quibus præparat media, verè & relativè ad eorum salutem sufficientia: itaque providentia supernaturalis se habet ut genus, prædestinatio vero & reprobatio sunt veluti illius species. De his agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De Prædestinatione

De dono persev. c. 14. PRædestinatio definitur à S. Augustino: *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.* Ab aliis vero pluribus; *Æternum decretum, quo Deus efficaciter providet quibusdam de gratiis largiendis in hac vita, & de assecutione regni cœlorum in altera.* Unde sequitur du-

plicem esse prædestinationem, unam ad gratiam, alteram ad gloriam: aut si unica sit, illam posse considerari, vel adæquate, prout respicit simul gratiam & gloriam, vel inadæquate prout respicit, sive gratiam solam, sive solam gloriam. Jam quæritur an & quæ sit utriusque prædestinationis causa meritoria: quod ut clariùs innotescat, sit

§. I. *De causa meritoria Prædestinationis ad gratiam.*

Meritum quod generatim definitur, Opus honestum & mercede dignum, duplex est; unum *de condigno*, vel meritum simpliciter; alterum *de congruo*, vel meritum secundum quid. Meritum de condigno, est opus ejusdem conditionis cum mercede, eamque ex justitia postulans, suppositâ promissione divinâ: meritum de congruo non habet ordinarie annexam promissionem, neque illi debetur merces, nisi ex quadam decentiâ & favore qui maximè congruit bonitati divinæ.

Quæritur itaque utrum ex aliquo merito sive de condigno, sive de congruo fiat prædestinatio ad gratiam: id inquam, quæritur præsertim de prima gratia, quâ scilicet inchoatur negotium nostræ salutis, & de dono perseverantiæ quod illud idem negotium consummatur.

Conclusio I. Prædestinatio ad primam gratiam est gratuita.

Prob. quia triplex modus cogitari potest quo sit in nobis meritum prædestinationis ad primam gratiam: 1°. ut animæ priùs creatæ sint, quàm infusæ corporibus, & secundum ea quæ tunc gesserint, primam gratiam acceperint; 2°. ut per opera bona merè naturalia, vel saltem aliquod bonæ voluntatis initium mereantur ad gratiam provehi; 3°. ut propter prævisum bonum liberi arbitrii usum per gratiam, vel ob antecedentem quandam dispositionem negativam, seu non resistentiam ex parte nostri, conferatur eadem gratia: atqui nullus ex his modis admitti potest. Non 1. quem Origenes invexit. Is enim directè pugnat cum doctrina Apostoli, Rom 9. ubi totam prædestinationis œconomiam explicat typo Jacob & Esau, de quibus, *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, dictum est*: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Non 2. qui Pelagianorum est & Semipelagianorum; & is enim pugnat contra id I. Cor. 4. v. 7. *Quid habes quod non accepisti?* & Joan. 6. v. 44. *Nemo potest ve-*

nire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Non 3. neque enim Tyriis data est gratia quâ tamen iidem bene usuri prævidebantur. Neque hæc à fortiori datur ob negativas naturæ dispositiones; alioqui jam gratia non erit gratia, ut sæpè contra Semipelagianos arguit Augustinus.

Ceterum licet nemini gratia ulla debeatur ex merito, gratiam tamen sufficientem infallibiliter Deus largitur, virtute providentiæ generalis, quâ vult omnium salutem, ut probatum est supra.

Conclusio II. Gratia efficax perseverantiæ, quatenus importat conjunctionem mortis cum statu gratiæ habitualis, est peculiari modo objectum gratiæ prædestinationis.

Prob. quia non solum nullum est opus bonum, cui sit promissa talis gratia, sed nequidem est promissa ulli numero bonorum operum, quantuscumque fuerit; alias enim post exactum certum tempus in exercitio bonorum operum, aliquis de æternâ salute suâ posset esse securus, contra id Rom. 11. *Tu autem fide stas; noli altum sapere, sed time.* I. Cor. 10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.*

Fatendum tamen donum perseverantiæ cadere sub meritum de congruo, secundum id Aug. L. de dono persev. c. 6. *Hoc ergo Dei donum simpliciter emereri potest.* Et c. 16. *Cum constet Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam, &c.* Verum id non nocet nostræ conclusioni; quia meritum de congruo, cum non sit fundatum in divina promissione, neque supponat veram rationem mercedis in re data, nullo modo impedit gratuitatem prædestinationis.

Dices: Ex vulgari axiomate: *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam;* ergo prædestinatio ad primam gratiam sit ex meritis.

R. dist. ant. Facienti quod in se est per gratiam prævenientem, C. per vires liberi arbitrii, N. nam opera naturalia non sunt proportionata cum gratia promerenda quæ est ordinis supernaturalis. Unde quod dicit S. Thomas q. 14. de ver. a. 11. ei qui in sylvis nutritus, ductum rationis sequeretur, fidem certissime revelandam, uti Cornelio Centurioni revelata est, intelligendum de eo qui per gratiæ, non autem per naturæ vires legem naturalem impleret. Et vero men-

tem ſuam confirmat S. Doctor facto Cornelii, qui orationibus & eleemoſynis fidei gratiam impetravit: porro Cornelius non ſine gratia & fide implicita orabat, ut docet idem S. Thomas 2. 2. q. 11. art. 4. ad 3. poſt S. Auguſt. Lib. de Prædeſt. SS. cap. 7.

§. II. *Utrum Prædeſtinatio ad gloriam fiat ex prævifis meritis.*

Senſus quæſtionis eſt, an Deus ut ad gratiam primam, ſic & ad gloriam prædeſtinet ante meritorum prævifionem; ſuntque eâ de re quatuor præcipuæ Catholicorum opiniones.

Prima eorum eſt qui docent prædeſtinationem ad gloriam fieri ex meritorum prævifione.

Secunda eorum eſt qui ex adverſo prædeſtinationem hanc volunt antecedere prævifionem omnium meritorum ſaltem abſolute futurorum.

Tertia opinio duplicem diſtinguit ſalvandorum ordinem, unum ſcilicet inſigniorum, quorum prædeſtinatio præcedit prævifionem meritorum quales fuerunt B. Virgo, Prophetæ, Apoſtoli & alii pauci; alterum vero ceterorum electorum, quorum prædeſtinatio non fit niſi ex prævifis meritis: ità Catharinus, Iſambertus, &c.

Quarta ſententia nullum agnoſcit ordinem prioritatis & poſterioritatis, etiam ſecundum rationem, inter prædeſtinationem ad gloriam & ad gratiam, ſed ad utrumque illud objectum ſimul fieri contendit electorum prædeſtinationem: ità de Rhodes, Duhamel, &c. Prima & ſecunda opinio totam pene Scholam dividit. Terruit me jam ſeneſcentem ſecunda, quam junior pro aris tuitus ſum. Utriuſque quàm æquâ lance potero momenta proponam: ſic tamen ut nec recedam à Tournelyo noſtro, nec compendii limites transgrediar. Sit itaque

Conclusio I. Nihil eſt in Scripturis unde prædeſtinatio gratuita ad gloriam ſufficienter probetur.

Prob. quia ſi quæ unquam opinio gravibus & pene invictis probationibus indiget, ea certe quæ gratuitam prædeſtinationem admittit; cùm per eam totus pene orbis à ſalute efficaciter quodammodo excludatur, ut infra dicemus: atqui tamen opinio illa nullum invicte cogens in Scripturis fundamentum habet, ut patebit ex probabili objectionum ſolutione, ergo.

Confirm. quia contrariam opinionem ſuadent, ſi non invicte adſtruunt plures Scripturæ textus: Math. 25.

v. 34. hæc loquitur Christus: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim & dedistis mihi manducare*, &c. unde sic: Ut ex eo textu deducatur prædestinatio merita consequens, sufficit ut regnum Dei non modo possideatur propter bona merita, sed & propter ea præparatum fuerit: atqui, ex citato textu, regnum Dei ..... 1°. enim ità docet Chrysostomus Homil. 80. in Matth. ubi sic loquentem Christum inducit: *Quia sciebam vos, antequam nati essetis, hujusmodi futuros; hæc vobis à me præparata fuére.* Cui consonat vulgatum id Hieronymi, luculenti sane interpretis: *Hoc juxta præscientiam Dei accipiendum est, apud quem futura jam facta sunt.* 2°. quia eam fert Christus sententiam, cujus æquitas os reproborum obstruat, omnemque adimat causam excusationis: atqui si electis non propter opera, sed gratuito præparatum sit regnum cæleste, est unde se utcumque excusent reprobi. Est enim quod dicant: Si nos efficaciter electi essemus ut alii, ea dubio procul fecissemus, quæ ipsi fecêre; rursumque si non magis quàm nos electi fuissent, non plus fecissent boni, quam fecerimus nos. 3°. quia eo modò particula *enim* dat causam præparationis & actualis collationis gloriæ, quo particula *enim* subjuncta isti sententiæ, *Ite maledicti*, dat causam præparationis & collationis pœnæ. Ecqui vero vox eadem diversimode explicabitur in versibus quorum alter alterum sequitur, & è converso reddit: atqui particula *enim* versui posteriori conjuncta dat causam non modo irrogatæ, sed & præparatæ damnationis; ergo & priori sententiæ conjuncta dat causam non modo redditæ, sed & præparatæ gloriæ.

In cap. 2. Matth. 9.

Dices: si particula *enim* referatur ad hanc vocem, *paratum*, quæ in utroque sententiæ Christi membro reperitur, sequetur ignem *diabolo & angelis ejus* ideo fuisse paratum, quia peccavere homines qui Christum esurientem non paverunt; quod absurdum est.

R. neg. maj. Liquet enim Christum hic rationem reddere cur illis reprobis æque paratus sit ignis ac Diabolo & Angelis ejus; nimirum ob mala opera quibus dæmones imitati sunt: ità ut sensus sit: Ite maledicti in ignem, qui paratus est Diabolo .... & vobis similiter ob mala vestra facinora; quia esurivi & non dedistis mihi manducare, &c.

II. Petri c. 1. *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis*: cui concinit

istud Apocal. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* unde sic incerta est salus nostra, semperque subest periculum ne à corona nostra excidamus: atqui incertitudo hæc, istudque periculum stant quidem cum prædestinatione qualem admittimus, non autem cum ea quam admittunt adversarii. Ubi enim est decretum absolutum certum, & infallibiliter, ne dicam necessario, effectûs sui productivum, ibi nulla est incertitudo, nullum à corona indeclinabiliter asserta excidendi periculum: atqui ubi est prædestinatio ante merita, ibi est decretum, &c.

Confirmatur. Ex D. Petro perseverantia in bonis operibus certam facit nostram electionem: atqui è contra in adversariorum systemate electio certam facit perseverantiam: quærenti enim cur Petrus perseverare voluerit, non Judas, id unum, si candide loqueris, regeres, quia alter ad gloriam electus fuerit, alter nequaquam.

Respondent cum Ruiz, coronæ ante merita præparatæ jacturam, licet in sensu composito prædestinationis contingere nequeat, esse tamen absolutè possibilem: quod ad exhortationes, minas & tremorem sufficit. Addunt alii tremorem hunc fortiùs incuti prædestinatis, qui territi sedulo tenebunt quod habent & coronam assequentur.

Verum hæc parum cohærenter dicuntur. Vanum enim est timere ne eveniat in certa hypothesi quod eâdem positâ evenire impossibile est: atqui positâ semel prædestinationis hypothesi impossibile est ex adversario, ut à corona præparata excidatur; idque impossibile est antecedenter, & vi decreti absoluti; ergo prædestinatio non facit ut timor fortiùs incutiatur, sed ut falso & vane incutiatur.

Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui;* græcè simpliciter, *Prædestinavit conformes imaginis,* &c. unde sic: si textus ille, quem plures ex adversariis de prædestinatione ad gloriam intelligunt, hunc habeat sensum: *Quorum præscivit merita, horum prædestinavit præmia,* jam opinionem nostram solide confirmat: atqui sensum hunc commode fert citatus textus: 1°. quia hunc expressè tradiderunt SS. Patres: sic, ut Origenem omittam, Theodoretus hic: *Non simpliciter prædestinavit, sed cum præscisset, prædestinavit.* Sic Ambrosius L. 5. de fide, c. 3. *quos præscivit, hos & prædestinavit; quia non*

ante prædestinavit quàm præscivit: sed quorum merita præscivit, eorum præmia prædestinavit. Sic Hieronymus: *Quos prævidit conformes futuros in vita, voluit ut fierent conformes in gloria;* quod & iisdem pene verbis repetit Primasius Augustini discipulus in hunc locum; sic Sedulius Augustino æqualis, in eadem verba: *Hos quos præscivit futuros devotos sibi, ipsos elegit ad præmia capessenda.* Et paulo post: *Aliud est præscire, aliud prædestinare: Præscientia itaque gerenda prænoscit; postmodum prædestinatio retribuenda describit: illa prævidet merita; hæc prædestinat præmia.*

2°. Eundem sensum patitur, nisi omnino exigit scopus Apostoli. Siquidem hic ad patientiam hortatur fideles, à qua pendere vult ut Christi simus cohæredes in gloria:. v. 17. *hæredes quidem Dei; cohæredes autem Christi, si tamen compatimur*, &c. v. 18. demonstrat nihil esse *passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis;* demum gloriam hanc iis ostendit paratam esse, quos pie passuros prævidit Deus: *Quos præscivit*, hos *& prædestinavit. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit,* &c. atqui hæc omnia pugnant pro nobis; ergo. Atque hinc convellitur eorum responsio, qui verbum hoc *præscivit*, idem esse volunt, ac *prædilexit*, adeo ut is sit sensus: Quos prædilexit, hos prædestinavit. Repugnat enim tum citatis Patribus, tum scopo Apostoli, qui non aliquos tantùm, sed fideles omnes hortatur ad patientiam; pessime autem hortaretur, quia Deus paucis quibusdam, imo paucissimis, æternam gloriam præparavit. Ceteras probationes omittere cogit instituti laboris ratio.

Obj. 1°. Quod est principium omnis meriti, non fit consequenter ad prævisum meritum: atqui prædestinatio est principium... Prob. min. Joan. 10. *Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt.... & ego vitam æternam do eis & non peribunt in æternum.* Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Utique illud est principium meriti, vi cujus, dum illi non credunt, credunt isti, vocem Dei constanter audiunt, & demum vitam æternam promerentur: atqui vi prædestinationis credunt isti, dum alii non credunt, &c.

R. 1°. Si oves credunt, præcisè quia sunt oves, ità ut credant quotquot antecedenti decreto sunt oves, à contrario jure non credunt quicumque eodem decreto

ab ovium ratione exclusi sunt; atqui videtur id & uno sensu falsum, & alio hæreticum. Falsum, quia alioquin minùs justè redarguuntur non oves comparate ad oves; hæreticum vero, quia fide constat è reprobis plures credere, diuque aliquando in justitia stare; ergo.

R. 2°. ad 1. & 2. neg. min. 1°. enim nihil est cur textus ille de solis prædestinatis intelligatur: unde per oves ii possunt intelligi qui divinæ voci humiliter obtemperant. *Et ego*, ait Christus, *cognosco eas*, scientia approbationis. *Et vitam æternam do eis*, nunc quidem in spe & per gratiam; deinceps autem re, & per gloriam, modo in statu ovium perseverent. *Et non rapiet eas quisquam de manu meâ*; id est nec mundi nec inferi conatus easdem de manu meâ rapere poterunt: unde si pereant, suâ culpâ & voluntate peribunt. Sic quidem, fateor, verba Christi, non absolute, sed conditionate intelliguntur: at sic intelligenda esse liquet ex textibus parallelis: Joan. 3. v. 16. *Ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*; supple si in vera & ardenti fide perseveret. Philip. 1. 6. *Qui cœpit in vobis bonum ipse perficiet*, quantum nempe de se erit, & *nisi ipsi illius gratiæ defuerint*, prout interpretatur Trident. Sess. 6. c. 13.

2°. Etsi textus ille de prædestinatis ad gloriam intelligatur ad mentem August. tract. 48. in Joan. nihil est cur non de prædestinatione merita prævisa consequente explicetur, adeo ut quemadmodum Judæi quos alloquitur Christus, reprobandi erant ob prævisam suam in incredulitate & peccato perseverantiam, sic & ii, quos oves vocat idem Christus, haud perituri unquam dicantur, quia in bono constanter permansuri prævidebantur. Et ità locum hunc exponunt Chrisostomus & Cyrillus, apud Toletum hic annot. 16. & Maldonatum.

Eò autem potior est prima explicatio, quæ locum hunc de prædestinatione ad gratiam intelligit, 1°. quod nullam Judæis excusationem relinquat, quam & multam relinquit expositio adversariorum; 2°. quod temere prorsus asserat quis neminem eorum, qui tunc oves non erant, deinceps ovem factum fuisse per sinceram fidem, prout ibid. hortatur Christus v. 38. 3°. quod non temere minus asseratur ex iis qui tunc dociles Christi vocem auscultabant, ac proin & ipsi erant oves, neminem à justitia excidisse.

Nihilo plus urget textus è cap. 13. Act. cujus juxta Græcum textum sensus est, credidisse quotquot ex auxilio gratiæ non in vanum receptæ bene dispositi & affecti erant ad vitam æternam, quæ non in æternâ solùm gloriâ, sed & in cognitione Dei & quem misit Filii aliquando reponitur, ut Joan. 17. v. 3. Et vero unde habent adversarii, vel eos omnes qui tunc crediderunt, usque ad finem perseverasse; vel eorum qui tunc credere renuerunt, neminem deinceps credidisse?

Sed si textus ille de prædestinatione ad gloriam intelligatur, quid tum? crediderunt quotquot antequam existerent, ad vitam æternam prædestinati erant; ergo ante prævisa merita prædestinati erant, bellam consecutionem!

Obj. 2°. Ea prædestinatio est gratuita, vi cujus Deus ab electis propulsat mala omnia quibus induci possent ad peccandum, aut saltem ad perseverandum in peccato: atqui vi prædestinationis Deus.... Prob. min. Sap. 4. 11. *Raptus est nè malitia mutaret intellectum ejus... placita enim erat Deo anima illius:* PROPTER HOC *properavit educere illum de medio iniquitatum.* Matth. 24. 22. *Nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur.* Luc. 22. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum;* ubi complacuit, græce merum Dei beneplacitum sonat.

R. ad 1. neg. min. quæ nullo ex objectis textibus satis evincitur.

Non 1. Unde potius contrarium colligitur, 1°. quia si efficaci & antecedenti decreto ad gloriam prædestinatus erat is de quo agitur Sap. 11. nusquam, saltem finaliter, mutasset malitia intellectum ejus; ergo non erat cur ad avertendam mutationem hanc raperetur; 2°. properavit Deus eum educere è medio iniquitatum, propterea quod placita esset Deo anima ejus: hæc autem propter bona opera, & quia *in brevi* explesset *tempora multa*, Deo placita erat; 3°. aliud est rapi quempiam nè malitia mutet intellectum ejus, aliud eum rapi nè damnetur. Sunt enim salvandi plures, ut David, quorum intellectum, & perdiu aliquando, mutavit malitia: atqui non dicit Sapiens raptum fuisse Henoc, de quo hic sermo, nè damnaretur; ergo nil dicit quod prædestinationem ad gloriam exprimat, sed tantum singularem Dei erga justos aliquos providentiam exhibet. Et vero quis credat justos omnes

qui immatura morte rapiuntur, perituros fuisse si senuissent?

Non 2. 1°. quia etiamsi breviati non fuissent dies de quibus loquitur Christus, salvi tamen fuissent quotquot ad salutem antecedenti decreto præordinati erant; 2°. quia in illa sermonis Christi parte, non agitur de consummatione seculi, sed, ut legenti patet, de excidio Jerosolymæ, cujus calamitas nisi breviata fuisset, *non fieret salva omnis caro*, id est Judæorum nemo evaderet: *Sed propter electos*, id est pauculos fideles, vel electos inchoativè secundùm justitiam præsentem; vel electos finaliter ob prævisam in bono perseverantiam, *breviabuntur dies illi*, seu hoc illis gratuito concedat Deus, quemadmodum Sodomæ liberationem, decem qui in ea fuissent justis indulsisset; sive ex prævisione gemituum & precum quibus id erant impetraturi: atque ità locum hunc exponunt Ambrosius, Chrysostomus, Theophylactus, & alii quos citant Salmeron & Cornelius à Lapide.

Non 3. quia per pusillum gregem intelligi possunt, quin & debent ii omnes quos tunc alloquebatur Christus: atqui Christus vel discipulos omnes, vel saltem omnes Apostolos, & cum iis Judam alloquebatur; neque tamen ii omnes ad gloriam efficaciter prædestinati erant; ergo benigna regni memorati præparatio non erat efficax & antecedens.

Confirm. quia si hic Apostolos de prædestinatione suâ ut absolute decretâ certos fecisset Christus, jam nihil erat cur æternæ suæ saluti timerent; sicut nec erat quod post Christi promissionem, si ibid. v. 22. absolutè facta supponatur, timeret ne sibi deessent ad victum necessaria: atqui tamen vel in hoc ipso capite, & alibi pluries hortatur Christus Apostolos suos ut cum metu & tremore salutem suam operentur: ne forte sortem habeant illius, quem Dominus intempestivâ nocte adveniens male paratum invenit. Nec mihi dubium est quin interrogati de salute suâ Apostoli, ut plurimùm respondissent cum Paulo: *Castigo corpus meum... nè fortè cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* *I. Cor* 9.

Obj. 3°. celebrem Apostoli textum, Rom. 9. v. 11. *Cùm nondum nati fuissent*, Esaü scilicet & Jacob. *aut aliquid boni egissent, aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante* (Deo) *dictum est ei*, Rebeccæ nimirum: *Quia major serviet minori sicut scriptum est: Jacob dilexi,* *Malac* 1.

Esaü autem odio habui. Quid ergo dicemus? numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dixit: Miserebor cujus misereor; & misericordiam præstabo cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo tu quis es qui respondeas Deo?... Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.

Gonet. Ex hoc textu jam per se evidentiori, sic disputo: Non potest reddi ratio cur unus ad gloriam eligatur, alter vero non: atqui si prædestinatio ad gloriam fieret ex prævisis meritis tanquàm à causa, facile electionis hujus ratio redderetur. Minor patet; quia interroganti cur iste electus fuerit, statim responderetur, quia prævisus est cùm gratia benè operaturus usque in finem. Prob. itaque maj. De eo ratio reddi nequit, quod totum ad summum divinæ sapientiæ altitudinem, & inscrutabilia ejus judicia revocandum est: atqui Apostolus de prædestinationis nostræ causâ differens, eam totam refert ad inscrutabilia judicia Dei, qui cujus vult miseretur, & quem vult negativè indurat; nec plus in eo ad opera respicit, quam respexerit ad opera Jacob, cùm eum dilexit, & præposuit Esaü; ergo.

Confirm. 1°. ex gravi, quam sibi hunc in modum proponit Apostolus, objectione: si Dei erga Jacob dilectio, non in prævisa illius opera, sed in solam Dei *Juenin.* voluntatem refundatur, injustè conqueritur idem Deus de iis qui in perditionis massâ cum Esaü derelinquuntur: *Quid adhuc queritur? voluntati enim ejus quis resistit*: atqui ut tremendam hanc objectionem diluat Apostolus, non recurrit nisi ad supremam Dei voluntatem, qui instar figuli de eadem massa per peccatum corruptâ facere potest aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam, licet in massa nihil sit quod ad unum moveat magis quàm aliud. *O homo tu quis es*, &c. ut sup.

Confirm. 2°. quia ex Apostolo, Deus in sua erga Jacob dilectione ostendere voluit misericordiam suam, suam vero justitiam in suo adversùs Esaü odio. *Quod si*, inquit, *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*: at-

qui si electio Jacob aliorumque prædestinatorum cujus ipse imago est, ex prævisis meritis facta fuerit, jam corruit hæc Apostoli ratio. Neque enim suam in illa electione misericordiam probavit Deus, sed justitiam tantùm. Ex justitia enim non ex misericordia eliguntur, qui dependenter à meritis prævisis destinantur ad gloriam.

R. 1°. cum Becano, c. 14. q. 4. n. 27. Catholicos eo textu uti non posse, ut electionem absolutam ad gloriam probent, nisi simul velint reprobationem ad inferi pœnas, factam pariter esse antecedenti & absoluto decreto ante demeritorum prævisionem: Paulus enim de utraque loquitur simili modo, & æquè boni cujuscumque aut mali operis prævisionem excludit his verbis: *Cum nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali.* Nec minùs, juxta adversarios, de damnatione loquitur quàm de salute cùm ait: *Esaü odio habui, vas in contumeliam*, &c. Porrò expositionem hanc uti hæreticam rejiciunt & horrent Catholici omnes; constat igitur Apostoli verba mitiori, quàm præ se ferre videantur, sensu intelligenda esse. Constat rursùs, hic, si unquam, timido pede procedendum: cùm, testibus Origene, Hieronymo, Æcumenio, & Augustino pluries, id quod a S. Petro dictum est, Ep. 2. c. 3. v. 16. *in Epistolis Pauli quædam esse difficilia intellectu, quæ indocti depravant*, præcipue cadat in cap. 9. Epist. ad Romanos. *L. 2. retract. cap. 25. Epist. 46. ad Valent.*

R. 2°. in toto eo capite nihil esse de prædestinatione ad gloriam, sed agi solùm de vocatione ad justitiam, à qua justitia exciderint Judæi propter incredulitatem; ad quam vero è contra pervenerint Gentes propter fidem in Christum. Et id disertè docet Apostolus, v, 30. ubi totum caput ità concludit: *Quid ergo dicemus, quod gentes quæ sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam;* quia Christo per Apostolos vocanti crediderunt. *Israël vero sectando legem justitiæ* Mosaïcæ, á qua per Evangelii præcones avertebatur? *in legem* veræ Christi *justitiæ non pervenit. Quare? quia non ex fide*, seu quia in Christum credere noluit, prout fusè probat Apostolus, cap. seq. præsertim v. 8. & 21.

Confirm. 1°. quia in hoc capite ix. quod præcedentium corollarium est, idem versat Paulus argumentum, quod hactenus tractaverat: atqui in octo quæ præcedunt capitibus, nihil aliud agit Apostolus, quàm ut ostendat, neque Judæos, neque Gentiles ad justitiam ob merita sua vocatos fuisse, utrosque pariter indigu-

isse gloriâ seu misericordiâ Dei, justitiam gratis à Deo per fidem dari omnibus qui credunt, Judæis & Gentilibus; ergo non est cur ulterius in capite 9. processisse supponatur, Vide opus uno omnium ore celebratum, cui titulus: *Triplex Expositio* in Paulum, hic p. 154.

Confirm. 2°. ex continuo illo dolore quo angebatur cor Apostoli, ibid. v. 2. Non enim dolebat quia Judæi à gloria, seu à prædestinatione æternâ excidissent, tum quia ab illa, utpotè antecedenter decreta non caditur juxta adversarios, tum quia singularium prædestinatio ei nota non erat; ergo dolebat quod Judæi, quia Spiritui sancto rebelles, exciderant à justitia, seque extra salutis viam constituerant.

Confirm. 3°. quia qui semel à gloriæ decreto præcisi sunt, in illud restitui non valent: atqui Judæi in priorem statum restitui poterant; idque totis viribus efficere conatur Apostolus, cap. 10. & 11. ubi eos *ad æmulandum* provocat, *ut salvos* faciat saltèm *aliquos* ex illis, v. 14. ergo id unde exciderant erat justitiæ status.

Confirm. 4°. quia prædestinatio & reprobatio respiciunt personas singulares, non autem populos: atqui locus Apostoli directè & formaliter respicit populos, per Jacob & Esaü præfiguratos, Gentiles scilicet & Judæos, ergo.

Confirm. 5°. quia Gentiles, id credendo, consecuti erant in quo stare noluerant Judæi, ut patet ex contextu: atqui Gentiles Evangelio credentes, haud utique omnes ad gloriam prædestinati erant; unde eos hortatur Paulus ut sibi à casu & ruinâ timeant, v. 18. & 20. ergo. His positis ruit objectio, ruunt & ejus confirmationes. Unde ad 1. neg. maj. quæ supponit, sed non probat hic agi de prædestinatione ad gloriam.

Ad majoris probationem licet hæc extra rem sit, dico Apostolum ad supremum Dei dominium recurrere, ut uno ictu sapientiam humanam domet & conterat; ostendatque Deo loquenti credendum; non inquirendum curiosiùs cur hoc vel illo modo agat. Ceterùm non deerant unde Dei agendi rationem justificaret; quod & facit duobus quæ sequuntur capitibus, ubi satis innuit, quod & à Stephano audire poterat, Judæos à justitia excidisse, quia semper Spiritui sancto restitissent; Gentiles vero justitiam apprehendisse, quia vocem ejus audientes non obduraverant corda sua. Tota solutio est S. Chrysostomi, quo

Act. 7.

Chry-

nemo pleniùs fortè mentem Apostoli assecutus est. *Sost. hom.16.*
Atque hinc dilabitur prima confirmatio.

Ad 2°. quæ sicut prima gratis supponit Paulum de prædestinatione ad gloriam disserere, dico nullam ab Apostolo aut ab alio quopiam reddi posse rationem, cur Deus Gentiles ad justitiam vel simpliciter, vel præ Judæis vocaverit; quia præterquàm vocatio ad fidem à mero Dei beneplacito pendet, hæc justificationem verè & strictè non meretur, ut docet Tridentinum sess. 6. c. 8. Unde etsi quærenti cur fidelis poenitens à Deo justificatus fuerit, responderi potest cum Chrysostomo, quia gratiæ consentiens credidit, responderi & optimè potest cum Augustino, quia Deus hunc gratuito ad justitiam elegit.

Ex his patet verba hæc, *Neque volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, primas quidem tribuere partes misericordiæ, quæ gratis vocat & justificat: sed non excludere hominis cooperationem. Hinc Apostolus ipse: *Sic currite ut comprehendatis;* & Augustinus, L. 1. ad Simplicianum, q. 2. *Noluit ergo Esaü & non cucurrit: sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione contemptâ reprobus fieret.* Unde liquet, id, *Cujus vult miseretur*, ab Augustino de misericordia non coronante, sed ad fidem vocante intelligi. Et vero non dicit Paulus: *Cujus vult miseretur, & quem vult reprobat*, sed, *quem vult indurat;* ergo sicut induratio medium est ad reprobationem, non ipsa reprobatio, sic misericordia in mente Apostoli, medium est ad coronam, non ipsa corona.

Nec nocet istud: *Vasa misericordiæ, quæ præparavit in* GLORIAM; quia per gloriam non hic intelligitur gloria seu salus hominis, sed gloria externa Dei ipsius, qui per bona Justorum suorum opera vult glorificari, prout expressè interpretatur Haymo. Favet huic sensui tum græca vox, quæ famam & nominis claritatem significat, non autem Regnum cæleste; tum exemplaria quædam græca, quæ, teste Estio, legunt *ad gloriam suam;* tum Augustinus, l. 2. ad Bonif. c. 7. ubi hunc Apostoli textum explicans, ait: *Notas facit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ: quoniam quod ab iræ vasis exigit justitia punientis, hoc vasis misericordiæ dimittit gratia liberantis:* ubi & solùm loquitur de dimissione peccatorum per gratiam.

At, inquies, opponit Apostolus vasa misericordiæ quæ præparavit Deus *in gloriam*, vasis iræ aptis *in*

interitum; ergo ut hic interitus sumitur pro morte æternâ, sic & gloria sumitur pro æterna hominis salute.

R. Apostolum opponere quidem vasa vasis, sed non interitum saluti. Unde tota oppositio est inter ista verba *sustinuit* & *præparavit;* ità ut is sit sensus: Malos qui se tales fecerant, diu sustinuit, ut tandem in eis potentiam suam ostenderet; bonos vero, licet de se ineptos, directè præparavit ad justitiam pro claritate nominis sui.

Neque tamen multum profecerint adversarii, si per gloriam intelligatur æterna hominis salus: hæc enim post prævisa merita, non ante, præparata dici potest. Ad hoc enim sufficit ut quæ Apostolus vocavit vasa misericordiæ, vocare potuerit vasa justitiæ; hæc enim merita supponit: atqui ex S. Fulgentio, L. 1. ad Monimum, c. 26. poterat *Apostolus, quos dixit vasa misericordiæ, vasa justitiæ nuncupare;* non sic autem nuncupavit, *nè forsitan ex se ipsis habere justitiam putarentur;* ergo. Idem docet Chrysostomus his verbis: *Non ait*, Apostolus, *Dei rèm totam esse*, quod vasa hæc in gloriam præparata sint: *Quandoquidem si hoc esset, nihil esset quod omnes salvos fieri prohiberet.* Et rursus: *Quemadmodum Pharao vas iræ effectus est à sua iniquitate, ità & hi vasa misericordiæ à sua probitate*, utique prævisa, cùm nondum quid egissent.

Inst. ex Apostolo, Vasa misericordiæ in gloriam præparata sunt, *ut secundùm electionem propositum maneret;* atqui ex eod. Apost. propositum ab operibus omnino independens fuit: *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent;* ergo.

R. dist. min. Independens fuit ab operibus, quæ essent actù, C. quæ futura essent & prævisa, N. Dico itaque cum Chrysostomo, Oecumenio, Theophylacto, Jacob ad coronam prædilectum, Esaü vero (si non in se, neque enim certa est ejus perditio, at in damnatis quorum typus erat) ab eadem fuisse reprobatum, antequam uterque boni quid egisset aut mali, sed non antequam utriusque opera prævisa fuissent: & id quidem sic probo: Eodem modo ad gloriam electus est Jacob, quo ab eadem reprobatus est Esaü; par enim est Apostoli de utroque sententia: atqui Esaü non nisi ex prævisis demeritis reprobatus est; ergo & Jacob non nisi ex prævisis meritis electus est.

Reponunt per reprobationem Esaü figurari reprobationem negativam, quæ est exclusio à gloria, non positivam, quæ est addictio poenæ.

Sed contra: reprobatio Esaü per illud Dei decretum exprimitur: *Esaü odio habui*, & rursus: *Major serviet minori*: atqui 1°. odium Dei, cùm de reprobis agitur, non meram bonæ voluntatis negationem, sed quid maximè positivi designat. Unde juxta eos ex adversariis qui catholicè sentiunt: cùm Deus alios ad gloriam prædestinat, alios minimè, necdum istos odit, sed vere amat, & eò usque ut ipsorum salutem sincere velit; ergo. 2°. Servitus Esaü, non fuit negatio mera, sed vera & realis inflictio pœnæ, quam positive experti sunt Idumæi, Esaü filii, cùm ab iis quos repræsentabat Jacob, Israëlitis nimirum, Davidis tempore dure excepti sunt; ergo reprobatio de qua loquitur Apostolus. est maxime positiva; ergo rursùs cùm hæc apud omnes, modo non Calvinianos, demerita præsupponat, consequens est, ut quæ ei adversatur prædestinatio, supponat merita.

Conclusio II. Patres Augustino antiquiores plus favent prædestinationi prævisæ, quàm gratuitæ.

Prob. ex selectis aliquot eorum testimoniis: S. Irenæus, Lib. 4. contra hæreses, cap. 38. scribit, *ex futurorum præscientia dictum fuisse: Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*; ergo in mente S. Doctoris, electio Jacob ad gloriam merita prævisa supponebat, sicut demerita reprobatio Esaü. Similia docet cap. 48. & cap. 76.

S. Epiphanius hær. 69. in id Matth. 20. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est* &c. *Hoc*, inquit, *vult ostendere, quod non juxta personarum acceptionem res ista fiat, sed pro dignitate*, &c. *Si laboraveritis, erit vobis præparatum à Patre meo*; atqui præparatio ad intentionem pertinet, non ad executionem; ergo præparatur regnum cæleste, non pro liberâ personarum acceptione, sed pro futurâ ipsarum dignitate.

S. Hieronymus in cap. 1. Isaiæ, exponens istud: *Si volueritis, bona terræ comedetis*, sic ait: *Liberum servat arbitrium, ut in utramque partem: non ex præjudicio Dei, sed ex meritis singulorum, vel pœna, vel præmium sit*: atqui istud: *Non ex præjudicio Dei*, idem est ac, non ex sententia anticipata & antecedente. Unde idem in cap. 1. Malac ad hæc: *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*, sic habet: *Dilectio & odium Dei, vel ex præscientia nascitur futurorum, vel ex operibus; alioqui novimus quod omnia Deus diligat*, antecedenter scilicet, *nec quicquam oderit eorum quæ creavit*. *Suprà p.* 161. *& sequ.*
Vide & alios quos suprà citavimus.

Respondent in summa, 1°. Patres aliis intentos hæc non satis perpendisse; 2°. eorum aliquos hæc dixisse in concionibus ad plebem, cui prædestinationis gratuitæ dogma offendiculo esse potuisset; 3°. eosdem Patres de prædestinatione loqui in executione, non in proposito.

At hæc respondentium ambages magis produnt, quàm difficultatem elevant: 1°. enim quorsum consuletur primæva Ecclesiæ Traditio: si supponi possit Patres uni intentos circa aliud à vero recessisse? 2°. neque ex Homiliis transcripta sunt quæ adduximus; nec aliter in Commentariis, aliisve quibuscumque Operibus suis locuti sunt Patres; quàm in locis quæ allegavimus. Deinde qui certo veram putet doctrinam, quæ potiùs à pietate retrahat, quam ad eam incitet; 3°. recurrendum igitur ad famosam intentionis & executionis distinctionem. atqui hujus nec vestigium est, nec umbra vel in Scripturis, vel in primævis Patribus; & hi aliunde cùm de præscientia, ac præparatione loquuntur, tam censendi sunt decretum intentionis gratuitæ excludere, quam idem nos, cùm eodem loquimur modo, excludere censendi simus. Stet igitur grave id argumentum: Illud citra scrupulum de prædestinatione teneri potest, quod de ea tum in Oriente, tum in Occidente per quatuor secula tenuêre Patres in sensu obvio intellecti: atqui hanc post prævisa solum merita decerni tenuêre &c. quos enim objicit *Witas.* Witassius, ii docent quidem, quod invictè contra Pe- *q.126o.* lagianos & Massilienses docuit Augustinus, hominem non propter bona quæ ante fecerit opera ad fidem & justitiam vocari; sed ne leviter quidem insinuant, hos ad gloriam sine ullo ad futura merita respectu destinari, illos ab eadem gloria gratis excludi.

Conclusio III. Augustinus si prædestinationem gratuitam docuit, nec docuit semper, nec docuit ceu rem maximi momenti, nec proin docuit ut rem necessario credendam; unde & ab ejus ævo ad nostrum plena fuit utramlibet partem sequendi libertas.

Prob. 1. pars, quia electionem prævisam nec semel nec obscure tradit S. Doctor. 1°. enim communiter præscientiæ meminit ante cetera quæ ad prædestinationis negotium pertinent. Sic Tract. 45. in Joan. *Nobis præscitis, prædestinatis, justificatis, glorificatis.* Et serm. 6. de verb. Apost. c. 8. *Misit filium suum propter præscitos, & prædestinatos, vocandos, justificandos*, &c. & L. de nat. & gr. loquens de pec-

catoribus quos Christus venit salvos facere, ait: *Quos præscivit, prædestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.* Idem alibi longe pluribus facit S. Doctor, & quod notandum, in ipsa prædestinationis definitione, quam accuratam esse oportet: *Hæc*, ait L. de dono persev. c. 14. *nihil aliud* est, quam *præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur;* ergo juxta S. Doctorem prædestinatio supponit præscientiam.

2°. Idem L. 1. ad Simplician. (quem scripsit jam Episcopus, ac proinde annos natus plusquam 41.) duo in prædestinatione Jacob, aliorumque electorum distinguit; nempe 1°. propositum, id est divinam voluntatem de largiendâ gratiâ, ex qua profluunt justificatio & opera bona; 2°. electionem, id est voluntatem tribuendæ gloriæ; tum addit propositum præcedere electionem. En verba ejus, q. 2. *Non ergo secundum electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio... Non tamen electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab eo qui rejicitur. Unde quod dicitur: Quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum nisi præscientiâ*, scilicet boni statûs finalis. Unde sic: qui non eliguntur ad gloriam, nisi quia prævidentur per bona opera distare ab iis qui ab eadem gloria rejiciuntur, illi utique eliguntur, seu prædestinantur post prævisa bona opera: atqui ex Augustino non eliguntur Justi ad gloriam, &c. Neque id retractavit Augustinus, ut aliqui respondent; quin imo L. 2. Retract. quem in ultimâ ætate conscripsit S. Doctor, Librum hunc ad Simplicianum commendat; & Lib. de Prædest. SS. c. 4. ait, se Opus illud scripsisse *secundum veritatem divinarum Scripturarum*, sibique tunc à Deo revelatum esse quid scriberet, unde & Massilienses ad ejusdem Operis lectionem remittit.

Nihilo plus valet quod dicunt alii, Augustinum loqui de prædestinatione quoad executionem, non quoad intentionem. Siquidem loquitur S. Pater de proposito divino justificationis, & de divina electione ad gloriam; ergo non de executione loquitur, sed de intentione.

3°. Idem S. Doctor Serm. 7. de verbis Domini hæc habet: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem sicut Apostolus dixit, & secundum suam gratiam, secundum illorum justitiam.* Et inferiùs: *Quid est, reliqui mihi septem millia, qui non curvaverunt genu ante Baal? id utique: Ego illos elegi, quia vidi mentes il-*

lorum de me præsumentes, non de se nec de Baal? ergo in mente Augustini, priùs præscit Deus opera ex gratiæ suæ auxilio facienda, quam eligat & prædestinet.

4°. Qui prædestinationem gratuitam admittit, is ex consequenti admittit reprobationem negativam; atqui hanc reprobationis speciem, ut falsam & abominabilem rejicit Augustinus. Positâ enim reprobatione negativâ dici potest: Vos *qui* nunc divinæ legi *obeditis, si prædestinati estis rejiciendi, subtrahentur* vobis *obedientiæ vires, ut obedire cessetis*: atqui doctrinam hanc totidem verbis ut abominabilem rejicit S. Doctor. Minor patet ex L. de dono persever. cap. 22. Unde

Prob. maj. Vel iis qui à gloria negative exclusi sunt, subtrahuntur obediendi vires, ut obedire cessent, vel ex justitia ob præcedens aliquod eorum peccatum: atqui posterius hoc dici non potest; cùm aliquando *renatis* in quibus *nihil odit Deus*, in quibus proin nihil est plectendum, eæ vires subtrahuntur; ergo si aliquo fine gratiam suam subtrahat Deus, eo sane ut obedire cessent. Sed de his quæ latiùs, ut necessum foret, non licet prosequi, adi P. C. Joseph Tricassinum, in disputatione Theologicâ de hac materie.

Duhamel. Tract. 4. Pròb. 2. pars; quia ut notat Hamelius, contra prædestinationem quæ merita sequeretur, non admodum reclamavit Augustinus, cùm etiam ei plus favere judicabatur. Sic enim loquitur L. 2. de nat. & gr. cap. 6. *Cum dicunt* Pelagiani, *hanc esse solum non secundum merita nostra gratiam, quâ homini peccata dimittuntur: illam vero quæ datur in fine, id est æternam vitam, meritis nostris præcedentibus reddi; respondendum est eis: Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa Dei dona esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia*: atqui non loquitur hic S. Doctor de prædestinatione ad gloriam secundum executionem. Non solùm enim reprobanda non est sententia, quæ gloriam in executione bonis operibus ex gratia factis decernit; sed est necessario tenenda ut articulus fidei; ergo.

Prob. 2°. quia Augustinus, vir profundæ sagacitatis, non aliud de hac quæstione judicavit, quàm quod deinceps judicavit Ecclesia Romana: atqui an electio ad gloriam gratuita foret, an merita sequeretur, uti liberam opinionem habuit, & hodieque habet Ecclesia Romana. Prob. min. ex celebri Decreto, seu Celestini, ut pluribus placet, seu S. Leonis, ut Quenello vi-
**an.*520. detur, quod teste Hormisdâ * Ep. 70. ad Possessorem,

servabatur *in Scriniis Ecclesiasticis*, ubi sic legere est: *Profundiores vero difficilioresque partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ità non necesse habemus adstruere*: atqui per profundiores illas quæstiones, non eæ solùm cum Quenello intelligi debent, quæ infantium sine Baptismo decedentium sortem, originalis peccati transfusionem, & similia spectant, sed & eæ etiam quæ efficaciam gratiæ, & gratuitam prædestinationem respiciunt, prout expresse definiit Innocentius XII. an. 1694. in Brevi ad Academiam Lovaniensem dato; ergo. De his vide Comment. Theolog. ad calcem tom. I. Martini Gandin, p. 55. & seq.

Ed. S. Leon. tom. 2. disc. 2.

Obj. Qui docuit certos quosdam homines ad fidem & justitiam vocari, & in utraque perseverare, præcisè quia ad gloriam prædestinati sunt, idque tanquam articulum contra quem non nisi errando disputari possit, ille & prædestinationem gratuitam docuit; & eam ceu quid maximi momenti docuit: atqui S. Augustinus 1°. docuit certos quosdam homines vocari, &c. sic enim, ut alios paris efficaciæ textus prætere-am, loquitur L. de Corrept. & Gr. c. 7. *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, ista divinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium quod & eis procuretur audiendum Evangelium, & cum audiunt credunt, & in fide quæ per dilectionem operatur, usque ad finem perseverant; & si aliquandò exorbitant, correpti emendantur. Hæc enim omnia operatur in eis qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ*, id est, gratuitam. . . . *Non enim sic sunt vocati ut non sint electi; sed quoniam secundum propositum vocati sunt, profectò electi sunt per electionem, ut dictum est, gratiæ non præcedentium meritorum suorum, quia gratia est illis omne meritum.... Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt; electi sunt autem, quia secundum propositum vocati sunt, propositum autem non suum, sed Dei*; 2°. Augustinus quod hic docet, docet ut articulum, qui citra errorem in dubium vocari non possit: *Hoc scio*, ait Lib. de Dono Persever. n. 48. *neminem contra istam prædestinationem, quam secundum Scripturas sanctas defendimus, nisi errando disputare potuisse.* Consonat S. Fulgentius L. de Incarn. & Gr. quem sic concludit: *Cujus prædestinationis veritatem, quâ nos ante mundi constitutionem prædestinatos in Chri-*

Bo testatur Apostolus, si quis detrectat cordis credulitate recipere, vel oris confessione proferre; si ante ultimum diem vitæ præsentis, impietatis suæ contumaciam non abjecerit, manifestum est eum non pertinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi constitutionem elegit, & prædestinavit ad regnum.

R. neg. min. pro utrâque parte; & ex negatione secundæ partis infero negationem primæ. Sic ergo progredior: Ea solùm prædestinatio, saltem ut quid magni momenti ab August. propugnata est, quæ non nisi errando impugnari potest, quamque tota retro antiquitas docuerat, ut ibidem ait Augustinus: atqui nec usquam credidit Augustinus prædestinationem ad gloriam non sine errore impugnari posse; nec eam ab antiquis Patribus indubie traditam dicere potuit. Non 1. ut patet 1°. ex citato suprà textu ex c. 6. Lib. de nat. & gr. 2°. ex Lib. de Gr. Chr. c. 47. n. 52. ubi hæc loquitur: *Si ergo consenserit nobis* Pelagius, *non solum possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem... divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine ullo adjutorio nihil benè velimus & agamus... nihil de adjutorio gratiæ Dei quantum arbitror; inter nos controversiæ relinquentur*: atqui hæc profectò confiteri poterat Pelagius ut hodie Catholici omnes, absque eo quod parvulos quosdam, rejectis aliis ad gloriam antecedenter destinari confiteretur; ergo prædestinatio quam non nisi errando impugnare poterat Pelagius, non erat prædestinatio ad gloriam; 3°. quia S. Augustinus, Epist. 217. aliàs. 107. ad Vitalem, proponit articulos 12. qui si semel teneantur; *nullum omnino*, inquit, *remanet vobiscum de hac quæstione certamen*: atqui in his 12. articulis. ne unus quidem est qui præsentem de gratuita ad gloriam electione controversiam attingat; ergo. 4°. idem demonstrant hæc S. Doctoris verba Lib. de dono persev. cap. 20. *Quid autem coegit loca Scripturarum*, adde & Patrum, *quibus prædestinatio Dei commendata est, copiosius & enucleatius isto nostro labore defendi*, NISI *quod Pelagiani dicunt, Gratiam Dei secundum merita nostra dari; quod quid est aliud quàm gratiæ omnino negatio.* Ergo si confessi essent Pelagiani, merita nostra esse dona gratiæ prævenientis, lis tota finita erat; ergo hæc ad gratiam prædestinatio sane gratuita, ea est cui toti commendandæ incumbit Augustinus; 5°. demum illam hanc pro qua certabat Augustinus prædestinationem adstru-

xerant antiqui Patres: atqui vix eorum unus est qui prædestinationem gratuitam ad gloriam admiserit: imò nè unus quidem, ut solide probat Illust. Carolus Dargentré exinde Tuletensis Episcopus, in Comment. historico, c. 2.

Quid ergo, inquies, sibi vult in objecto c. 7. l. de Cor. & Gr. Augustinus? sed quid tum si fateamur locum hunc & alios ejusdem ordinis perpaucos, adeo sublimes esse, ut eo usque non pertingamus. Id certé si de quibusdam locis Epistolarum Pauli confessus est S. Petrus, nobis de Augustino confiteri licitum est. Nihilominus

R. Augustinum hic loqui de prædestinatione non ad gloriam, sed ad perseverantiam, quæ gratis à Deo conceditur, quibus conceditur. Unde sequitur discretos, de quibus verba habet S. Doctor, non esse discretos quia ad gloriam gratis electi sunt, sed quia finaliter in bono sunt perseveraturi. Patet id ex S. Doctoris scopo, qui totus est, ut contra adversarios suos probet increpari posse & debere, qui in bono non perseveraverunt; quia nimirum *ex bonâ in malam suâ voluntate*, seu propriâ suâ culpâ mutati sunt; utpote qui perseverassent, *si voluissent*, prout infra exertè declarat Aug. Hinc cap. 8. sic oritur: *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam quâ christianè viverent dilectionem dedit, me ignorare respondeo.* Et c. 9. *Nec nos moveat, quod filiis suis quibusdam Deus non dat istam perseverantiam.* Et cap. 10. *quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est in bono perseverare usque in finem*, &c.

Inst. Qui docet hominem gratis ad perseverantiam eligi, necessario docet eum gratis eligi ad gloriam, quandoquidem hæc cum illa necessario connexa sit; atqui ex nobis docet Augustinus, &c.

R. neg. maj. 1°. quia in executione gratis eligitur homo ad perseverantiam, & tamen de fide est quod non gratis, sed propter merita eligatur ad gloriam; ergo grande est discrimen inter utrumque electionis genus; 2°. quia juxta adversarios, qui gratis eligitur ad gloriam, independenter à quocumque merito eligitur; qui vero eligitur ad perseverantiam, etsi gratis eo sensu eligitur, quod hanc de condigno mereri non possit; non tamen eo sensu quod hanc orando impetrare nequeat: *hoc enim Dei donum suppliciter mereri potest*, ait Augustinus ibid. c. 6.

Nec nocet iſtud : *Qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos*, quia æque dicere potuerat : *Qui vaſa juſtitiæ operatus eſt eos*, ut ſuprà docebat S. Fulgentius.

Ad id vero : *Quoniam ſecundum propoſitum vocati ſunt, profectò electi ſunt ;* dico particulam *quoniam*, ſigni quidem ſed non cauſæ vim habere ; ità ut ſenſus ſit : Quoniam ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſignum eſt eos electos fuiſſe. Neque enim vocatio cauſa eſt electionis, ſed indicium. De his adi citatum Autorem, diſp. de prædeſtinatione, p. 528. & ſeq.

Conclusio IV. Prædeſtinatio gratuita Theologicis rationibus nec paucis nec ſpernendis oppugnatur. Nonnullas ſeligam è multis.

I. Eſt in Deo voluntas ſincera omnes homines ſalvandi, aut ſaltem alios à prædeſtinatis ſalvandi : atqui hæc voluntas cum gratuitâ ad gloriam prædeſtinatione conciliari vix poteſt. Nam 1°. Voluntas vi cujus ne unus quidem homo ab initio mundi uſque ad finem ſalvus fieret, vix ac ne vix quidem ſincera reputari valet in eo qui omnia poteſt : nec facile ſibi quis in animum inducet, Principem qui penes ſe omnia beandi populi ſui media habet, ſincere velle hujus felicitatem, ſi toto unius ſeculi curriculo, nec unum è ſubditis beatum faciat : atqui poſitâ, qualem admittunt adverſarii, in Deo ſalvandorum hominum voluntate, ne unus quidem vi ejus ab initio mundi ad finem ſalvaretur. Hæc enim voluntas non alia eſt ante decretum quo electi prædeſtinantur, quam ſit poſt ipſum : atqui poſt decretum ne unus quidem vi voluntatis hujus ſalvatur : ſed ii demum ſalvantur & ſoli, quorum Deus novâ & abſolutâ voluntate ſalutem decernit ; ergo. 2°. Poſitâ nonnullorum efficaci & gratuitâ ad gloriam electione, ceteri *ſaltem* negativè rejiciuntur : atqui negativa hæc à ſalute rejectio cum ſincerâ, ejuſdem ſalutis voluntate cohærere nequit. Vel enim ejuſmodi negative reprobatis Deus ſufficientia ad ſalutem auxilia largietur, vel non. Si 1. ad quid auxilia pro aſſequenda ſalute à qua jam excluſi ſunt ? Si 2. ad quid ſterilis hæc & otioſa Dei voluntas ?

Dixi, *ſaltem negativè*. Rebus enim penitiùs inſpectis apparet hic excluſio quædam æquivalenter & implicite poſitiva. Si quidem juxta adverſarios electio ſalvandorum habet ſe ſicut electio lapidum ex quibus regia quædam inſignis conſtruenda eſt, nimirum cæleſtis Jeruſalem : atqui Architectus, qui regiæ menſuram exacte concepit, ſi ex infinita lapidum multitu-

dine seligat dena millia, & hunc numerum, quem conceptæ mensuræ proportionatum esse novit, signet, suumque unicuique locum assignet, ità ut nulla supersit vacua sedes; hoc ipso lapides quoscumque alios positive rejicere censetur: cùm nec electorum lapidum ullus deficere possit, nec majores esse possint palatii limites, quam primâ & supremâ Architecti voluntate constituti sint; ergo.

Confirm. Decretum illud vim habet exclusionis ex quo certus est Deus neminem ex aliis fore qui salvetur: atqui ex decreto quo Deus quosdam eligit ad salutem, certus est neminem ex aliis salvatum iri. Ex hoc enim decreto certus est Deus de numero salvandorum, seu de tota palatii sui mensurâ prout ex tot lapidibus conflandâ; hæc enim primario in illa electione intenditur: sed qui de salvandorum numero certus est, jam alios omnes rejicit à salute. Si enim duodecim sedes judicibus duodecim præparavit, exclusit sane ceteros omnes ab officio judicis, &c.

II. Sicut Judæos comparate ad Tyrios increpuit Christus, quia quam isti cum iisdem gratiis acturi fuissent poenitentiam, non egerint ipsi; sic indubie è Christianis plures redarguet, quod quàm alii certis auxiliis consecuti sunt salutem, hanc ipsi cum iisdem viribus assecuti non sint: atqui posita aliorum electione gratuitâ, aliorum vero negativâ reprobatione, vis plus habebit fundamenti objurgatio hæc comparativa, quam positis decretis prædeterminantibus haberet Judæorum objurgatio præ Tyriis. Huc enim redeunt argumenta penè omnia quæ contra prædeterminantes movimus suprà pag. 139.

III. Promissiones quibus Deus vel gloriam spondet, vel poenam comminatur, spem activam, activumque timorem ciere debent; atqui neutrum vere & solide præstare possunt in adversariorum sententiâ. Is enim est earum promissionum sensus apud prædestinantes: Promitto gloriam iis quibus eo meo beneplacito perseverantiam decrevi; gehennam vero iis quibus perseverantiam decernere nolui: atqui ad hæc verba potest quidem cor humanum tremore limari & tabescere, mirùm vero si in spem Christianam, tenerosque caritatis sensus erigere se valeat. Unde

IV. Ideo rejiciunt Thomistæ & inter alios Gonetus, abominandum Jansenii systema circa Dei voluntatem de electorum duntaxat salute, quia eo posito subver-

tuntur spes & caritas: atqui utriusque virtutis fundamenta plurimum imminuit gratuitæ prædestinationis, ac proin reprobationis negativæ systema. Ecquis ratus electos pares numero fore, vel paucis olivis quæ
Isaiæ in excussa olea remanserunt, vel racemis, *cùm fuerit*
25. 13. *finita vindemia*, firmiter confidat se ex beato illo ordine futurum? quis inflammato medullitus corde ad hæc Pauli verba: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, non illico perfrigefiat, si hæc secum addiderit: At ità tamen forte dilexit me, ut cum innumerabilibus aliis me à facie sua negative reprobaverit;
L. 3. ergo cùm æqua sit ea Augustini regula: *Quidquid tibi*
de lib. *verâ ratione probabilius occurrerit, scias id fecisse De-*
arbi. c. *um tanquam bonorum omnium conditorem*; id certissi-
5. mum videri debet gratuitæ prædestinationis systema. Unde & illud rejicere veriti non sunt præstantis notæ homines; quos inter S. Franciscus Salesius in Epist. ad Lessium: & in Tract. de amore Dei, L. 3. c. 5. Absit autem ut Episcopum, qui Calvinianorum, (è quibus plures omnibus hæreseos argutiis, dentium tenus instructi erant) septuaginta millia revocabit ad Ecclesiam, virum fuisse in hisce materiis non ità expeditum, cum Hyacintho Serri effutire ausimus. De ceteris argumentis adi Lessium, p. 388. & seq.

Obj. 1°. cum Bellarmino: Sine fide nemo salvari potest: atqui fides donum est Dei, quod omnibus non datur; ex Apost. Philipp. 1. 39. ergo.

R. dist. min. Fides omnibus non datur, quia non omnes gratiæ ad fidem saltem remote vocanti consentiunt, C. quia Deus dare non vult, N. solutio patebit ex dicendis in Tract. de Gratia.

Obj. 2°. Qui gratuito decernit perseverantiam, gratuito decernit & gloriam, quæ cum perseverantiâ proxime connexa est: atqui Deus gratuito decernit perseverantiam, cùm hæc sub meritum non cadat; ergo.

R. dist. min. Decernit perseverantiam gratuito, id est independenter à merito de condigno, C. id est independenter à præviso quocumque opere quod meritorium sit etiam de congruo, N. Decernit enim ab æterno, sicuti dat in tempore: atqui dat in tempore consequenter ad orationes, ut pluries docet Augustinus.

Obj. 3. Non aliter prædestinantur adulti quam infantes: atqui infantes qui statim à Baptismo moriuntur, prædestinati sunt ante prævisa merita; alii vero rejecti; ergo.

R. 1°. plura nos in Scripturis & Traditione primævâ habere circa adultorum, quam circa infantium salutem, aut rejectionem: unde quidquid sit de infantibus, constare utcumque potest, adultos, uti post prævisa demerita damnantur ad pœnas, sic & post prævisa merita destinari ad coronam.

R. 2°. infantes si antecedenter ad gloriam eliguntur, antecedenter etiam eligi ad pœnam; proinque nullius eorum salutem volet Deus sincere, quod longe communiori Theologorum sententiæ adversatur.

R. 3°. dist. min. Prædestinati sunt ante prævisa merita, quatenus futurum erat ut salvarentur sine meritis, C. quatenus Deus voluit antecedenter ut salvarentur, idque de aliis noluit, N. Itaque decrevit Deus certis infantibus gloriam dare, quia prævidit eos statim à Baptismo morituros; sed non decrevit eos statim à Baptismo mori, quia iis antea gloriam decrevisset. Unde ergo moriuntur hi accepto Baptismo, illi non accepto? Quia leges quas Deus ut generalis provisor constituit, & quas singulis horis mutare non tenetur, exigunt ut alius ante Baptismum, alius post moriatur. Quod si quandoque leges suas mutet Deus, & sanctam alicui mortem extraordinarie procuret, id sæpissime facit ad preces & post preces, si non hujus, saltem aliorum. Vide Martinon, disp. 19. n. 139.

Obj. 4°. Agens intelligentiâ præditum vult finem priùs quam media: atqui gloria est finis, gratia vero & bona opera medium; ergo Deus, &c.

R. dist. maj. Vult prius finem quam media, si velit finem absolute & per modum puri finis, C. si velit finem conditionate & per modum præmii, N. Porro non vult Deus gloriam simpliciter dare, sed ut laboris præmium; ergo necesse est ut ante præsciat, qui sancte & perseveranter laboraturi sint; qui vel nullatenus, vel non usque in finem. Et vero Deus ordinate volebat in prædestinatione Angelorum; nec tamen juxta Jansenium, finem priùs volebat, quam media.

Nec nocet quod gloria est quidem hæreditas: hæc autem pleno jure & sine meritis devolvitur ad hæredem. Nam gloria est quidem hæreditas, sed filiorum adoptivorum, non autem naturalium: ii porro duntaxat filii sunt adoptivi, qui adoptione dignos se faciunt. *Si filii & hæredes*, ait Apostolus, *si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* *Rom.3.*

Obj. 5°. Qui media efficacia gratuito decernit ad finem, eo ipso finem efficaciter & antecedenter decernit: atqui Deus media efficacia decernit gratuito; cùm hæc sub meritum non cadant.

R. solutionis hujus difficultatem pendere ex diversis circa gratiæ efficaciam systematibus. De his autem suo loco, quam minimum male licebit, differere conabimur.

Obj. 6°. Prædestinatio Christi *præclarissimum est lumen prædestinationis nostræ*, ut concedunt omnes post Augustin. L. de Prædest. SS. c. 15. atqui Christus unionem hypostaticam nullis *vel operum, vel fidei, præcedentibus meritis comparavit*, ex eodem Augustino ibid.

R. dist. Est lumen, seu exemplar prædestinationis nostræ ad gratiam, C. ad gloriam, N. Alioqui sicut Christus ne in executione quidem suam cum Verbo unionem mereri potuit, sic nec nos in executione quidem gloriam mereri possemus, quod Calvinianum est.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Reprobatione.

REprobatio, quæ idem est ac rejectio, duplex distinguitur, negativa, & positiva. Negativa, vel est formalis exclusio à gloria, ut volunt plures; vel, ut aliis placet, simplex non electio, ac veluti actus, quo quidem ex infinita multitudine prætermittuntur, dum eliguntur alii. Positiva est tum exclusio à gloria, tum destinatio ad pœnam, unde hæc connotat & terminum *à quo* quis excluditur, videlicet regnum cæleste, & terminum *ad quem*, nempe pœnam damni & sensûs, saltem si sermo sit de adultis; & hæc proprie definitur à Magistro Sent. *Præscientia impietatis quorumdam, & præparatio damnationis eorum.* (*L. 1. dist. 40.*)

Constat dari reprobationem etiam positivam: sunt enim quibus ante constitutionem mundi paratus est ignis æternus, ut liquet ex Matth. 25. sed ambigitur an reprobatio hæc fiat ante vel post prævisa peccata. Neque una est eâ de re omnium opinio.

1°. enim Calvinus sensit ex omnibus, tum Angelis, tum hominibus, quosdam ad gloriam ante prævisa bona opera, quosdam ad ignem ante prævisa peccata ex suprema Dei voluntate fuisse destinatos; utrosque

vero, ut finem hunc assequerentur, ineluctabili lege ad bonum aut malum constrictos fuisse. Ab hac, quæ *Antelapsariorum* dicitur, doctrinâ recesserunt Calviniani plures, & nullam nisi post prævisum originale peccatum reprobationem admittunt, unde & *Postlapsarii* nominantur.

2°. Jansenius docuit Deum eos omnes quos ad gloriam non eligit, reprobare positive, non quasi eos ad peccandum adigat, ut Calvino visum est, sed quia eos in peccandi necessitate per peccatum originale contractâ relinquit saltem finaliter, ità ut iis deneget gratias vere sufficientes, quarum ope è perditionis massâ emergere possint. Hinc admissa à Jansenio reprobatio positiva peccati originalis prævisionem supponit, unde non habuit ea locum in Angelis, quos omnes Deus sincere salvare voluit.

3°. Thomistæ, qui gratiam prædeterminantem & prædestinationem gratuitam in quocumque naturæ vel innocentis vel lapsæ statu admittunt, docent ex consequenti Deum eos quos non prædestinavit, á gloria tanquam à beneficio indebito reprobasse independenter à cujuscumque peccati prævisione; sic tamen ut eos ad pœnam positive non destinaverit, nisi præviso eorum peccato. Paulo mitiorem sententiam amplexus est Gonet, dum Angelos solo quidem Dei beneplacito negative reprobari docuit, homines vero non nisi præviso peccato originali: quam singularitatem exprobrat ei Contensonius tom. 1. p. 618.

4°. Ceteri præter Thomistas gratuitæ prædestinationis vindices, docent neminem à Deo etiam negative reprobari, ante prævisum originale peccatum; positive vero propter idem peccatum, si de parvulis sermo sit; si vero de adultis baptisatis propter peccata solùm actualia. Et ex his alii reprobationem negativam volunt esse ac tam positivam, quo hi vel illi à gloria excludantur; alii vero meram non electionem: ità ut eo tantùm reprobentur aliqui, quod manent in generali quam Deus antecedenter habuit omnes homines salvandi voluntate, non autem cum electis ad gloriam efficaciter destinantur. Et hæc opinio ut divinæ bonitati minùs adversa, ceteris anteponenda esset.

5°. Demùm qui prædestinationem gratuitam rejiciunt, ab his ambagibus expediti docent Deum, neque pœnis æternis addicere, nec à gloria negative excludere ante prævisionem peccati non modo origi-

nalis, sed & actualis. Opinionis hujus veritatem evincet, vel ipsa ceterarum reprobatio. Sit

CONCLUSIO I. Deus neminem positive reprobat ex solo beneplacito, aut etiam ex prævisione solius peccati originalis.

Prob. 1°. Qui hominem etiam originali peccato infectum, non mori, sed converti & vivere desiderat, ille neminem adultum vel ex arbitrio solo, vel ob solum originis peccatum, æternis poenis destinat: atqui Deus... Prob. min. ex Script. Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* Sap. 1. v. 13. *Deus mortem non facit, nec lætatur in perditione vivorum.* II. Petri 3. v. 9. *Patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ubi Scriptura certissimè loquitur de homine considerato post peccatum originale; ergo.

Prob. 2°. ex Concilio Arausicano, can. 25. ubi sic: *Aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus*: atqui in impio Calvini systemate reprobi ad malum tum poenæ, tum culpæ prædestinantur.

Prob. 3°. ex Patribus. Cyprianus, Ep. 52. hæc diserta habet: *Cùm scriptum sit: Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum; utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pœnitentiam agere.* Aug. L. 3. contra Julianum c. 18. *Bonus est Deus*, inquit, *Justus est Deus; potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quemquam sinè malis meritis damnare, quia justus est.* His adhuc disertiùs S. Prosper ad 3. object. Vincentianam: *Omnium quidem hominum Deus creator est; sed nemo ab eo ideò creatus est ut periret.*

Prob. 4°. tum quia summus Dei in homines amor nullo modo patitur, ut decreto absoluto & antecedenti quemquam eorum addicat poenis æternis: tum quia si decretum absolutum damnationis sit antecedens uti decretum prædestinationis, dicendum erit, quod sicut Deus ordinat per gratias efficaces hominum merita eo fine ut salventur, ità subtrahit illis media necessaria ad vitandum peccatum, eo fine ut damnentur; quo nihil horrendum magis fingi potest.

Obj. 1°. Prov. 16. v. 34. dicitur: *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad*

diem malum; ergo impii antecedenter prædeſtinati ſunt ad damnationem.

R. neg. conſeq. Namque ſenſus laudati textûs non eſt impium eo fine à Deo eſſe conditum, ut fieret reprobus, ſed ipſum quamvis lapſurus in peccatum prævideretur, nihilominus creatum eſſe; atque ad diem malam, ut in eo Deus oſtendat juſtitiam ſuam, reſervari: *Deus enim*, inquit Aug. Enchirid. c. 27. *meliùs judicavit de malis benè facere, quàm mala nulla eſſe permittere.*

Obj. 2°. Rom. 9. Eſaü repræſentat reprobos, ſicut Jacob repræſentat prædeſtinatos: atqui Eſaü ibi dicitur poſitive reprobatus ante omnia demerita; *Cum nondum nati fuiſſent aut aliquid boni egiſſent, aut mali ... non ex operibus dictum eſt, Jacob dilexit, Eſaü autem odio habui;* ergo.

R. neg. min. Nam odio quidem habentur reprobi per Eſaü deſignati, antequam fecerint quidquam mali, ſed non antequam prævisi ſint male facturi.

Inſt. quæ ſequuntur in eodem capite indicant poſitivam reprobationem: nam v. 17. dicitur de Pharaone: *In hoc ipſum excitavi te ut oſtendam in te virtutem meam.* v. 18. *Quem vult indurat.* v. 21. *An non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

R. neg. ant. & explico textus laudatos.

1°. Quando Deus de Pharaone dicit, *in hoc ipſum excitavi te*, ex præſuppoſita ac præſcita Pharaonis malitiâ loquitur. Scilicet duplex reſpectu Pharaonis diſtinguenda eſt Dei intentio: prima ut ſuâ longanimitate, variiſque prodigiis eum ad pœnitentiam provocaret, juxta illud Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, &c.* ſecunda ut ex illius obſtinatâ voluntate in malo, occaſionem ſumeret virtutem ſuam manifeſtandi. De ſecunda hac intentione agit S. Paulus citans verba Exodi 9. nihilque aliud vult, niſi malitiam Pharaonis à Deo prævisam, fuiſſe ab eo in bonum ordinatam, non autem ipſi Pharaoni inſpiratam ut eum perderet: nec ſanè id probant iſtæ voces, *ut oſtendam in te;* conſtat enim, particulâ *ut*, ſæpè in Scripturis non deſignari verum finem, ſed ſolam infallibilitatem eventûs quæ non minor eſt ac ſi Deus rem intendiſſet, atque ordinaſſet ad effectus bonos quos inde elicit.

2°. Quando ibidem dicitur, *quem vult indurat*, induratio illa non eſt poſitiva, ſed negativa tantùm; nam *non indurat Deus, impertiendo malitiam, ſed non*

Aug. *impertiendo misericordiam*, iis qui misericordiam ejus contempserunt.

Quid per exemplum figuli intendat Apostolus, suprà expositum est. Certè S. Paulus alibi manifeste supponit vasa in contumeliam posse se emendare & fieri

II. Timoth. 2. v. 21. vasa in honorem. *Si quis*, inquit, *emundaverit se ab istis*, *erit vas in honorem sanctificatum*, *&c.*

Conclusio. II. Deus hominem à gloriâ non reprobat etiam negative ex solo suo beneplacito, & ante prævisum quodcumque peccatum.

Prob. si Deus ante cujuscumque peccati præscientiam reprobet negative, vel actu positivo, quo decernit formaliter certos homines excludere à gloriâ, vel purâ electionis omissione: atqui neutrum dici potest. Non 1. siquidem ex ante probatis, vult Deus sincerè omnium Adæ filiorum salutem: atqui non potest salutem hanc velle sincere in hypothesi adversariorum. Qui enim antecedenter ac proinde efficaciter excludit à salute, salutem hanc sincere velle non potest: atqui in adversariorum opinione excludit Deus antecedenter & efficaciter à salute; ergo.

Non 2. 1°. quia hæc quorumdam non electio supponit esse alios, qui antecedenter & efficaciter eligantur: atqui hæc opinio ex suprà dictis falsi admodum suspecta est; 2°. quia hæc electionis omissio, ad leniendam reprobationis negativæ duritiem adinventa, reipsâ nihil temperat. Ubi enim non ampliùs quàm duo sunt hominum ordines, quorum alii salvari debeant, alii non quisquis in ordine priorum non censetur, eo ipso ab eodem excluditur: sic si convivium ex personis decem exurgere debeat, qui non invitantur, eo ipso sunt exclusi. Et vero statim ac Deus electos suos prædestinavit, scit indubie quot homines olim gloriam ingressuri sint: sed qui scit decem gloriam ingressuros, eo ipso ceteros ad minus implicite excludit. Sciat, si velis, futurum ut possint alii salvari, (quod etiam in hac opinione satis intellectu difficile est) at simul sciet futurum ut eorum nemo salvetur. Huc redeunt difficultates supra propositæ.

Obj. Qui gloriam nemini debet, ab ea pro beneplacito quos volet excludere potest: atqui Deus gloriam nemini debet.

R. dist. min. Nemini gloriam debet absolute, C. nemini debet supposita tum hominis ad vitam ordinatione, tum sanguinis Christi ad omnium redemptionem acceptione, N. Itaque poterat absolute Deus homines

ad beatitudinem supernaturalem non ordinare; poterat & eos prævisō peccato illius in quo omnes peccaverunt, in massa perditionis relinquere: verum ubi semel iis sub legitimi certaminis conditione coronam spopondit, male prorsus supponitur illud bonæ suæ voluntatis negotium ab exclusione gloriæ ordiri: est enim id quasi velle omnibus salutem, & statim voluntatem hanc retractare.

Conclusio III. Neque etiam adultos baptisatos negativè reprobat Deus ob peccatum originale.

Prob. 1°. Reprobatio quæ fieret propter peccatum originale, esset actus quidam justitiæ punitivæ: sed qui *in renatis nihil odit Deus*, nihil in iis punire potest; ergo.

Prob. 2°. Vult Deus etiam supposito originali peccato omnes homines salvos fieri: sed quidquid hic cumuletur subtilitatis, nunquam intelligetur Deum velle serio salutem eorum, quos excludit, vel non includit in decreto; vi cujus solius salvantur quicumque salvantur; ergo. *Trident. sess. 5. de pecc. orig.*

Prob. 3°. quia positâ reprobatione negativâ, absolutâ & actualis peccati prævisionem antecedente, necesse videtur ut Deus hujusce reprobationis executionem, quæ certa & infallibilis esse debet, auxilia gratiæ eo consilio reprobis subtrahat, ut non salventur: sicut à contrario prædestinatis efficacia, ut salventur, auxilia indulget: atqui dogma istud uti falsum & abominabile proscripsit Augustinus supra.

Prob. 4°. S. Petrus fideles omnes, è quibus peribunt plurimi, hortatur ut certam faciant suam vocationem & electionem; sed qui ab electione quocumque tandem modo excluduntur, electionem suam certam facere non possunt.

Dixi in conclusione *adultos baptisatos*. Constat enim infantes, si absque Baptismo morituri prævidentur, omnimode reprobari, neque tamen reprobantur præcisè quia peccatum contraxerunt: quandoquidem reprobandi motivum, reprobati proprium esse debet, peccatum ante originale omnibus commune est; & aliunde Deus eos etiam qui originalem noxam contraxêre, vult salvos fieri: reprobantur ergo propter originale peccatum quatenus non dimissum, seu quatenus conjunctum cum morte: hæc enim peccati illius cum morte conjunctio facit in infantibus, quod in adultis facit finalis impœnitentia, quæ sane reprobationis positivæ causa est & origo.

CONCLUSIO IV. Peccatum actuale prævisum unica est reprobationis tum negativæ, tum positivæ adultorum causa.

Prob. 1°. quia ex dictis nulla alia causa assignari potest.

Prob. 2°. ex Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est* vobis sicut & *diabolo: Esurivi enim & non dedistis mihi manducare*, &c. de quo jam supra.

Prob. 3°. ex S. August. L. de nat. & gr. c. 26. *Deus non deserit si non deseratur, ut piè, semperque justè vivatur:* atqui si Deus etiam negativè reprobaret ante peccati prævisionem, desereret antequam desereretur. An non enim magna est ea desertio, consequenter ad quam nemo est in Orbe toto qui non infallibiliter damnetur. Ajunt quidem fieri id ex hominis culpâ: at id utcumque intelligeretur, si ab initio mundi ad finem fuisset saltem unus qui in hoc casu evasisset, hos autem omnes & solos damnari, semperque damnatum iri qui negativè reprobati sunt, capiant quibus datum est.

Prob. 4°. ex S. Prospero, respons. 3. ad Capitula Gallorum: *Non ideo*, inquit, *necessitatem habuerunt* peccandi, *quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt*; ergo præit peccati præscientia ipsi etiam non prædestinationi: atqui non prædestinatio, seu prædestinationis omissio, est reprobatio negativa; ergo.

Prob. 5°. quia reprobatio negativa antecedens gratuitam prædestinationem supponit: atqui ex dictis opinio hæc de se admodum dura, haud satis in scriptura vel traditione fundata est, ut admitti debeat; ergo.

Obj. 1°. Illud Apostoli, *Esaü odio habui*, significat saltem reprobationem negativam: atqui odium Dei in Esaü non suppponit mala ejus opera; ergo.

R. 1°. per odium illud significari aliquid maximè positivum, ut jam diximus; unde argumentum nimis probat, adeoque nihil.

R. 2°. dist. min. Non supponit mala opera jam facta, C. prævisa, N. de hoc supra.

Obj. 2°. Constat Deum aliquibus uberiores & efficaces gratias denegare: atqui non alia denegationis hujus ratio afferri potest, quam negativa eorum quibus eæ gratiæ denegantur, reprobatio.

R. neg. min. Etsi enim uberiores gratias Deus ne-

mini debet, eas tamen semper his conferre paratus est, qui iisdem obicem non posuerint, juxta citatum id Augustini: *Noluit Esaü & non cucurrit; sed si voluisset & cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset.* Ergo quod quidam efficacioribus gratiis destituuntur, non in reprobationem quamcumque, sed in malam eorum voluntatem refundi potest, & si potest, debet.

Inst. Qui primum post justificationem peccatum committit, caruit gratiâ efficaci: atqui eâ non caruit propter præcedens peccatum, cùm ex hypothesi non antea peccaverit; ergo.

R. neg. maj. ut quæ duo supponat, quorum aliud falsum est, aliud incertum: supponit enim 1°. nullum posse vitari peccatum per solas naturæ vires, & id prorsus falsum est, unde potest quis peccare, non quia caruit gratiâ, sed quia male libero usus est arbitrio, & exinde in difficilioribus gratiâ uberiore privari meruit: supponit 2°. gratiam de se efficacem ad omnes pietatis actus esse necessariam, & id incertum est, ut suo loco videbimus.

Obj. 3°. Ex Augustino, L. de dono persev. c. 22. n. 61. *Si qui obediunt, sed in regnum ejus ac gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Et L. de corr. & gr. c. 7. n. 16. *Qui perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, procul dubio nec illo tempore quo benè pièque vivunt, in istorum* electorum *numero computandi sunt. Non enim à massa perditionis præscientiâ Dei ac prædestinatione discreti: & ideo nec secundum propositum vocati, ac per hoc nec electi,* &c. Unde sic: Si prævisio peccati actualis esset cujuscumque reprobationis origo, perseverantia iis quibus negatur, ob mala merita negaretur: atqui non propter hoc negatur perseverantia, ex Augustino, sed præcisè quia hujusmodi homines non sunt electi, non sunt prædestinati, nec à massa perditionis discreti; ergo.

Ob grave istud momentum, aliaque hujus generis non pauca, quæ fusè in postremis Operibus prosequitur Augustinus, fatentur quidam cum Petavio S. Doctorem nobis adversari; neque ab eo circa præsens punctum recedere magis formidant, quàm circa omnimodam infantium sine Baptismo morientium damnationem. Ab hac solutione haud prorsus distant, quibus, ut nobis, incerta videtur circa prædestinationem gratuitam S. Doctoris opinio.

R. tamen cum Tournely neg. min. Etsi enim, juxta Augustinum, defectus perseverantiæ in defectum electionis, velut in causam proximam refundi potest, potest etiam juxta eundem uterque & perseverantiæ & prædestinationis defectus in peccatum hominis, ut in causam radicalem refundi. Et vero qui non perseverat, *perseveraret si vellet*, ex Augustino eod. cap. 7. n. 11. posset idem donum perseverantiæ *suppliciter emereri*, L. de don. pers. c. 6. ergo cur non perseveret causa est ejus non perseverandi voluntas; & hæc rursum causa est cur à salute reprobatus fuerit.

Solvuntur nonnullæ quæstiones circa præsentem materiam.

Quæres 1°. qui sint tum prædestinationis, tum reprobationis effectus.

R. hic aliter sapere, qui prædestinationem gratuitam admittunt, aliter qui negant.

Juxta priores, tres potissimum in ordine supernaturali sunt gratuitæ ad gloriam electionis effectus, vocatio scilicet, justificatio & glorificatio, de quibus Apostolus Rom. 8. v. 3. Ad vocationem quæ fit per gratiam internam, revocantur exteriores gratiæ, ut miracula. Ad justificationem reducuntur quæcumque ipsam consequuntur beneficia, ut sanctitatis augmentum, opera meritoria, &c.

Ultra hos effectus alii quidam sunt, quos Deus in electorum salutem ordinat, ut bona naturalia, & mala tum naturæ, tum etiam pœnæ, secundum id Prov. 3. 12. *Quem diligit Dominus corripit*, & Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* His ipsa etiam mala culpæ jungi solent, non quasi ea operetur Deus, absit; sed quia ea ad prædestinatorum humilitatem permittit, juxta tritum id August. L. 14. de civ. c. 13. *Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderunt: salubrius enim Petrus sibi displicuit quando flevit, quàm sibi placuit quando præsumpsit.*

Aliter philosophantur electionis haud gratuitæ vindices: hi enim unum prædestinationis ad gloriam effectum admittunt, nempe ipsam gloriæ retributionem. Et vero quæ mox recensita sunt, ut vocatio, justificatio, &c. sunt hujus prædestinationis causæ, non effectus. Si tamen prædestinatio adæquate sumatur, nempe pro voluntate gratiam dandi & gloriam, iidem

erunt hujus effectus, quàm qui prædestinationi ad gloriam ab ejusdem defensoribus assignantur.

Quod ad reprobationem attinet, qui hanc à prævisis demeritis perdere volunt, unum eidem effectum assignant, nimirum actualem à gloria repulsam, actualemque ad pœnas æternas condemnationem.

Qui vero reprobationem hanc demeritis priorem esse opinantur, duas abeunt in partes: alii enim, qui reprobationem in decreto positivo constituunt cum Thomistis, pro effectibus ejus assignant tum permissionem peccati, tum subtractionem mediorum quibus salvandi sunt electi. Alii è contra, quorum opinio mihi semper multo tolerabilior visa est; cùm reprobationem hanc in simplici non actu, seu in mera prædestinationis omissione reponant, docent ex consequenti nullum proprie esse reprobationis illius effectum: 1°. quia negatio pura nullos proprie effectus habere potest; 2°. quia alioqui necesse foret, ut quemadmodum Deus certa electis media præparat, quo ad salutem infallibiliter deveniant; sic & reprobatis inefficacia præpararet media, nè ad salutem devenirent; quod auditu horrendum est; 3°. quia negative reprobati pergunt subjacere generali ac sinceræ voluntati, quâ Deus in primo instanti omnes homines salvos fieri voluit: atqui ubi concipitur sincera illa voluntas, nihil concipitur quod ad salutem non ordinetur, nihil quod quasi natum sit à salute retrahere; ergo.

Quæres 2°. an prædestinatio sit certa tum in se, tum quoad nos.

R. ad 1. affirmat. Patet id 1°. ex Apost. II. Timot. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus;* 2°. prædestinatio est absoluta voluntas dandi gloriam propter prævisa bona merita: ergo ut certa sit, satis est ut Deus certo sciat quinam in bono ad finem usque sint perseveraturi; id autem scit qui omnium scientiam habet. Unde Augustinus, L. de corr. & gr. c. 7. n. 14. *Horum*, prædestinatorum, *si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.*

R. ad 2. nemini citra specialem revelationem constare de prædestinatione suâ. Docet id 1°. Scriptura: Eccle. 9. *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.* I. Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* ubi vero tremit Paulus: quis non contremiscat? Unde monitum istud Philip. 2. *cum metu & tremore salu-*

tem vestram operamini: atqui ubi est tanta anxietas, ibi firma propriæ salutis certitudo esse non potest. Merito igitur Tridentinum sess. 6. can. 16. *Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum, absolutâ & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit.*

Obj. 1°. contra 1. part. Si certus sit in se prædestinatorum numerus, nec potest quis deleri de Libro vitæ, nec ex iis qui à Patre dati sunt Filio potest quis perire: atqui utrumque falsum est: primum quidem, nam Exodi 32. ait Moyses ad Deum: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut.... dele me de libro quem scripsisti*; secundum vero: Christus enim Joan. 17. *Quos*, inquit, *dedisti mihi, custodivi, & nemo ex iis periit nisi filius perditionis.* Pro solutione.

Not. Liber vitæ vel proprie sumitur pro firmâ quam habet Deus electorum notitiâ, vel improprie pro mediis quæ ducunt ad vitam. Libro vitæ juxta priorem sensum intellecto opponitur liber mortis; cùm enim *in libro* Dei scribantur *omnes*, Psal. 138. non autem scribantur omnes in libro vitæ, constat & mortis librum posse admitti, prout admittit S. Basilius in c. 4. Isaiæ: licet rarior sit appellatio libri mortis, unde & eum utcumque negat S. Thomas. Jam

R. ad 1. neg. min. Neque vero postulavit Moyses de libro prædestinatorum deleri, sed de libro vivorum, paratus scilicet suam pro Israelis salute vitam devovere: quo sensu iterùm dixit Num. 11. *Obsecro ut interficias me*: aut si de ipso vitæ æternæ libro locutus est, locutus est ex quadam hyperbole, & sub conditione tacitâ, si fieri id posset. Sed de hoc latius tom. 3. Instit. moral. p. 468.

Ad textum Joan. dico perire posse qui à Patre dati sunt Christo simpliciter, non qui dati sunt absolute, & post prævisam finalem in bono perseverantiam: sic autem datus non erat Judas.

Obj. 2°. id Apocal. 3. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam;* ergo corona amitti potest.

R. dist. conseq. Amitti potest in priori ad prævisionem bonorum operum, unde & hortatur S. Petrus, ut certam per bona opera faciamus electionem nostram, C. amitti potest post prœvisa bona opera, N. Cùm autem non prævideat Deus bona opera nisi quatenùs futura sunt, nec futura sint, nisi laboraverit homo ut bonus miles, merito hortatur Scriptura ut quisque cum timore salutem suam operetur. Unde non

valet contra nos id quod Augustino objiciebant Semipelagiani: *Ex utraque parte superfluum esse laborem, si neque rejectus ullâ industriâ possit intrare; neque electus ullâ negligentiâ possit excidere.* Si enim tollatur labor, nullus est electus; si ponatur in finem, nullus est rejectus.

Obj. contra 2. part. 1°. id Rom. 8, *Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei: si autem filii & hæredes;* 2°. id I. Joan. 5. *Hæc scribo vobis ut sciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei*: sed qui sciunt se hæredes esse, se vitam æternam habere, de prædestinatione suâ certi sunt; ergo.

R. dist. min. Qui sciunt se hæredes esse, vel independenter ab omni conditione, vel dependenter à conditione quàm certo sciant à se ponendam, C. secus, N. Porrò Apostolus suæ illi divinæ filiationis & hæreditatis promissioni hanc annectit conditionem: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Neque positam hanc à Paulo conditionem tollere potuit S. Joannes: unde fideles ad quos scribebat, habebant quidem vitam in spe, sed non in re, aut omnimodâ certitudine. Heu vero! quot hodie *in nomine Filii Dei* credunt, & eo usque credunt, ut virtutes multas operentur, qui aliquando funestum istud audient, *Discedite à me.*

Quæres 3°. an major sit prædestinatorum numerus, quàm reproborum.

R. non esse, sed è contra: 1°. enim Matth. 7. *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Augusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniant eam.* Ibid. 22. *multi sunt vocati, pauci electi;* 2°. id, & utinam minùs, docet ratio. Nam 1°. ante Christum Orbis pene totus in infidelitate, & omni scelerum colluvie sepultus est; 2°. post Christum pars hominum major in iisdem tenebris jacet; 3°. è Christianis alii heresim, alii schisma, alii utrumque sectantur; 4°. è fidelibus, quin &, flens dico, ex altarium Ministris, innumeri improbis moribus fidem suam negant. Si tamen parvuli & adulti sumantur simul, probabile est è Christianis salvari plures, quàm reprobari.

Quæres 4°. quæ sint prædestinationis signa.

R. esse & plura, sed quæ ut veram fiduciam gene-

rent, jungi ſimul debeant. Itaque occurrit 1°. timorata conſcientia, quæ omnia ſua opera vereatur, nec à mortali tantum, ſed à veniali peccato abſtineat.

2°. Conſiliorum conſervantia: diſtat enim procul à mandatorum tranſgreſſione, qui conſilia cuſtodit.

3°. Patientia in adverſis: ſi enim per eam Chriſtus intraverit in gloriam ſuam, quis aliâ viâ tutò gradi poſſit?

4°. Sincera inimicorum dilectio, ex qua *filii Dei* efficimur, Matth. 5. *Si autem filii & hæredes.*

5°. Divinorum guſtus, lubenſque tum verbi ſancti auditio, tum collocutio de ſpiritualibus: *Qui enim ex Deo eſt, verba Dei audit*, Joan. 8. huc accedit ſancta quædam in perſonas Dei amantes, cujuſcumque illæ ſint, etiam infimi gradûs, veneratio. Ecquis Dei amicum ſe ſibi fingat, ſi Dei amicos quaſi aſpernetur?

6°. Humilitas, eò gratior Deo, quò pœnoſior naturæ: hæc vero à S. Gregorio, Lib. 34. Moral. cap. ult. appellatur *character electionis, & quaſi ſignum Dei vivi, quo ſignantur prædeſtinati, cùm ſuperbia ſit character & nota reprobationis.*

7°. Spes firma in eum qui omnium Salvator eſt, maxime fidelium. Nempe vero, ut belle Tertullianus, L. de cultu femin. c. 2. *Sperando timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus.*

8°. Singularis in Virginem Deiparam pietas; hujus præſidium qui nactus fuerit, *inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Verùm ea demùm pietas ſibi Mariam totam devincit, quæ caſtitatem ejus, manſuetudinem, ceteraſque virtutes ſtudet imitari.

9°. Ardens, potiſſimùm in ſacris Miniſtris, divinæ gloriæ amor, ſtudium & ſuæ & alienæ ſalutis, effuſa in Eccleſiam, quæ ſub hac ſeculorum fœce, parturientis dolores experitur, propenſio.





TRACTATUS
DE SS. TRINITATE.

TRactatum hunc absolvent quæstiones decem: I. erit de cognitione mysterii SS. Trinitatis; II. de variis erroribus quibus impetitum fuit illud mysterium; III. de divinarum personarum distinctione ac numero; IV. de earumdem consubstantialitate; V. de divinis processionibus; VI. de divinis relationibus; VII. de notionibus; VIII. de personis divinis in communi; IX. de personis divinis sigillatim sumptis; X. de cautione quâ in hoc exponendo mysterio loquendum est.

QUÆSTIO PRIMA.
De cognitione & fide mysterii SS. Trinitatis.

VIdendum 1°. an mysterium SS. Trinitatis solâ ratione possit demonstrari; 2°. an Judæis, an Gentilibus quibusdam Philosophis cognitum fuerit; 3°. an sit articulus fundamentalis fidei nostræ.

ARTICULUS PRIMUS.
An Mysterium SS. Trinitatis solâ ratione probetur.

NOt. 1°. duplex distingui demonstrationis genus: alterum à priori per causas; alterum à posteriori per effectus.

Not. 2°. posse aliquid demonstrari vel *positivè*, quando medium adducitur ratione naturali cognitum & cum re demonstrandâ connexum; vel *negativè*, quando solvuntur objectiones adversùs rem illam propositæ; solvuntur, inquam, non intrinsecè demonstrando hujusmodi objectionum falsitatem; id enim positivæ demonstrationi æquivaleret, sed ostendendo nihil ab adversariis objici, quod sit evidenter & indubiè verum.

Not. 3°. probationem mysterii SS. Trinitatis, (si quæ fieri potest) attendi vel suppositâ fide hujus mysterii, vel nullâ suppositâ revelatione. Jam tres sunt potissimùm eâ de re sententiæ. Prima affirmat hoc mysterium solâ ratione, & citra ullam revelationem, posse positivè demonstrari: ità Claudianus Mamertus Ecclesiæ Viennensis seculo v. Presbyter. Secunda id fieri posse asserit, sed prælucente fide: ità Abaëlardus & Raimundus Lullius. Tertia utrumque negat; & hæc concors est omnium vulgo Theologorum.

Conclusio I. Mysterium SS. Trinitatis solâ ratione duce, & citra ullum fidei auxilium, positivè demonstrari non potest.

Prob. 1°. ex Scriptura: Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Matth. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et c. 16. post celebrem illam, quam S. Petrus emisit fidei in Christum Deum professionem; *Tu es Christus Filius Dei vivi*; statim reposuit Christus: *Beatus es Simon Bar-jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi; sed pater meus qui in cœlis est*: atqui his verbis manifestè declarat Christus hujusce mysterii notitiam non ex humana ratione, sed ex una revelatione divina proficisci.

Edit. post. p. 456. Prob. 2°. ex SS. Patribus: instar ceterorum sint S. Ambrosius L. 1. de fide ad Gratianum Augustum c. 10. *Impossibile est generationis* (Verbi divini) *scire secretum; mens deficit, vox silet.* S. Augustinus Lib. 15. *Edit. post. T. 8.* de Trinitate c. 9. *Deum esse Trinitatem credimus potiùs quàm videmus.*

Prob. 3°. ratione theologica: Omnis demonstratio vel à priori fit, vel à posteriori: atqui neutro modo demonstrari potest Mysterium SS. Trinitatis. Non à priori, quia demonstratio à priori fit per causas: atqui SS. Trinitatis, ut & Dei, nulla est causa. Non à posteriori, quia hæc fit per effectus: at nullus est Dei effectus ad extra qui proprius sit alicujus personæ SS. Trinitatis, & ad cognitionem illius nos ducere possit. Omnis enim Dei effectus ad extra, id est creatura omnis, est à Deo quatenus omnipotente: at omnipotentia pertinet ad naturam divinam, quæ una est, non vero ad personarum distinctionem: unde vulgatum axioma, *opera Trinitatis ad extra indivisa esse*; ergo nullus est effectus singulis personis SS. Trinitatis proprius, per quem illæ demonstrari queant.

Conclusio II. Etiam suppositâ fide, mysterium Trinitatis positivè demonstrari non potest.

Prob. tum iisdem momentis quibus firmata est prima Conclusio; hæc enim omnia probant mysterium hoc solâ revelationis viâ cognosci posse; tum quia omnis demonstrationis medium debet esse rei demonstratæ intrinsecum, & necessariam habere cum illo connexionem: atqui revelatio, quæ facta est mysterii Trinitatis, nullum detegit creatum effectum, qui possit esse medium intrinsecum necessariam habens cum illo mysterio connexionem. Imò fides id confirmat quod fides docet, scilicet omnia à Deo quatenùs omnipotens; non autem quatenùs trinus est, profluere.

Conclusio III. Suppositâ fide potest mysterium illud exemplis quibusdam utcumque illustrari & suaderi.

Prob. iisdem similitudinibus queis usi sunt Patres: Prima est, intellectûs, voluntatis & memoriæ in una eademque anima. Eâ comparatione plerumque utitur S. Aug. multis in locis. Secunda est Solis, radii & splendoris ex utroque profluentis. Ità Tertullianus & S. Athanas. Tertia, radicis, trunci & rami in una & eadem arbore. Ità & sæpissimè Tertullianus. Porro quantum hæc omnia exempla distent à distinctione reali trium personarum in unitate ejusdem essentiæ, nemo non intelligit. Atque hinc in Conclusione diximus mysterium hoc suaderi *utcumque* posse, non positivè demonstrari.

Conclusio IV. Mysterium SS. Trinitatis ratione naturali potest negativè demonstrari.

Prob. quia ab omnibus, quæ Infideles & Hæretici opponunt, argumentis vindicari potest: atqui hoc ipsum est mysterium istud demonstrare negativè; ergo.

Obj. 1°. Ut lumine naturali innotescat mysterium SS. Trinitatis, satis est quod solâ ratione cognosci possit, Deum intelligendo & volendo producere terminos, eosque sibi consubstantiales in natura, & distinctos in persona: atqui hæc tria solâ ratione duce innotescere possunt. Ac 1°. Deum producere terminos, suæ intellectionis & volitionis, constat, quia omne agens agendo producit aliquem terminum suæ actionis; 2°. quod terminus intellectionis & volitionis in Deo, sit Deo consubstantialis ostenditur, quia terminus ille debet esse perfectissimus: atqui non esset perfectissimus, nisi esset ejusdem naturæ cum suo principio, ipsique consubstantialis; 3°. quod termini illi re-

aliter & perſonaliter diſtinguantur, facile evincitur: quia nempe productum, eſt ſemper diſtinctum à producente, & nihil ſemetipſum producit; ergo.

R. nullum ex his tribus ſolâ ratione certo cognoſci, Non 1. 1°. quia certo non conſtat utrum in creatis detur terminus intellectionis & volitionis: licet enim nonnulli Philoſophi ità exiſtiment, multi contra reclamant; 2°. quia qui ejuſmodi terminos actionum mentis & voluntatis ab ipſis diſtinctos admittunt, conſitentur (ſaltem Thomiſtæ) non neceſſe eſſe, ut quicumque intelligit, is terminum ejuſmodi, ſeu verbum aut ſpeciem expreſſam efformet; 3°. licet certo conſtaret in creatis dari terminos intellectionis & volitionis, non idcirco idem conſtaret in divinis; ſiquidem quod intellectus creatus producat cognoſcendo ſpeciem expreſſam, hoc videtur redolere quamdam imperfectionem, in eo ſitam, quo intellectus per ſe & nonniſi beneficio alicujus imaginis productæ poſſit objectum percipere.

Non 2. Etſi enim concipitur terminus intellectûs divini eſſe perfectiſſimus in ratione imaginis, terminus vero voluntatis in ratione inclinationis; non tamen concipitur eſſe perfectiſſimus in omni genere, quaſi eſſet Deus ipſe. Et certe in intellectu humano verbum mentis non eſt homo: in intellectu angelico, verbum mentis non eſt Angelus; ergo, &c.

Non 3. Eſto quod rationis ope inferamus terminum intellectionis eſſe diſtinctum ab intelligente, eo quod nihil ſeipſum producit; nemo tamen ſibi in animum inducet terminum hunc eſſe aliam perſonam ab intelligente.

Obj. 2°. Solâ ratione conſtat Deum eſſe ens ſumme felix, & cui nihil deſit: atqui eo ipſo conſtat plures eſſe in Deo perſonas. Ens enim cui nihil deeſſe poſſit, honorem ſe dignum, ideoque & infinitum ab æterno recipere debuit: atqui honorem hunc nonniſi à perſona infinita habere potuit, ut patet; ergo neceſſum eſt eſſe in Deo perſonas plures, quæ ſeſe invicem honorent.

R. Minuit quidem ratio hæc difficultatem à perſonarum pluralitate petitam, ſed præterquàm eadem ratio nonniſi cognitâ per fidem Trinitate invecta eſt, conſtat eam ad hujus myſterii expoſitionem non ſufficere: neque enim hinc liquet, quare tres ſint duntaxat in Deo perſonæ, non plures; quare una potiùs quam altera ſit filius; quare una ſit alterâ origine

prior, cùm eodem puncto temporis natura in Deo intelligat & simul velit: quare una, nempe Spiritus sanctus, à Filio simul & à Patre procedat: hæc & alia hujusmodi nusquam humana mens assequetur.

ARTICULUS II.

An mysterium SS. Trinitatis Judæis & Gentilibus Philosophis cognitum aliquando fuerit.

NOt. 1°. fidem, aliam esse explicitam & distinctam; aliam implicitam, & quodammodo confusam.

Not. 2°. veteres Judæos in tres quasi classes distribui posse. Prima est Patriarcharum, Prophetarum, & eorum omnium qui sanctitate insignes fuere. Secunda est peritorum & doctorum Legis, qui vocabantur Scribæ. Tertia est communis & rudioris vulgi. His positis, sit

Conclusio I. Judæorum Patriarchis, Prophetis, & viris sanctitate conspicuis aperta hujus mysterii revelatio concessa fuit.

Prob. ex Scriptura. Matth. 13. *Amen dico vobis, quia multi Prophetæ & Justi cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt.* Unde porro vehemens istud Sanctorum desiderium, nisi ex facta illis revelatione mysterii Incarnationis, quod Trinitatis mysterium supponit, nec sine isto cognosci potest? Joan. 8. Christus aït: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum; vidit & gavisus est.*

Conclusio II. Vigebat inter Legis Judaïcæ peritos subobscura de SS. Trinitate traditio.

Prob. quia vigebat inter hujus Legis peritos quædam traditio de divinitate venturi Messiæ: atqui hæc traditio stare non potest sine aliqua confusa saltem Trinitatis notione; ergo. Minor certa est, major autem facile ostenditur: cùm enim multa veteris Testamenti loca, quæ Messiam pollicentur, eadem ipsius divinitatem significent, fieri non potuit, quin doctiores apud Judæos, qui sacris Codicibus totos se dabant, Messiæ divinitatem saltem obscurè cognoscerent.

Conclusio III. Judæorum vulgo ignotum fuit mysterium SS. Trinitatis.

Prob. auctoritate & ratione Theodoreti, Lib. de curatione græcarum affectionum serm. 2. *Cùm*, inquit, *in Ægypto diutissimè versati essent* (Judæi) *multorum-* *Edit. Paris. ann.*

1642. *quæ ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sa-*
T. 4. p. *pientissimus Deus, nequaquam illis manifeste omnia*
496. *Trinitatis mysteria tradidit, nè ex ea multitudine deorum occasionem sumerent ad impietatem Judæorum propendentes.* Eandem rationem affert S. Chrysost. Homil. de incomprehensibili Dei natura.

Obj. Plebs Judaïca salutem consequi poterat: atqui non poterat sine fide in Christum: *nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Porro fides in Christum, aliquam supponit Trinitatis notionem.

R. dist. min. Sine fide implicita, C. explicita, N. Fides explicita ea est quæ versatur circa aliquid clare & distinctè cognitum: fides vero implicita ea est, quæ versatur circa aliquid sub generali quadam & involuta ratione apprehensum, quatenùs nempe tenetur à
S. *majoribus*, seu ab iis qui habent officium alios instru-
Thom. endi de fide, cujusmodi sunt Ecclesiæ Pastores. Prior
2. 2. q. fides non semper fuit necessaria: posterior etiam vi-
2. art. ris de plebe judaïca adesse potuit.
6. & 7. Conclusio IV. Gentiles Philosophi accuratam & rectam non habuerunt SS. Trinitatis notitiam: & si quid in Scriptis suis de illa adumbrarunt, totum è suo cum Hebræis commercio accépêre.

Duæ sunt partes Conclusionis.

Prob. 1. pars: quia Trinitatis mysterium consistit in unitate ejusdem numericæ in tribus distinctis personis naturæ: atqui nihil tale agnoverunt veteres Philosophi; ne ipsi quidem Platonici qui digniùs de Deo inter alios senserunt: 1°. quia satis non constat an veras personas à se invicem distinctas Plato admiserit,
S. an solùm divina quædam attributa; 2°. quia tres
Thom. Deos videtur admittere, quorum unus primus sit &
L. 4. summus, cui alii minores subordinentur; 3°. quia
cont. quidquid de verbo seu de summo rerum omnium arti-
Gent. 1. fice dixit, potest commode de ideis quibusdam à Deo productis explicari, ad quas intuens Deus res omnes
Edit. condidit.
Parif. Prob. 2. pars: 1°. ex Justino, qui Apolog. 2. docet
1615. Platonem ex Moyse accepisse, quæ de Deo eximiè scri-
P. 21. psit; 2°. ex Eusebio, qui L. 11. præpar. Evangel.
& 92. num. 16. docet, Platoni ne quidem in mentem veni-
P. 534. re potuisse, quæ de Deo potente scripsit, nisi ex He-
Edit. bræis ea didicisset; 3°. ex S. Basilio, qui Homil. 16,
poft. in illud, *In principio erat Verbum*, refert, hæc prima
l. 2. p. Evangelii secundùm Joannem verba, à multis Philo-
234.

sophis in scripta sua fuisse translata: *Fur enim est diabolus*, inquit, *ac nostra, cum fabularum narrator sit, ad suos vates effert.* Scilicet veteres illi Philosophi ex ardenti dicendi desiderio, Moysis aliorumque Judæorum libros avide conquirebant ac studiosè legebant.

Quæres an Philo Judæus, & Mercurius Trismegistus Trinitatem agnoverint.

R. 1°. nihil mirum fore si Philo vir Hebræus, in Lege ac Scripturis versatissimus, qui initio prædicationis Evangelii floruit, aliqua dixerit fidei sanctissimæ Trinitatis consona.

R. 2°. supposititium esse quod ex Mercurio Trismegistro, ipso Moyse antiquiore, refertur; omnes enim critices periti fatentur Librum qui nomine Trismegistri circumfertur, ipsius non esse.

ARTICULUS III.

An mysterium SS. Trinitatis sit articulus fidei ad salutem omnino necessarius.

SOciniani, quibus se adjungunt Remonstrantes, duce Episcopio Lib. 4. Instit. Theologic. Sect. 2. c. 24. negant mysterium Trinitatis fundamentalem esse fidei christianæ articulum, quem de necessitate salutis quisque credere debeat. Sit

Conclusio. Mysterium Trinitatis fundamentalis est fidei articulus, cujus aperta cognitio ac professio ad salutem prorsus necessaria est.

Prob. 1°. ex Scripturis. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum*: atqui stare non potest Christi cognitio sine notitia Trinitatis, cujus est secunda persona; ergo nec sine illa notitia haberi potest vita æterna. Unde ibid. c. 3. *Qui incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

Et vero Christus alloquens Apostolos, Matth. 25. ait: *Euntes docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Addit Marci 16. *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nihil certe disertius his Christi verbis.

Prob. 2°. constanti Traditione: semper enim Ecclesia necessariam judicavit fidem SS. Trinitatis, ut patet tùm ex forma Baptismi, in qua tres personæ

appellantur; tùm ex confessione in tres divinas personas, quæ à suscipientibus Baptismum semper fuit expostulata; tùm denique ex eo quod Ecclesia è sinu suo statim ejecerit eos omnes, qui vel personarum trinitatem, vel earum consubstantialitatem negârunt.

Prob. 3°. ex decreto Innocentii X. an. 1679. in quo proscribitur ista propositio; *Absolutionis capax est homo, etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Præiverat Academia Lovaniensis an. 1653 & subsecutus est Clerus Gallicanus an. 1700. Porro si incapaces sunt absolutionis qui ineffabile illud mysterium ignorant, profecto illius cognitio ad salutem necessaria est.

QUÆSTIO SECUNDA.

De erroribus circa Trinitatem.

DUplici potissimùm capite totum illud mysterium continetur, trinitate scilicet personarum, & unitate ejusdem singularis essentiæ. Contra utrumque caput emersit quadruplex Hæreticorum classis.

Personarum distinctionem negavêre, 1°. Simon Magus Getthis oriundus vico Samariæ, qui paulo post Christi mortem docuit se omnem esse Trinitatis personam, qui Judæis quasi Filius apparuit, in Samaria autem quasi Pater descendit, in reliquis vero Gentibus, quasi Spiritus Sanctus adventavit.

2°. Anno 145. Valentinus vir perditæ mentis, tametsi ingenio potens & eloquio; is inter infinita alia errorum figmenta totam Trinitatem passam fuisse docuit.

3°. Eodem seculo circa annum Christi 172. quidam è Secta Montanistarum, qui Cataphrygæ & Pepusiani dicebantur, à regione Phrygiæ, ex qua oriundus erat Sectæ illius parens Montanus, & à Pepusa illius regionis oppidulo, ubi frequentiores habebant conventus, affirmârunt, Christum esse Filium simul & Patrem.

Tertul. de præsc. c. 52.

4°. Anno 196. Praxeas Asiaticus Montanistis adhærens, primus omnium hanc Romæ hæresim propugnavit: *Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit & mortuum: præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam.*

Ibid. c. ult.

5°. Circa annum Christi 245. prodiit Ephesius quidam, nomine Noëtus, Anoëtus merito dicendus, id est, mentis inops ac stolidus, aït S. Epiphanius, Hæresi 57. Asserebat ille Patrem & Filium & Spiritum sanctum non naturâ solùm, sed etiam personâ unum & singularem esse Deum; ipsumque adeo Patrem passum esse contendebat. T. 1. p. 481.

6°. Famosissimus fuit Sabellius, à quo dicti Sabelliani quotquot post ipsum personarum realem in Deo distinctionem rejecerunt. Is Ptolomaïde in Libyâ natus circa annum Christi 257. propugnavit unam esse in Deo personam sicut essentiam sub triplici appellatione, Patris nimirùm, Filii & Spiritûs sancti. Omnes illi Hæretici dicti sunt Patripassiani, quia Patrem passum esse profitebantur. Eodem post Sabellium errore infecti fuêre Paulus Samosatenus, Photinus, Priscillianistæ & alii, de quibus posteà.

Personarum simul omnium consubstantialitatem sustulêre, 1°. Valentinus, de quo jam suprà; iis namque Pleroma invisibile ac spiritale ex pluribus Æonibus constituebat in Deo. Animo vix concipi potest quot insana deliria Valentinus excogitaverit, de quibus S. Irenæus & Tertullianus.

2°. Cerdo Marcionis Magister duos Deos admisit; ex Tertulliano L. 1. contra Marcionem c. 2.

3°. Marcion totidem admisit, alterum bonum, alterum malum; ex eodem ibid. cap. 15.

4°. Appelles Marcionis discipulus docuit, teste S. Epiphanio hæresi 44. *unum esse bonum Deum qui... alium produxit Deum à quo cœlum & terra, ceteraque quæ in hoc mundo cernimus, creata sunt.* Eundem errorem Appollinari tribuit S. Gregorius Nazianzenus Epist. 1. ad Clédonium Presbyterum. T. 1. p. 380. T. 1. p. 744.

5°. Tritheitæ, quorum signifer fuit Joannes Philoponus, non infimi nominis quinto seculo Philosophus, admittebant unam quasi specie tribus personis communem ac consubstantialem naturam deitatis, tres vero in illis numero distinctas substantias; eo ferè modo quo una est specifica natura humana in multis hominibus, numero tamen distincta, & pro multiplici hominum numero divisa & multiplex. Ex quo proclive erat inferre tres esse deitates ac tres Deos numero distinctos, sicut Petrus, Paulus & Joannes sunt tres homines. Non ausi tamen illi sunt confiteri tres esse deitates ac tres Deos.

6°. Abbas Joachim cujus doctrina in Concilio La-

teranensi III. damnata fuit, statuebat tres personas solâ collectione esse Deum unum; sicut plurimi cives sunt unus populus: per se ergo nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum esse Deum; sed ex iis simul junctis Deum coalescere.

Verbi ac proinde Christi divinitatem expresse impugnarunt, 1°. Cerinthus, qui docuit Christum ex Josepho & Maria viâ ordinariâ genitum fuisse.

2°. Eodem seculo Ebion, unde dicti Ebionitæ. Is Cerinthi blasphemiam imitatus, contendit Christum, utpote purum hominem, communi ceterorum more ex Josepho & Maria ortum fuisse. Ità testatur Euseb. Lib. 6. c. 17. Theodoretus Lib. 2. Hæretic. fabul. cap. 1. & alii.

Epiph. hær. 65. 3°. Paulus Samosatenus ità dictus, quia Samosatis in Syria Euphratesia natus est, circa annum 260. Is cùm jam esset Episcopus Antiochenus, Christum purum hominem fuisse docuit. Ità Eusebius Lib. 7. cap. 28. 29.

4°. Arius ex Lybia ortus, Meletii schismati primùm adhæsit; à quo tum conversus, à S. Petro Alexandrino Diaconus ordinatus fuit: sed cùm Meletio se rursus adjunxisset, ab eodem Petro cum aliis Schismaticis ab Ecclesia est ejectus, in quam mortuo Petro subinde irrepsit, & ab Achilla susceptus, Presbyterque ordinatus, Ecclesiæ cuidam Parochiali Baucalensi præfectus est. Tandem ambitione ac invidiâ percitus, quod Alexandrum sibi in Episcopatu Alexandrino prælatum videret, in apertam hæresim erupit contra divinitatem Verbi, an. 317. En erroris hujus summam, qualem dat Alexander Patriarcha Alexandrinus in Litteris, quas eâ de re ad singulos Episcopos dixerit.

Socrates L. 5. *C.* 6. *P.* 10. & 11. 1°. *Deus non semper fuit Pater, sed tempus extitit cum minimè esset Pater.*

2°. *Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est ex non extantibus*, id est, ex nihilo; *Deus enim qui est, illum qui non erat, ex eo quod non est procreavit. Proinde tempus aliquando fuit cum non esset.*

3°. *Filius creatura est opusque. Neque vero similis est Patri secundum substantiam, neque verum ac genuinum Dei Verbum, nec vera ejusdem Sapientia.*

In tres sectas seu factiones divisi fuêre Ariani.

Prima eorum fuit qui rigidè Ariani, & omnibus erroris capitibus, quæ mox relata sunt, tanaciùs addicti, Anomoei vocabantur, eo quod Filium Patri in omnibus dissimilem esse, seu ἀνόμοιον contenderent.

Hujusce factionis duces præcipui fuêre Aëtius & Eunomius, unde dicti Aëtiani & Eunomiani. Eunomius vero id novi errori Arii addidisse dicitur, ut Verbum Dei non tanquam personam spectaret, sed ut meram qualitatem.

Secunda factio, aït Tournelyus, eorum fuit, qui Semiariani nuncupati sunt. Hi vocem, ὁμȣσιον, *consubstantialem*, rejiciebant, & Filium Patri ὁμοιȣσιον, id est in omnibus, adeoque & in essentia, similem prædicabant. Hujus partis principes extitêre Basilius Ancyranus, Georgius Loadicenus, &c. Semiarianos illos pro hæreticis habet Tournely: at nostro judicio fallitur vir eruditus: de quo infrà.

Tertia denique factio Arianorum, illorum fuit qui Filium Dei nec Patri *consubstantialem*, cum Catholicis; nec *similem in omnibus*, cum Semiarianis; nec etiam *dissimilem*, cum Aëtianis & Eunomianis agnoscebant; sed ὁμοιȣσιον, id est, *similem*, non in natura, sed in nescio quâ repræsentatione. Factionis hujus caput fuit Acacius Episcopus Cæsariensis, quem privatæ cum Cyrillo Hierosol. inimicitiæ à partibus Semiarianorum, quibus antea adhærebat, abstraxerunt.

5°. Servetus natione Hispanus, professione medicus, anno 1531. Arianorum perfidiam auxit editis septem Libris, quos inscripsit, *de erroribus Trinitatis*. Genevæ combustus fuit 27. Oct. an. 1553, promovente Calvino.

6°. Servetus impietatis suæ socium habuit Valentinum Gentilem, qui similiter apud Helvetios eâdem ex causâ supplicio addictus est.

7°. Lælius Socinus Fausti patruus Sectæ Socinianæ caput, nobilis Senensis, Calvinianæ doctrinæ placitis primùm innutritus, eo usque errando illa protendit, quo ipsa per sese ducunt, ad omnem scilicet, excussâ Ecclesiæ autoritate, Religionis subversionem. Docuit itaque 1°. cum Valentino, Praxeâ, &c. tres in Deo non esse distinctas personas, sed unum solummodo naturâ & personâ Deum, qui Pater dicitur; 2°. & proinde Verbum Patris seu Filium, meram esse creaturam, & quæ non extitit antequam ex Josepho & Mariâ nasceretur, nisi in mente Dei per prævisionem; 3°. Christum à Deo quidem missum ad humani generis salutem, non tamen Deo pro eodem humano genere proprie satisfactionem obtulisse; 4°. Christum appellari posse Deum, non naturâ, sed gratiâ & ado-

ptione, ob excellentem potestatem quâ instructus à Deo Patre fuit.

Horum omnium agmen claudet Spinosa, vir omnis expers Religionis & vere Atheus. Adversùs Christum & Spiritum sanctum impietatem aperuit in *Tractatu theologico* & in *Miscellaneis*.

Spiritûs sancti divinitatem impugnarunt, 1°. Macedonius, Byzantinus Antistes, qui versùs an. 360. asseruit sanctum Spiritum meram esse creaturam, seu Ministrum Dei, Deo longe inferiorem. Hujus sectatores dicti sunt Pneumatomachi.

Sociniani, ut paulo ante observatum fuit, bellum etiam Spiritui sancto indixerunt, quem non naturâ & substantiâ Deum agnoscunt, sed tantùm virtute & efficaciâ Dei Ministrum.

QUÆSTIO TERTIA.

De divinarum Personarum distinctione, &c.

Ut expositi modo errores convellantur: sit Conclusio. Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ in unâ & eâdem numero divinâ substantiâ.

Prob. 1°. ex locis in quibus Deus de se ipso numero plurali loquitur. Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.* Ibid. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Et c. 11. v. 7. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum*: atqui, ut notant Theodoretus & Tertull. verba isthæc, *faciamus*, *descendamus*, *&c.* designant personarum pluralitatem; istud vero in singulari numero, *ad imaginem*, &c. non ad imagines, unitatem essentiæ designat.

Respondent Sociniani, 1°. Deum artificis in morem se ad creandum hominem quasi excitare dicendo, *Faciamus*; perinde ac artifex sese ad opus adhortatur, inquiens, Age, fingamus statuam, &c. 2°. Deum de se numero plurali loqui honoris causâ, instar Regum ac Principum cùm aliquod imperium exprimunt; 3°. in locis citatis non plures in Deo personas compellari; sed Angelos, adeoque pluralem numerùm exprimi, non divinarum personarum, sed Angelorum. At eæ responsiones nullius sunt momenti.

Non 1. quæ per se absurda est, nugatoria, Deo

prorsùs indigna. *Quis enim*, aït S. Basilius, Hom. 9. in Hexameron. *Quis faber inter suæ artis instrumenta desidens sibi ipsi admurmurat dicens, Faciamus gladium?* Tom. 1. pag. 8.

Non 2. tum quia Deus ibidem loquitur in plurali, cùm imperium non exprimit, *Ecce Adam quasi unus ex nobis*: tum quia Reges etsi in edictis loquuntur in plurali, *Volumus*, non tamen in aliis circumstantiis. V. g. Rex non dicit, Nos loquimur, nos ambulamus, &c.

Non 3. hæc enim verba, *Ad imaginem & similitudinem nostram*, evasionem occludunt, homo enim factus est non ad Angelorum, sed Dei ad similitudinem.

Confirm. ex iis locis in quibus sermo est de Deo uno & singulari, & distinctis in ipso personis. Psal. 2. v. 11. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Aperta hic mentio fit Patris generantis Filium, & Filii geniti. Hunc porro textum de Christo Dei Filio intelligendum esse, ipse sacer contextus novi Testamenti declarat. Act. 13. v. 33. Heb. 1. v. 5. & c. 5. v. 5.

Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis*: quæ verba de Christo dicta esse, Christus ipse demonstrat Matth. 22.

Prob. 2°. tum ex Baptismi formâ, tum ex missione Spiritûs sancti. Matth. 2. v. 19. Christus Apostolos suos alloquens, *Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, baptisantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti*: atqui hic tres personæ aperte distinguuntur, & unica illis assignatur natura, virtus & autoritas. *In nomine, non in nominibus*, aït Christus; ergo.

Joan. 14. v. 16. Christus Spiritum sanctum mittendum promittit. *Ego*, inquit, *rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Et cap. 15. v. 26. *Cum venerit Paracletus quem ego mittam vobis, à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*: atqui in hoc textu expressa habetur trium personarum distinctio: Filii rogantis, *Ego rogabo*; Patris quem rogat, *rogabo Patrem*; & Spiritûs S. qui mittendus est, *& alium Paracletum dabit vobis*; ergo.

Prob. 3°. ex I. Joan. cap. 5. v. 7. ubi sic: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt*: atqui hoc testimonio nihil illustrius desiderari potest ad adstruendum SS. Trinitatis mysterium; cùm ex una parte Patris, Verbi, & Spiritûs sancti distinctio exprimatur; dicuntur enim esse tres; & ex altera parte eorumdem etiam

consubstantialitas asseratur; dicuntur enim esse unum quid inter se; ergo. Objectiones contra hunc versum proponi solitas expendam ad calcem hujus quæstionis.

Prob. 4°. ex Traditione, & quidem 1°. ex generalibus quibusdam, iisque certissimis monumentis.

Primum petitur ex Baptismi ritu: in eo quippe trium personarum distincta mentio semper facta est, & olim ad eam clariùs exprimendam, trina etiam immersio adhibita fuit.

Secundum, ex publicis fidei professionibus, quæ ut erant in Symbolis Nicæno & Constantinopolitano, quotidie recitabantur, atque tres in Deo personas, & unam substantiam exprimunt: quæ quidem argumenta ex quotidiana Fidelium praxi deprompta, eo majorem habent vim, quod ignorari non possint nec iisdem æquivocationibus pateant, quibus testimonia scriptis exarata.

Tertium desumitur ex publica reclamatione Fidelium ac Ecclesiæ totius adversùs novitatem, quoties error aliquis contra receptam & avitam fidem exortus fuit. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno Arii antecessoribus universa Christianorum repugnavit Ecclesia, ut scribit Alexander Episcopus Alexandrinus ad Alexandrum Constantinopolitanum.

V. Theodor. L. 1. Hist. c. 4.

Idem diserte evincunt SS. Patres. Justinus Apologiâ 2. *Hunc Patrem*, inquit, *& qui ab eo venit.... Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes:* atqui soli Deo debitus est adorationis cultus.

Pag. 15.

Athenagoras Legatione pro Christianis, *Deum asserimus, & ipsius Verbum, & Spiritum S. tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; actu vero & essentiâ unum.*

Ad calcem Oper. S. Justini pag. 27.

Tertullianus L. contra Praxeam, c. 3. *Duo quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto. Duos tamen Deos & duos Dominos, nunquam ex ore nostro proferimus.*

Pag. 507.

Denique Gregorius Nyssenus, ut alios recentiores omittam, de quibus nulla lis esse potest, Oratione. 3. contra Eunomium postulantem claram ex divinis Scripturis divinitatis Christi & Spiritûs sancti probationem, ait: *Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus à Patribus venientem ad nos Traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam.*

Tom. 2. pag. 229.

His omnibus accedit, Gentiles non semel Christia-

nis objecisse quod tres Deos colerent; eumque ut veri nominis Deum habent, qui ultimo supplicio addictus fuerat. Constat id ex S. Justino Apologiâ 1. ex Origene Lib. 8. contra Celsum, ex Tertulliano adversùs Praxeam, &c. atqui hæc Gentilium in Christianos accusatio invictè contra Socinianos demonstrat, viguisse apud Patres Antenicænos trium in uno Deo personarum fidem. Namque objicientibus Paganis tres Deos à Christianis adorari, hominemque ultimo supplicio affectum pro Deo ab illis haberi, facillimè reposuissent Christianæ Religionis Apologistæ, si cum Socinianis sensissent, se nullatenus Filium & Spiritum S. pro vero Deo habere; sed Filium ut excellentem duntaxat creaturam, & Spiritum S. ut *Dei virtutem & efficaciam*: atqui nedum tale quid reposuerint, imò publicè ac intrepidè, etiam inter acerbissima tormenta, contestabantur se credere tres esse distinctas in Deo personas, & unam numero singularem naturam; ergo certa fuit etiam primis Ecclesiæ seculis Christianorum fides, tres esse in uno Deo personas.

Obj. 1°. Ubi sunt tres personæ realiter distinctæ, quarum quælibet Deus est, ibi sunt tres Dii: atqui tres Deos esse, non tantùm fides, sed & humana ratio dicere abhorret; ergo.

R. neg. maj. Scriptura enim utrumque admittit, & tres personas, & unum Deum. Ratio vero cur sint tres personæ, & unus Deus, hæc decretoria profertur à sanctis Patribus, tum quia una est & individua in tribus personis essentia, non multiplex; tum quia unum est principium totius divinitatis, Pater scilicet, quia à nullo procedit, & à quo procedunt Filius & Spiritus sanctus: & ità nihilominus procedunt, ut in eo maneant. *Pater in me est, & ego in Patre.* *Joan. 10. v. 38.*

Inst. 1°. Juxta Boëtium & omnes Philosophos, persona nihil aliud est quàm naturæ rationalis individua substantia; ergo ubi tres sunt personæ, ibi tres substantias individuas esse oportet, &c.

R. dist. ant. Individua substantia, id est, subsistentia individualis, C. id est natura & essentia, N. Cùm persona definitur à Boëtio & aliis, *naturæ rationalis individua substantia*, substantiæ nomine non ipsa natura seu essentia intelligitur, sed substantia, quæ naturæ quidem modus est; unde additur in definitione, *individua substantia*, id est singularis, & alteri tanquam supposito incommunicabilis. Et certe cùm sub- *Vide S. Thom. 1. p. q. 30. art. 1.*

stantia & natura idem significent, si nomine substantiæ naturæ intelligeretur, res eadem bis in ejusmodi definitione repeteretur.

Inst. 2°. Nomen personæ substantiam subindicat; ergo pro numero personarum ipsa substantia dividitur ac multiplicatur. Ratio est, quia nomina substantiva plurali numero non enuntiantur, quin formæ ipsæ multiplicentur: ità Petrus & Paulus duo sunt homines, quia non eadem est numero in ipsis humanitas, sed diversa.

R. dist. ant. Nomen personæ substantiam subindicat, indirectè & *in obliquo*, ut vocant, C. directè seu *in recto*, N. Nomen personæ directè, ac per se personalitatem sonat, tanquam formam; est enim persona idem quod *habens personalitatem*: cùm vero personalitatem ultimum sit naturæ rationalis complementum, ex obliquo ac indirectè substantiam significat. Porro cùm nomina substantiva (quale est nomen personæ) plurali numero efferuntur, eæ duntaxat formæ multiplicantur, quæ nominibus illis propriè & directè significantur, adeoque tres sunt personalitates, non vero tres substantiæ.

Obj. 2°. Ubi unica est natura, ibi non possunt esse plures personæ; valet enim istud effatum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Ergo si personæ divinæ sint quid idem cum natura, non possunt à se invicem distingui.

R. ad 1. neg. maj. Ad 2. R. 1°. axioma istud: *Quæ sunt eadem uni tertio, &c.* purè philosophicum esse, rebusque duntaxat creatis applicari *ad summum* debere, non divinis, quæ infinito inter se distant intervallo. Et vero non minus obtinet apud veteres Philosophos illud aliud effatum, *Ex nihilo nihil fit*, quod tamen in iis duntaxat locum habet, quæ naturaliter agunt, non in aliis: agnoscunt enim cum Catholicis Sociniani, mundum è nihilo factum esse.

Dixi, *ad summum*: neque enim in creatis verum est prorsus, ea quæ sunt idem uni tertio, esse idem inter se: planta enim & animal sunt idem uni tertio, nimirùm viventi, nec tamen sunt inter se idem.

R. 2°. dist. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se* sub eo respectu sub quo sunt idem cum uno tertio, C. sub omni respectu, N. Et ità quia personæ divinæ conveniunt in essentia divina, idem etiam sunt inter se quoad essentiam divinam; ac consequenter

rectè quidem dici possunt *idem*, sed non *eædem*, quia non conveniunt ratione personæ.

Inst. Si tres personæ à se invicem realiter distinguerentur, & simul unum quid identice forent cum divina essentia, sequeretur, unam & eandem rem simul distingui & non distingui; plures esse, & unum; communicari, & non communicari: atqui hæc contradictionem involvunt.

R. rem eandem sub vario respectu distingui & non distingui, communicari & non communicari, beneficio scilicet distinctionis virtualis, quâ fit ut una & eadem entitas Dei multis rebus distinctis æquivaleat, atque quatenùs absoluta, communicetur tribus personis, una numero & indivisa remanens: quatenùs vero relativo æquivalet, non communicetur: unde nulla hic intervenit contradictio; hæc quippe, ut vera sit, debet esse de eodem sub eodem respectu: porro sub diverso respectu eadem Dei entitas communicatur vel non communicatur. Et vero in humanis idem homo immortalis dicitur & mortalis; immortalis ratione animæ, mortalis ratione corporis.

Quæres an certo genuinus sit textus I. Joan. 5. *Tres sunt*, &c. quo suprà tam intrepide usi sumus.

R. affirm. Prob. 1°. quia ubi, quod fatemur, non omnino concordant Codices, iis dubio procul adhærendum, qui numero, vetustate ac autoritate plures sunt: atqui laudatum textum, quidquid contra reclament adversarii, in multo pluribus Codicibus reperiri fatentur rerum istarum periti.

1°. Extat in Codice Britannico, cujus ob vetustatem tanta erat apud Erasmum autoritas, ut ex eo versum hunc in bina novi Testamenti editione à se omissum, in tertiâ & quartâ restituerit.

2°. Legitur in Codicibus quibus usi fuêre autores editionis Complutensis anno 1517. de qua testatur in præfatione Cardinalis Ximenius *maximam laborum partem in eo præcipuè fuisse versatam, ut castigatissima omni ex parte, vetustissimaque Exemplaria Hebræa, Græca & Latina pro archetypis haberentur; ex quibus Græca, ex Bibliothecâ Vaticanâ missa sunt.*

3°. Robertus Stephanus in eleganti suâ editione novi Testamenti ann. 1550. ex 16. vetustis Exemplaribus græcis, ab Italiâ, Hispaniâ & Galliâ conquisitis, septem duntaxat notat, in quibus desit non quidem integer versus, sed tantùm verba hæc, *in cœlo,*

4°. Theologi Lovanienses, ex magno illo Mss. numero ad quæ vulgatam Scripturæ editionem recognovêre anno 1580. testantur quinque duntaxat reperta in quibus versus ille desit.

5°. *Correctorium Bibliæ* decimo circiter seculo editum, & in Bibliotheca Sorbonica asservatum ad hunc versum 7. *Hic*, inquit, *corrupti sunt quidem Libri Græcorum, ut ait B. Hieronymus, qui hoc capitulum non habent, in quo maximè fides Catholica roboratur.*

6°. Multos alios Codices, imprimis perantiquum Corbeïensem, laudant in rem nostram Monachi Benedictini in Annotationibus ad Prologum Hieronymi in Epistolas Canonicas.

7°. Codices quibus usi sunt Veteres, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, &c. à quibus versus ille laudatus fuit, haud dubiè illum continebant; neque enim de suo illum protulerunt.

Denique testem damus omni exceptione majorem, Cassiodorum intelligo, qui VI. Ecclesiæ seculo floruit; Opus ille adornavit, cui titulus, *Cassiodori Senatoris Complexiones in Epistolas & Acta Apostolorum & Apocalypsim*; quod Opus à clarissimo viro D. Maffei è pulvere Bibliothecæ Capituli Veronensis, ubi jacebat, eductum fuit, ac Florentiæ typis excussum anno 1721. In hoc autem Opere, Cassiodorum summarium recensens capitis 5. Epistolæ I. S. Joannis, versûs 7. apertam habet mentionem. En verba: *Qui Deum Jesum credit, ex Deo Patre natus est....: Cui rei testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis & spiritus, quæ in Passione Domini leguntur impleta; in cœlo autem, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres unus est Deus.* Ergo in Codicibus quibus utebatur Cassiodorus V, & VI. seculo, extabat versus 7. de quo hic agimus. Nihil enim de suo adjicit Cassiodorus, sed tantùm summatim redigit doctrinam sancti Joannis.

Nec est quod opponas, quo tempore florebat Cassiodorus, jam corruptos fuisse manuscriptos Codices sacrorum Bibliorum, atque fortè in manus Cassiodori devenisse unum ex his depravatis Codicibus, in quibus versus ille septimus piâ alicujus fraude insertus jam fuerat.

Namque ipsemet Cassiodorus testatur Lib. Institutionum divinarum cap. 3. & in Præfatione ejusdem Operis, se Codices sacros quos potuit antiquiores & emendatiores undequaque collegisse; eos summâ curâ & diligentiâ, tum inter se, tum ad fidem antiquorum

manuscriptorum contulisse; in nullo tamen ex his vetustissimis Codicibus versiculum nostrum deesse usquam observavit Cassiodorus; quâ igitur fronte posset quis sinceritatem hujus versûs in dubium adducere.

Prob. 2°. ex antiquis Patribus. Tertullianus Lib. adversùs Praxeam c. 25. *Connexus Patris in Filio,* inquit, *& Filii in Paracleto tres efficit cohærentes.... qui tres unum sunt, non unus.* Ad versum septimum Epistolæ S. Joannis hic Tertullianum respicere, verba ista, *tres unum sunt*, clarè indicant. *Pag.* 515.

S. Cyprianus Lib. de Unitate Ecclesiæ, ut probet servandam in Ecclesiâ unitatem, hæc refert; *Ego & Pater unum sumus, & iterum*, inquit, *de Patre & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Non alibi porro scriptum illud legimus, quam in citato S. Joannis capite. *Pag.* 180.

S. Hieronymus, seu quivis autor Prologi ad Epistolas Canonicas, qui ad minimùm scripsit seculo septimo, conqueritur ab infidelibus translatoribus vitiatam fuisse primam S. Joannis Epistolam: *In qua*, inquit, *ab infidelibus translatoribus multùm erratum esse fidei veritate comperimus: trium tantùm vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, & spiritûs, in sua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritûs S. testimonium omittentibus, in quo maximè & fides catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritûs sancti una divinitatis substantia comprobatur*: porro impudentis falsarii labem inurere Hieronymo, ut fecerunt Erasmus & Socinus, summæ est imprudentiæ. *Tom.* 1. *Pag.* 1667.

Prob. 3°. quia constat utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, hunc versiculum ut legitimum agnoscere ac retinere. De Latina res omnino certa est. De Græca etiam patet ex ejus Lectionario; idque confitentur adversarii, atque imprimis autor *Historiæ criticæ veteris & novi Testamenti cap.* 18. Jam vero hæ Ecclesiæ simul junctæ numero & autoritate longè superant Ecclesias Syriæ, Arabiæ, Ethiopiæ, quas in suæ sententiæ patrocinium (quanquam immerito) adducunt Sociniani. Richard. Simon.

Confirmatur tertium istud argumentum ex decreto Concilii Trid. de Scripturis Canonicis, quo recipiendos jubet singulos libros editionis vulgatæ cum omnibus suis partibus, & prout in Ecclesia Catholicâ legi consueverunt. *Si quis, libros ipsos integros* (veteris ac novi Testamenti) *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vul-*

gatâ editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit... anathema sit. Porrò in Ecclesia Catholicâ legitur Epistola S. Joannis cum citato sæpius versu 7.

Prob. 4°. Nullâ certiori critices regulâ judicari potest in aliquo textu particulam quamdam non esse insertam, quam si eâ positâ oratio sit fluens & aperta, eâ vero sublatâ, sensus orationis coactus sit & confusus: porro ità est in præsenti negotio; posito versu 7. omnia cohærent; eo autem omisso, sensus Apostoli coactus est, & omnino involutus. Scilicet enim v. 7. sic habetur: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.* v. 8. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Omnia hic recte cohærent ac connexa sunt: nitida & aperta oratio Apostoli, si nullum ab illa membrum divellatur; secus vero confusa, male cum antecedentibus & consequentibus cohærens. Quorsum enim particula conjunctiva, &, versus 8. nisi quia supponit versum 7. cui opponitur? Duo enim hæc extrema, *Testimonium in Cœlo, testimonium in terra*, ad se referuntur & simul opponuntur: nulla porro foret oppositio, si versum 7. sustuleris. Quapropter versu 9. utrumque conjungit Joannes. *Si testimonium*, inquit, *hominum accipimus, testimonium Dei majus est: quoniam hoc est testimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.*

Obj. 1°. Constat versum hunc in veteribus plerisque MSS. deesse: atqui omissionis hujus nulla potest reddi ratio, nisi quod fuerit ab initio.

R. 1°. neg. maj. Constat enim è contra eundem versum in pluribus, iisque notæ melioris Codicibus reperiri, ut patet ex dictis.

R. 2°. neg. min. & dico 1°. non improbabiliter conjici versum hunc, ubi deest, omissum fuisse vitio & incuriâ Exscriptoris, qui cùm textum descripsisset usque ad hæc verba: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant*: errante oculo transivit ad versum 8. ubi eadem verba repetuntur. Is certe error manûs & oculorum non est infrequens in iis qui aliena describunt, cùm nullo fere interposito intervallo eadem verba repetuntur, ut reverâ est in versu 7. & 8. cujus lapsûs exempla proferunt Doct. Benedictini in suis ad Prologum S. Hieronymi in Epistolas Canonicas observationibus.

Dico 2°. non immerito credi, versum illum ab A-

rianis in iis, quos potuerunt, Codicibus expunctum fuisse, quia eo se maxime premi intelligerent: quod quidem fraudis vitium sæpius ipsis exprobrat S. Ambrosius, sed præsertim Lib. 3. de Spiritu S. cap. 10. ubi conqueritur Arianos locum istum, *Quoniam Deus Spiritus est*, de suis Codicibus delevisse. *Ad quid enim*, inquit, *de vestris, & non etiam de Ecclesiæ Codicibus tolleretis! Eo enim tempore quo impiè infidelitatis Auxensius Mediolanensem Ecclesiam armis exercituque occupaverat.... falsum hoc & sacrilegium vestrum in Ecclesiasticis Codicibus deprehensum est. Et fortasse hoc etiam in Oriente fecistis. Et litteras quidem potuistis abolere, sed fidem non potuistis auferre.* S. Hieronymus in Prologo ad Epistolas Canonicas, eandem querimoniam instituit adversùs Arianos occasione versûs de quo loquimur: quin & observat Socrates expunctum fuisse ab Arianis ex hac ipsa prima Epistola S. Joannis versum 2. capitis 4. Tom.2. Pag. 670.

Inst. Si versus ille fuisset in primævis Codicibus, eo indubiè adversùs Arianos usi essent Patres, qui cum iis ardentiùs conflixêre, ut Athanasius, Hilarius, Greg. Nazianz. atqui tamen de eo nè verbum quidem habuêre. Quin & eorum aliqui, ut S. Clemens Alexandrinus, S. Ambrosius, S. Augustinus L. 2. contra Maximinum c. 22. citant disertis verbis versum octavum, *Tres sunt qui testimonium dant in terra*, nullâ mentione facta versiculi 7. Accedit quod S. Hieronymus, qui in emendandis sacris Codicibus summo labore incubuit, cùm recenset primam Epistolam Sancti Joannis, versum hunc prætermittit.

R. 1°. equidem nonnullos esse ex antiquis Patribus, qui versiculum hunc datâ occasione non laudant; at sunt alii, etiam ex antiquioribus, ut constat ex dictis, qui ipsum commemorant. Nemo autem nescit vix aliquid ponderis habere argumenta negativa, cùm ex altera parte extant positiva.

R. 2°. versum hunc ab Arianorum impugnatoribus omitti potuisse, 1°. quia eo abutebantur Ariani: ex eo siquidem inferebant, Patrem & Verbum non esse quid unum inter se unitate essentiæ, sed duntaxat unitate testimonii, qualis est unitas de qua dicitur versu 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua, & hi tres unum sunt*; 2°. quia ad confutandam impietatem Arianam aliud extat in Scripturis testimonium omnino decretorium, scilicet istud, *Ego & Pater unum sumus*; non mirum ergo si pleri-

que Patres in eo textu vim potiſſimum faciant, & verſum 7. Joannis omittant; 3°. dici poteſt nonnullos ex iſtis SS. Patribus forte incidiſſe in mendoſos Codices, è quibus ab invidis fidei ſuppreſſus fuerat verſiculus de quo agitur.

Obj. 3°. Sententia, quæ genuinum docet S. Joannis verſiculum, nititur potiſſimum autoritate S. Cypriani Lib. de unitate Eccleſiæ anteà citato: atqui S. Cyprianus per allegoriam ac ſenſu accommodatitio verſum 8. de teſtibus terreſtribus, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto adaptat, more Africanorum qui hujuſcemodi allegoriis delectabantur. Prob. min. tum ex Facundo, qui L. 1. pro defenſione trium Capitul. diſerte ſcribit, Cyprianum hic ad v. 6. reſpexiſſe; tum quia S. Auguſtinus, quem totum hâc in parte deſcribit Facundus, eandem verſûs 8. interpretationem ſequitur Lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 22.

R. ad 1. neg. min. ad 2. Facundo opponimus S. Fulgentium, ætate non minùs quam autoritate Facundo longe ſuperiorem. Is in tribus Operum ſuorum locis, ſed præſertim in ſuis reſponſionibus ad objectiones Arianorum, expreſsè teſtatur verſiculum 7. à S. Cypriano laudatum fuiſſe. *In Patre ergo*, inquit, *& Filio & Spiritu ſancto unitatem ſubſtantiæ accipimus....*
Pag. *Beatus Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt*
68. *qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater* &c. *Quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ teſtatur dicens, &c.* ut ſuprà.

Confirm. quia unitas de qua S. Joannes verſu 8. non naturæ eſt, ſed teſtimonii duntaxat; atqui in textu græco non legimus, & hi tres *unum ſunt*, ſed, *in unum ſunt*; hoc eſt, in unum teſtificandum, ſeu declarandum conſpirant. An vero probabile eſt S. Cyprianum ad demonſtrandam unitatem eſſentiæ Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti, adduxiſſe unitatem duntaxat teſtimonii ſpiritûs, ſanguinis & aquæ?

Confirm. 2°. quia verba iſta verſiculi 8. *Et hi tres unum*, ſeu *in unum ſunt*, in Codicibus numero pluribus & quidem vetuſtioribus non extant: idque conſtat
T. 141. autoritate Concilii VI. Lateranenſis, cui adde; 1°. S.
Conc. Thomam qui Opuſculo 24. illud, *Et hi tres unum ſunt*,
p, 144. ubi de ſpiritu, aquâ & ſanguine agitur, *in veris exemplaribus* non haberi dicit: 2°. Doctores Lovanienſes, qui teſtantur ſe 15. Codices luſtraſſe in quibus clauſula hæc verſûs 8. *Et hi tres unum ſunt*, non legebatur. 3°. Idem de multis Codicibus fateri Lucam

Brugensem in suis correctionibus Romanis. 4°. Arianum Montanum clausulam illam non inseruisse, nec in græco nec in latino textu Bibliæ Polyglottæ Philippi II. subsumo: atqui si verba ista, *Et hi tres unum*, vel *in unum sunt*, non stabant olim in versu 8. quomodo Tertullianus, quomodo Cyprianus, alludere ad ea potuerunt, & per allegoriam ea transferre ad Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Liquet ergo deceptum fuisse Facundum, nec Cypriani mentem satis assecutum esse.

At, inquies, Aug. allegorice ea versûs 8. verba exposuit. Fatemur: sed quid inde ad Cyprianum? Quæ ista consecutio? S. August. hunc Scripturæ textum sensu allegorico exposuit; ergo & Tertullianus, & Cyprianus, & Fulgentius pariter exposuerunt. Quid absurdius?

Sed, aït rursus, aptissimus fuisset versus 7. Maximino Ariano confutando; cur ergo illum omisit S. Augustinus? Nescio. Forte, vel quia non extaret in Codice quo utebatur; vel quia de illo litigare Arianos noverat, quam facti controversiam aggredi noluit, cùm tot alia sibi præsto essent, ad veritatem demonstrandam, Scripturæ testimonia.

Obj. 4°. Esto genuinus sit versus ille, nihil ex eo concludi potest. Ex eo enim versu nihil concludi potest, qui probat unitatem non essentiæ, sed testimonii: atqui versus VII... Tres enim qui testimonium dant in cælo, non aliam habent unitatem, quàm tres qui testimonium dant in terra: atqui hi solam consensûs & testimonii unitatem habent, non essentiæ: neque enim eadem est essentia spiritûs, aquæ & sanguinis; ergo.

R. ad 1. neg. ant. Si enim *tres sunt, qui testimonium dant;* ergo non unica persona. *Si hi tres unum sunt*; ergo non multiplex, sed una substantia.

Et vero, Pater & Filius nonne duæ sunt, vel ipso non diffitente Socino, personæ? ergo & Spiritus sanctus, qui eodem pariter modo ac tenore appellatur, vera quoque est divina persona, non mera Dei virtus, efficacia, energia, ut Sociniani fabulantur. Si enim una & eadem persona foret, quæ per diffusas à se virtutes testimonium diceret, falso affirmaret Joannes tres esse qui testimonium dant in cælo; neque enim testis & virtus per quam testatur, diversum habent testimonium.

Ad 2. neg. min. ad 3. neg. maj. Namque apertum

eſt in ipſo textu ſacro diſcrimen. De Patre enim & Filio, & Spiritu ſancto dicitur, *Et hi tres unum ſunt*: de ſpiritu vero, aquâ & ſanguine v. 8. *Et hi tres in unum ſunt*, ut fert textus græcus, id eſt, in unum & idem teſtimonium conſpirant. Adde quod, ut ſuprà notatum eſt, poſtrema iſta verba, *Et hi tres in unùm ſunt*, in benè multis Codicibus manuſcriptis vetuſtioribus deſiderentur: quomodo igitur unitas, de qua verſu 7. intelligi poſſet de unitate versûs 8?

QUÆSTIO QUARTA.

De trium Perſonarum conſubſtantialitate.

IN tres articulos graviſſimam hanc Quæſtionem partiemur. In primo demonſtrabimus Patrem eſſe ſecundum ſe Deum; in ſecundo Filium divinum eſſe Patri ſuo conſubſtantialem; in tertio Spiritum ſanctum eſſe Patri & Filio conſubſtantialem.

ARTICULUS PRIMUS.

An Pater æternus ſit ſecundum ſe Deus.

ABbas Joachim damnatus in Concilio Lateranenſi IV. docuit Deum exurgere ex trium perſonarum collectione; ut populus ex plurium civium multitudine conflatur; unde naturam unam tribus perſonis communem rejiciebat, & negabat Patrem ſeorſim ſumptum Deum eſſe. Huic errori præiverant nonnulli, qui teſte S. Auguſtino hæreſi 7. divinitatem ſpectabant ut totum quoddam ex variis partibus conſtans, quarum una eſſe Pater, alia Filius, alia Spiritus S. Juxta illos Pater non erat Deus, uti nec Filius, nec Spiritus S. Sit

Conclusio. Pater ſecundùm ſe eſt Deus.

Prob. 1°. ex Scripturis. Joan. 17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* I. Cor. 5. *Gratia vobis & pax à Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto.*

Prob. 2°. ex Concilio Lateranenſi IV. ſub Innoc. III. ubi can. 2. definitur, quod *una quædam ſumma res eſt* (nempe divinitas) *quæ veraciter eſt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Ibi Concilium intendit excludere errorem Abbatis Joachim, qui contendebat

tres personas solâ collectione unum Deum esse; ergo Pater est Deus, non solùm ut cum Filio, & Spiritu sancto; sed ut secundùm se ac veluti seorsim accipitur.

Prob. 3°. Si Pater secundùm se non est Deus, ergo naturam habet finitam: atqui hoc non potest dici. Si enim quælibet persona SS. Trinitatis finita esset, ex tribus simul junctis nusquam coalesceret Deus; infinitum siquidem exurgere non potest è tribus secundum se finitis.

Obj. Si tres sunt in Deo personæ quarum quælibet Deus est secundùm se & non secundùm collectionem, quaternitas erit in Deo & non trinitas: atqui non est quaternitas in Deo; ergo.

R. quaternitatem eo ipso tolli in Deo, quod tres personæ sint una & summa res, putà essentia, in qua conveniunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Filius divinus sit Deo Patri consubstantialis.

CUm divinitas Christi præcipuum sit Religionis Christianæ fundamentum, quo everso, totam funditùs illam subverti necesse foret, exigit officii nostri ratio, ut paulo diutius in hoc versando argumento immoremur.

Not. duos potissimùm distingui posse Hæreticorum ordines, qui Christi divinitatem evertere conati sunt. Primus est Arianorum, qui etsi Christum Deum esse negarent, ipsum tamen Dei Verbum esse fatebantur, per quod ante omnia creatum, omnia deinceps facta sunt. Secundus, isque pejor, est Socinianorum, qui post Corinthianos, Ebionitas, & alios id genus, docent; 1°. Christum non extitisse priusquam ex B. Virgine nasceretur, nisi in mente Dei per ideam, atque prædestinationem; 2°. & proinde eum non esse verum naturâ & substantiâ Deum, sed tantum per gratiam, autoritatem & adoptionem. Ut tamen simplicioribus illudant, Christum frequenter Deum appellare non dedignantur. Ita Socinus in responsione ad quatuor priora capita Wieki. *Apertè, inquit, falsissimum est, nos palam affirmare Christum non esse verum Deum; imo contrarium publicè profitemur, & in nostris tam Latinâ quàm Polonicâ linguâ non paucis editis Scriptis, Christum verum esse Deum asserimus.* Et Smalcius in resp. ad 2. partem refutationis Smi-

glecii cap. 3. *Christus*, ait, *Deus noster & Deus verus summo jure appellandus est*: *& reipsâ est.* Sed cavete, dolus est: eodem enim sensu Christum Deum appellant, quo Moyses dictus fuit Pharaonis Deus; & Judices seu Viri in autoritate constituti, aliquando in Scripturis dii appellantur, improprio scilicet ac metaphorico sensu. Utrumque errorem ex Scriptura & Traditione revincemus. Sit itaque

Conclusio I. Vera Christi divinitas ex Scripturis invictè demonstratur.

Prob. 1°. ex nominibus Dei, hunc in modum: Ille verè Deus est, cui nomina Dei solius propria tribuuntur: atqui Christo tribuuntur... Nullum enim est augustius nomen, Deique magis proprium, ac minùs cuilibet alteri communicabile, quàm istud, *Jehovah*, quod Deus sibimetipsi vindicat Isaïæ 14. v. 8. *Ego Dominus*; in Hebræo, *Ego Jehovah*, *hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Unde Wolchelius ipse L. 1. de vera Religione cap. 11. nomen *Jehovah* absolutè sumptum nulli creaturæ quà tali competere fatetur: atqui tamen singulare illud nomen Christo proprie, absolute, ac sine addito convenit. Prob. min. ex cap. 21. Jeremiæ, ubi sic: *Ecce dies veniunt*, *dicit Dominus*, *& suscitabo David germen justum; & regnabit Rex*, *& sapiens erit*, *& faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda*, *& Israël habitabit confidenter*, *& hoc est nomen quod vocabunt eum*, *Dominus justus noster.* In hebræo legitur, *Et hoc est nomen quo vocabit eum*, *Jehovah justitia nostra.* Porrò egregium istud testimonium de Messia intelligi debere non diffitentur Judæi veteres, sicut erudite ostendit Ill. Huetius in demonstratione Evangelicâ, propositione 7. n. 16.

Pag. 371. *Col.* 2.

Confirmatur istud argumentum, quia & 70. Interpretes, & Apostoli & Evangelistæ nomen hebraicum, *Jehovah*, reddunt per Κυϱιον, *Dominum*, ac Christo adaptant, qui centies *Dominus* appellatur antonomastice seu per excellentiam.

Alterum est Dei nomen in Codicibus sacris maxime pervulgatum, nempe *El*: atqui hoc nomine insignitur Christus Isaiæ 9. En Prophetæ verba: *Parvulus natus est nobis*, *& filius datus est nobis*, *& factus est principatus super humerum ejus*, *& vocabitur nomen ejus Admirabilis*, *Consiliarius*, *Deus*, El, *Fortis*, *Pater futuri seculi*, *Princeps pacis.* Porrò verba hæc

vel ipsimet veteres Judæi ac etiam Sociniani de Messia Christo dicta fuisse profitentur.

Nec nocet, ut volunt Sociniani, sed insigniter prodest attributum, Fortis; cùm per illud in Scripturis Deus summus depingi soleat. Deuter. 10. & Nehemiæ 9. dicitur *Deus magnus, fortis & terribilis.* Psalm 23. *Quis est ipse Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Quibus in locis prædicatum *fortis* cum nomine *Jehovah* jungitur, quo nedum imminuitur, sed augetur magis nominis Dei significatio.

Tertium summi Dei nomen, est ipsa vox: Deus, simpliciter & in singulari: atqui vox illa disertè Christo tribuitur à Joanne Evangelistâ. Hæc ille: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, &c.* *Joan.* 1.
Hic sane Verbum quod caro factum est, Christus est Salvator: porrò Verbum illud caro factum simpliciter & sine addito Deus appellatur, *& Deus erat Verbum.*

Reponunt Sociniani, 1°. hic Dei nomine non summum & unicum naturâ Deum designari, sed Deum inferiorem probant, ex eo quod ubicumque nomen Dei usurpatur ad designandum eum, qui naturâ summus Deus est, semper in græco textu apponitur articulus emphaticus ὁ Θεός. Porrò desideratur articulus ille in loco citato, simpliciter enim ac nude legitur, *& Deus erat Verbum,* non autem, *& ille Deus erat Verbum.*

Refelluntur, 1°. quia articulus ille sæpiùs in hoc ipso cap. 1. S. Joannis omittitur, etsi de Deo summo sermo sit: sic v. 6. ubi dicitur: *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes;* in græco nullus præfigitur articulus nomini *Deo.* Idem legere est versibus 12. 13. & 18. & alibi pluries; ut Matth. 14. v. 33. Rom. I. v. 7. &c. 2°. quia (& id omnem Socinianorum machinam subvertit) nomen Dei idolo applicatur cum præfixo articulo, Act. 7. v. 43. II. Corinth. 4. v. 4. Galat. 4. v. 8. 3°. demum ut nihil veritati desit, Christus etiam cum præfixo articulo Deus appellatur Rom. 9. v. 5. *Ex quibus est Christus secundùm carnem; qui est super omnia Deus benedictus*, prout observat S. Chrysostom. Hom. 3. in Joan.

Respondent 2°. Dei nomen non naturæ esse, sed dignitatis, unde multis datur qui dii non sunt. Sic de judicibus dicitur Psal. 81. v. 6. *Ego dixi, Dii estis:* quem locum laudat Christus Joan. 10. v. 34. Et Apostolus I. Cor. 8. v. 5. fatetur multos esse *qui dicuntur*

dii, *five in Cœlo*, *five in terra*. Imo Exodi 7. Moyfes vocatur Pharaonis deus, *Ecce conftitui te deum Pharaonis*.

Refellitur hæc refponfio. Negamus abfolutè Dei nomen appellativum effe, ac multis poffe convenire propriè, abfolute ac in fingulari, quod ità verum eft, ut Herodes ab Angelo percuffus fuerit, quod acclamante populo, *Vox Dei & non hominis*, *Deo gloriam non dediffet*, Act. 12. 22.

Ad exempla vero quæ Sociniani objiciunt,

Not. 1°. Angelos & homines Deos interdum appellari in veteri duntaxat Lege, nufquam in nova. Chriftus enim Joan. 10. non ex fe, fed ex Pfalmo 81. dictum à Davide refert, *Ego dixi*, *Dii eftis*. Apoftolus pariter I. Cor. 8. non ex fua, fed ex Paganorum fententiâ, quam evertit, ait *multos effe qui dicuntur dii*; *nobis autem*, fubjungit ftatim, *unus eft Deus*.

Not. 2°. nomen Dei nufquam, ne in veteri quidem Teftamento, Angelis vel hominibus datum fuiffe numero fingulari, aut abfolutè & fimpliciter; fed cum reftrictione. Equidem, & id cautè velim obfervari, Angelus qui loquebatur feu cum Abraham Genef. 18. v. 13. feu cum Moyfe Exod. 20. v. 23. & alibi pluries, Jehovam fe nominat: at non erat ille merus ac fimplex Angelus, fed Verbum ipfum, feu Filius Dei, qui velut Incarnationi fuæ præludens, in Angelo humanâ ut plurimùm formâ induto loquebatur. Ità & unanimiter fensêre primævi Patres, Irenæus L. 4. contra Hæref. c. 11. Tertullianus L. contra Judæos, & alii ut Juftinus, Clemens Alexandrin. Origenes, Cyprianus, Athanafius, Hilarius, Ambrofius; à quibus qui cum Auguftino recedunt, præcipuam divinitatis Filii probationem convellunt; nec fatis cogitant id effe verum quod prius traditum.

Quod fpectat Judices, ii femel tantum dii vocantur Pfalm. 81. at nufquam numero fingulari; neque etiam illimitatè, ac fimpliciter, fed appofitâ claufulâ quæ fignificationem nominis Dei multum temperat: *Ego dixi*, *Dii eftis*, *& filii Excelfi omnes*: *vos autem*, addit ftatim v. 7. *ficut homines moriemini*, *& ficut unus de Principibus cadetis*. Moyfes fimiliter non dicitur abfolutè & illimitatè Deus, fed cum addito *Deus Pharaonis*; propter mira fcilicet prodigia, quæ coram ipfo patravit.

Ex his invictè demonftratur Chriftum, qui Deus dicitur, verè naturâ Deum effe, tùm quia fingulari

numero, tùm quia simpliciter & absolutè sine ulla limitatione Deus appellatur.

Prob. 2°. ex natura Dei quæ Christo tribuitur in Scripturis. Et 1°. sic habet Isaias c. 6. v. 1. Vidi *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum & ea quæ sub ipso erant replebant Templum. Seraphim stabant super illud... & clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus* (Jehovah) *exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* Unde sic: Ille cujus gloriam vidit Isaias est Deus summus, ut patet ex sola textûs lectione: atqui ille cujus gloriam vidit Isaias, est Christus Dominus. Minor expressè traditur à S. Joan. c. 12. *Hæc dixit Isaias,* inquit S. Evangelista, *quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo,* nempe Christo.

2°. Joan. 10. 30. hæc loquitur Christus: *Ego & pater unum sumus,* & v. 38. *Pater in me est, & ego in patre:* atqui verba hæc naturali & obvio sensu intellecta plenam in Patre & Filio naturæ identitatem demonstrant.

Et vero Christum sibi hanc naturæ identitatem assumere senserunt Judæi, & adeo senserunt, ut hunc propterea tanquam blasphemum necare voluerint: *Propterea,* inquit S. Joannes, c. 5. v. 18. *magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo:* atqui hanc Judæorum mentem tantùm abest ut Christus corrigat, quin confirmat magis variis argumentis, tum ab æqualitate vitæ seu essentiæ viventis, v. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso:* tum ab æqualitate operationis, v. 19. *Quæcumque fecerit,* (Pater) *hæc & Filius similiter facit:* tum ab æqualitate honoris soli Deo debiti, v. 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ergo Filius perfectâ gaudet cum Patre naturæ æqualitate seu consubstantialitate.

3°. Idem decretorie conficiunt verba hæc Apostoli ad Philipp. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset,* (Christus) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinavit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Unde sic; 1°. Ille verè Deus est, qui est *in forma,* hoc est in natura Dei, quique non arbitratur rapinam esse, id est, rem à se

alienam, quod ſit Deo æqualis: atqui, ipſo pronuntiante Apoſtolo, talis eſt Chriſtus; ergo Chriſtus verus Deus eſt naturâ atque ſubſtantiâ.

2°. Qui cùm eſſet in forma Dei ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, ſic prius fuit in forma Dei, quam in forma ſervi: atqui cùm Chriſtus eſſet in forma Dei, ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens; ergo prius fuit in forma Dei, quàm in forma ſervi.

Prob. 3°. ex divinis proprietatibus, quæ Chriſto competunt. Sic ergo arguimus: Ubi ſunt attributa Dei, hic Dei naturam eſſe oportet: atqui Chriſto inſunt attributa Dei.

Æternitas. Apocal. 1. *Ego ſum alpha & omega, principium & finis, qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Cui concinit id Hebr. 13. *Jeſus Chriſtus heri, hodie & ipſe in ſecula.* Omnipotentia. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ.* Et Coloſſ. 1. *Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt.* Omniſcientia. Joan. 12. *Domine, tu omnia noſti.* Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Immutabilitas. Heb. 1. *Opera manuum tuarum ſunt Cœli: ipſi peribunt... tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Virtus paternæ in operando virtuti æqualis. Joan. 5. *Quæcumque ille*, Pater, *fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit*, tum in ordine naturæ, Coloſſ. 1. *In ipſo condita ſunt univerſa in Cœlis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt;* tum in ordine gratiæ: I. Timoth. 2. *Unus mediator Dei & hominum Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Prob. 4°. ex cultu qui ſoli Deo debetur, & tamen Chriſto exhiberi debet. Unde ſic in forma: Id præcipuè commendat Scriptura, ut Deus ſolus adoretur: Deuter. 6. & Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies:* ſed cuilibet cultus etiam latriæ, externus & internus, Chriſto Domino noſtro debitus eſt; Joan. 5. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium* SICUT *honorificant Patrem;* ergo.

2°. Ut in Deum credimus, ſic oportet credere in Chriſtum. Joan. 14. *Creditis in Deum, & in me credite.*

3°. In Chriſto pariter fiduciam omnem collocare debemus. I. ad Timoth. 1. *Paulus Apoſtolus.... Chriſti Jeſu ſpei noſtræ.* Porrò Jeremiæ 17. v. 5. dicitur, *Maledictus homo qui confidit in homine*, &c.

Obj. 1°. cum Crellio, Socinianorum ariete: Solus Pater per exclusionem Filii & Spiritûs sancti Deus in Scripturis dicitur. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna,* inquit Christus, *ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Ibi de Patre dicitur quod solus sit verus Deus: ergo. Ea quippe est, ait Crellius, vis exclusivæ, *solus*, ut omnes alios excludat à communione prædicati, præter eum cui apponitur: is vero cui apponitur: vox, *solus*, est Pater Jesu Christi; unde vox *solus*, excludit à communione hujus prædicati omnes præter Patrem, ac consequenter Filium & Spiritum sanctum.

R. 1°. exclusivam, *solum*, connecti debere, non cum antecedente pronomine, *te*, quo Pater designatur; sed cum sequente adjectivo nomine, *verum Deum*, ità ut sensus sit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum, qui solus es verus Deus.* Favet textus græcus; ubi inter vocem, *solum*, & *verum Deum*, articulus *illum* interponitur hoc modo, *te illum solum verum Deum*: atqui articuli hujus interposita exclusiva, *solus*, disjungitur à pronomine, *te*, & jungitur cum nomine substantivo, *verum Deum*; neque enim temere ac casu articulum hunc interposuit autor sacer. Hoc autem supposito funditùs ruit Crellii objectio; ex eo enim quod Pater sit ille Deus, qui solus est verus Deus, non statim consequens est, ut Filius non sit verus Deus: aliud enim est Patrem solum esse divinitate præditum, aliud esse præditum eâ divinitate, quæ sola vera est divinitas.

R. 2°. dato & non concesso particulam exclusivam, *solum*, Patrem ipsum afficere, non tamen inde meritò inferri, Filium & Spiritum S. excludi à communione prædicati veri Dei; excluduntur enim duntaxat personæ alienæ, id est, falsi Gentilium dii, non illæ quæ Deo internæ sunt. Quod autem exclusivæ particulæ vis ea non sit, ut omnes etiam coæquales personas excludat, multis demonstrari potest Scripturæ testimoniis. Lucæ 9. v. 35. vox facta est de nube dicens: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite: & dum fieret vox, inventus est Jesus solus:* atqui tamen aderant Petrus, Joannes & Jacobus; ergo solus dicitur remansisse Christus, quia jam non apparuêre Moyses & Elias. Joan. 16. v. 32. cùm dixisset Christus discipulis suis: *Me solum reliquistis*, statim subjungit, *& non sum solus, quia Pater mecum est.* Quemadmodum igi-

tur Filius dicitur relictus, solus, & non solus, solus respectu discipulorum, non solus respectu Patris; ità Pater dicitur verus Deus solus & non solus; solus idolorum respectu, non solus respectu Filii & Spiritûs sancti. Et Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.* An idcirco Pater & Filius à suâ ipsorum cognitione excluduntur? Exclusiva igitur, *solus*, Patri adjuncta personas duntaxat à Patre sejunctas excludit, falsos scilicet deos, non eas quæ cum ipso unius & ejusdem sunt naturæ: quo sensu Deuterom. 32. dicitur *Dominus solus dux ejus fuit, & non erat cum eo deus alienus.*

Obj. 2°. id 1. Cor. 8. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in Cœlo, sive in terra, (siquidem sunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum:* atqui hic Paulus explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit esse Patrem, non Patrem & Filium, & Spiritum S.

R. Patrem hic unum Deum appellari, per exclusionem falsorum deorum, quos eo loci vero & summo Deo Apostolus opponit, ut ex ipsa textûs lectione manifestum est. Et vero cùm Paulus Patrem appellat *solum verum Deum*, non magis excludere voluit à consortio divinitatis Filium & Spiritum S. quàm, cùm ibidem Christum appellat *unum Dominum*, voluit excludere Patrem. At non dicet Crellius Apostoli mentem fuisse excludere Patrem tanquam Dominum, cùm dixit Christum esse *unum Dominum.*

Obj. 3°. ea Scripturæ testimonia quæ Christo ea denegare videntur, quæ vero Deo denegari non possunt: sic 1°. Christus ignorat diem Judicii. Marci 13. *De die illo vel horâ nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.* 2°. solus Pater bonus dicitur, excluso Filio. Marci 10. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus.* 3°. Christus plenam non habet in res omnes potestatem. Matth. 20. *Sedere ad dexteram & sinistram non est meum dare.*

R. ad 1. Nego ignotam fuisse Christo Judicii diem. Ecqui vero diem hanc potuit ignorare, qui constitutus à Deo est Judex vivorum & mortuorum: qui omnes illius diei circumstantias novit; horam, Lucæ 17. locum, Matth. 24. signa & causas, Lucæ 21. Ad hæc attendens S. Ambrosius Lib. 5. de fide, n. 104. *Quo-*

modo inquiebat, *nescivit Judicii diem, qui horam Judicii, & locum, & signa expressit & causas?* Unde dico cum S. Augustino Lib. 83. qq. q. 60. Christum diem Judicii hoc sensu ignorare, quia ignorantes nos facit, seu non aperit nobis: in phrasi quippe Scripturæ, Deus rem aliquam cognoscere primùm dicitur, quando eam aliis manifestam facit. V. gr. Genes. 22. v. 12. ad Abraham dicit: *Nunc cognovi quod timeas Deum.* An ignorabat antea? non certe: sed fidem illam aperto & publico experimento nondùm comprobaverat. p. 581. T. 6. p. 33.

At, inquies, hoc sensu non tantùm Filius, sed & Pater Judicii diem ignorare dici potest, quia eum non manifestat. Non ità est: quia Pater per semetipsum immediatè non loquitur nobis, nec quidquam manifestat, sed per Filium suum. *Multifariam, multisque modis*, ait Apost. Heb. 1. *olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio;* ergo non Pater, sed Filius ignorare id dici potest, quod non aperit. Diem autem Judicii sapienter omnino nos ignorare vult: *Expectatio quippe perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes,* ait S. Basilius, L. 4. contra Eunomium. T. 2. p. 290.

Ad 2. Tacitè eo loci Christus adolescentem carpit ac informat, qui cùm existimaret Christum esse purum hominem, eum tamen appellabat bonum, quasi diceret: Me Deum non putas, & tamen bonum dicis; solus enim Deus per excellentiam bonus est; ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse crede. Ità S. Augustinus L. 3. contra Maximin. c. 23.

Ad 3. Ait Christus ipse Matth. 28. *omnis potestas data est mihi in Cœlo & in terra*: sed quia supernas sedes postulabant filii Zebedæi à Christo tanquam ab homine sibi affinitate sanguinis conjuncto, & affectu quodam carnali, merito & sancte respondet, suum non esse, illas eo modo quo cogitabant distribuere; simulque tacitè admonet, priùs bibendum ipsis tribulationum calicem, quàm sedes illas assequantur.

Obj. 4°. Multa in Scripturis de Christo dicuntur, quæ de vero & summo Deo affirmari non possunt. 1°. enim Christus creatus dicitur Proverb. 8. *Dominus creavit me in initio viarum suarum.* Joan. 1. Joannes ait: *Qui post me venturus est, ante me factus est.* Denique Coloss. 1. *primogenitus* dicitur *omnis creaturæ.* 2°. Christus Deo Patre minor est, ejusque mandata observare tenetur. Joan. 14. v. 28. *Vado ad patrem,*

quia pater major me est. I. Cor. 15. v. 28. *Cùm autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse subjectus erit ei*. 3°. denique Christus Dei Filius dicitur, hominum Mediator, Sacerdos, homo, filius hominis: quæ de Deo uno & summo nullatenùs dici possunt.

R. ad 1. dist. Christus factus & creatus dicitur, secundùm naturam humanam; C. secundùm naturam divinam, subdist. factus & creatus, id est, genitus, C. id est, è nihilo eductus, N. Cùm in Christo duplex sit natura, simul creatus & increatus, factus & non factus dici potest: factus & creatus quatenus homo; nec factus, nec creatus, sed solummodo genitus, quatenus naturâ divinâ præditus. Nec aliud sibi volunt objecta testimonia.

Non 1. siquidem Prov. 8. & Eccli. 14. verbum *creare*, impropriè sumitur, & idem est quod generare. Apud Græcos enim *creare* & *gignere* promiscuè sumitur, ut constat ex Psal. 89. v. 2. & Deuteron. 32. v. 18. ubi apud Septuaginta idem verbum græcum usurpatur ad generationem perinde ac creationem significandam. Quin etiam & apud Latinos non raro *creare* ac *generare* promiscuè ad idem significandum sumitur, ut observant S. Hieronymus in c. 4. Epist. ad Ephes. & S. Augustinus Lib. de Fide & Symbolo.

Non 2. Christus ante Joannem *factus* dicitur, id est, ipsi Joanni præpositus; cujus quidem prælationis ratio statim ibid. redditur, *quia prior me erat*; id est, quia æternitate prior, idcirco & dignitate me præstantior, *cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, ait ibid. v. 27. S. Joannes. Ità S. Ambrosius L. 3. de Fide.

Non 3. Neque enim Christus primogenitus appellatur omnis creaturæ, ratione creationis & ordinis, quasi ipse creatura foret; sed ratione dignitatis & causalitatis, quia reipsâ ante omnes creaturas ab æterno conditus fuit, quarum ipse causa est atque principium. Hanc esse mentem Apostoli demonstrant verba hæc, v. 6. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra.*

Ad 2. objectionis caput, R. Patrem Filio majorem esse ratione humanitatis, non vero divinæ essentiæ; *Ego* enim *& pater unum sumus*, ait ipse Christus. Solutio manifesta fit ex scopo Christi. Hic nempe Discipulos ob proximum suum è terris discessum tristes consolatur, isto potissimum motivo, quod rediturus esset ad Patrem, & in gloriam ipsius recipiendus,

unde gaudere magis, quam triftari deberent. Eâ ipsâ ratione Patrem se majorem dicit, quâ erat ad ipsum rediturus, ratione scilicet assumptæ humanitatis, non autem divinæ naturæ, quam semper unam numero cum Patre retinuit: *Pater in me est, & ego in patre.*

Hoc ipso sensu, ratione scilicet humanitatis assumptæ, Christus Patri subditus est, ejusque præcepta exequitur: sic autem ea exequitur, ut significet liberum sibi esse, si vellet ea non observare, quæ nonnisi volens acceptavit. *Nemo tollit animam meam à me,* inquit Joan. 10. *sed ego pono eam à me ipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo.* Apertè duplex in Christo natura hic distinguitur; quæ distinctio præ oculis haberi semper debet, ut ea diluantur quæ in speciem divinæ Christi naturæ adversari videntur. *Pia mens*, aït S. Ambrosius L. 5. de Fide, c. 8. *quæ leguntur, secundum carnem divinitatemque distinguit: sacrilega confundit & ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum.* T. 2. p. 171.

Ad 3. solutio patet ex dictis. Rectè Christus Filius Dei dicitur, *ex utero ante luciferum genitus*: generatio quippe in personam cadit, non in naturam. Cùm ergo una sit in Christo persona, rectè Christus Dei Filius dicitur; propter humanam autem naturam, dicitur Sacerdos, Mediator, filius hominis, nec in his ulla occurrit contradictio, vel imperfectio.

Obj. 5°. Christus alloquens Judæos. Joan. 10. innuit se non aliâ ratione dici *Filium Dei*, quàm Judices & Prophetæ olim dicti sunt *dii*: *Respondit eis Jesus*, ait S. Evangelista, v. 34. *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est.... quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.* Unde sic: Qui probat, se sibi Dei nomen tribuere potuisse, quia ii ad quos sermo Dei factus est, *dii* vocati sunt, non aliâ ratione se dicebat *Filium Dei*, quàm Judices & Prophetæ dicti sunt dii: atqui hi non propriè & ex natura, sed metaphoricè tantùm *dii* appellati sunt.

R. neg. maj. Hic enim probat Christus, non quidem à pari, ut Socinianis placet, sed à minori ad majus, non immerito se *Filium Dei*, dicere potuisse; unde is est verborum Christi sensus: Si Judices & Prophetæ in Libris vestris dii appellantur, quanto magis possum

dici Deus, cùm à Patre fuerim sanctificatus eximiâ ac substantiali sanctitate, atque ab eodem missus ad vitam æternam hominibus largiendam? Hâc autem positâ expositione funditùs ruit Socinianorum objectio.

Quin ex hoc loco firmari validè potest Christi divinitas. Nam. 1°. ibid. v. 28. Christus asserit se vitam æternam dare ovibus suis: porro id soli Deo competit; 2°. v. 3. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*: atque ex eâ unitate infert se eâdem potestate præditum esse cum Patre. Porro si eadem est potestas Patris & Filii, una est utriusque natura: potestas quippe Dei ab ejus essentiâ non differt; 3°. verba hæc adeo diserte essentiæ & potestatis unitatem adstruebant, ut cùm ea audierunt Judæi, Christum lapidibus obruere voluerint: *Non lapidamus te*, inquiebant v. 33. *de bono opere; sed de blasphemia, quia tu cum homo sis, facis te ipsum Deum*; 4°. hanc Judæorum opinionem non emendat Christus, imò confirmat magis variis argumentis, maximè verò ex operibus suis, v. 37. *Si non facio opera patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Porrò Christus pro eâ quâ erat æquitate, Judæorum opinionem tanquam falsam emendasset, si reipsâ unus non esset naturâ cum Patre Deus, quomodo non sine gravi scandalo intelligebant Judæi.

Conclusio II. Constans ac perpetua ab Apostolis & à SS. Patribus usque ad Concilium Nicænum defluxit Traditio de Verbi divinitate, ac ipsius cum Patre æterno consubstantialitate.

Obiit anno 108. Imperii Trajani 10. *Edit. Col. p.* 857.

Prob. 1. ex Partibus Græcis. S. Ignatius vir Apostolicus & Martyr, in Antiochena Sede S. Petri successor Christi divinitatem sæpiùs adstruit. Epist. ad Ephesios: *Nihil latet*, inquit, *Dominum, sed & arcana nostra prope ipsum sunt. Omnia igitur faciamus, sicut ipso in nobis habitante, ut illius simus templa, & ipse sit in nobis Deus noster.* In eadem Epistolâ sic Christum describit: *Unus medicus est, carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo; primo passibilis, & tunc impassibilis*, quem Ignatii locum citat

T. 4. *p.* 34. Theodoretus Dialogo 1. & S. Athanasius Lib. de Synodis. Denique Epist. ad Magnesios Verbi divini æternam generationem expressè docet: *Deus unus est*, in-

T. 1. *p.* 761. quit, *qui manifestavit seipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum non à silentio progrediens.*

S. Polycarpus Ignatii diſcipulus & Epiſcopus Smyrnenſis, & cum illo tota Smyrnenſis Eccleſia, in ea celebri Epiſtolâ quam de martyrio S. Polycarpi ſcripſit ad Eccleſias Ponti, apud Euſeb. L. 4. Hiſt. cap. 15. communis fidei circa myſterium SS. Trinitatis & Filii divinitatem teſtis eſt egregius. Sic enim paulo ante mortem inducitur Deum rogans Polycarpus: *Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti... te benedico, te glorifico per ſempiternum pontificem Jeſum Chriſtum unigenitum Filium tuum, per quem tibi unà cum ipſo in Spiritu ſancto gloria nunc & in ſecula ſeculorum*: atqui hic habemus, 1°. tres divinas perſonas eâdem gloriâ honorandas, adeòque inter ſe plane coæquales; 2°. Jeſum Chriſtum eſſe Filium Dei unigenitum, ac ſempiternum Pontificem, adeòque vere Deum, ab æterno ex ſubſtantiâ Patris genitum; ergo.

Ob. an. 167. — Pag. 136.

S. Juſtinus Philoſophus & Martyr, Verbi divini generationem diſerte exprimit Apologiâ 1. his verbis: *porrò Filius ejus, qui ſolus propriè dicitur Filius, Verbum ſimul cum illo ante creaturas & exiſtens, & naſcens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit.* Vides ibi Dei Filium, Verbum primitùs ante creaturas omnes genitum, & proprie Filium eſſe ac dici.

Ob. an. 162. — Pag. 44.

Obj. Qui docet Patrem eſſe cauſam Filii, Filium in ſecundo loco haberi à Chriſtianis, demum Patrem non poſſe videri, quia cæleſtia relinquere non poteſt, Filium vero viſum fuiſſe à Patriarchis, ille Filii divinitatem convellit: atqui hæc omnia docet S. Juſtinus.

R. neg. maj. intellectam, ut debet, ſenſu S. Juſtini. Unde

Ad 1. Pater dicitur Filii cauſa, non creatione, ſed generatione; non prioritate naturæ aut temporis, ſed originis. Idem eſt apud Veteres, Patrem Filii eſſe cauſam, ac eſſe principium; ut hinc conſtat, quod vox *cauſa* uſurpetur ab ipſis etiam Poſtnicœnis Patribus, queis certe perſuaſum fuit Filium vere ac proprie eſſe Deum, ut à S. Baſilio Lib. 1. contra Eunomium, S. Gregorio Naz. Orat. 29. S. Joanne Damaſ. L. 3. orthodoxæ fidei c. 5.

Ad 2. Juſtinus Filio ſecundas partes à Deo adſcribit, ratione originis, quia Filius totam à Patre eſſentiam habet; non ratione dignitatis & naturæ divinæ. Dici etiam poteſt Filium Deo eſſe *ſecundum*; ratione humanitatis quam aſſumpſit, juxta quam Chriſtus ipſe dixit, *Pater major me eſt.*

Ad 3. Veterum hæc fuit opinio, Patrem invisibilem esse, Filium vero à multis visum fuisse in veteri Testamento, non quidem hoc sensu, quod Filius habeat naturam divinam, quæ ex se tam est invisibilis quàm natura Patris (sæpius enim affirmat S. Justinus, eum qui visus est ab antiquis, Deum esse Israëlis) sed quod Filius solus prout destinatus ad humani generis reparationem, formam visibilem olim assumpserit, in qua jam tum cum hominibus conversari incipiebat. Unde Tryphonem Judæum & Patripassianos, qui personas divinas confundebant, sic impugnat S. Martyr: Invisibilis distinguitur ab eo qui visibilis est: atqui Pater in Scripturis describitur ut invisibilis, Filius vero perhibetur visus in terris & cum hominibus conversatus; ergo Pater persona est distincta à Filio.

Ob.an. 205. S. Irenæus Lugdunensis Episcopus & Martyr, S. Polycarpi discipulus, passim ejusdem doctrinæ testis est ac vindex. Is L. 3. adversùs hæref. c. 6. docet Filium Dei tam esse verum Deum, quàm Patrem, hancque fuisse Christi, Spiritûs sancti, & Apostolorum doctri-

pag. 181. n. 1. nam. *Neque igitur*, inquit, *Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli, eum, qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominassent aliquando, nisi esset verè Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus.* Citat ibid. illud Psalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo.* tum Psalm. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus.* Adde quod si S. Irenæus Christum naturâ & deïtate inferiorem existimasset, ut contendunt Sociniani, quomodo reprimere usquam potuisset (quod tamen strenue præstat) Gnosticos, qui plures Deos sibi subordinatos admittebant?

Obj S. Irenæus nonnulla ibidem affirmat, quæ cum

Edit. Colon. 1596. p. 250. Verbi consubstantialitate stare non possunt: 1°. Lib. 3. c. 8. ait: *Quoniam ipse præcepit & creata sunt.... Cui ergo præcepit? Verbo scilicet:* quod certe dependentiam arguit: unde L. 4. c. 17. Filium & Spiritum sanctum vocat Dei ministros; 2°. L. 2. c. 49. scribit *Pa-*

Ib. p. 334. *trem super omnia esse, & Filio majorem.*

Ib. p. 207. R. ad 1. Pater Filio imperat, non tanquam inferiori, sed tanquam æquali, & sine quo nihil facere potest. Is autem datâ operâ contra Gnosticos probat S. Doctor, quod docerent illi, hunc mundum ab inferioribus potestatibus conditum fuisse contra voluntatem supremi Dei. Unde Filius & Spiritus sanctus ministri dicuntur Dei, non quidem extranei & à Deo sejunctis,

sed intranei & conjuncti; non ex indigentia ex parte
Patris, aut dependentiâ ex parte Filii, sed ex perfecta
eorum æqualitate & necessariâ actionis indivisione.

Ad 2. Pater est super omnia, & major Filio, ratione
humanitatis, non ratione divinitatis, nisi forte propter
originis prioritatem, quæ majorem in Patre perfectionem
non involvit.

Origenes Clementis Alexandrini discipulus, ejusdem Ob. an.
cum eo circa mysterium SS. Trinitatis fidei assertor 254.
fuit. Sic ille in Opere contra Celsum, quod malevolorum
corruptelæ minùs obnoxium fuit. L. 1. ubi de *Part.* 2.
Magis loquitur, Christum vocat Deum, cui eo nomine *p.* 427.
thus ipsi obtulerunt.

Lib. 3°. objicienti Celso, quod Christiani Jesum
mortali corpore constantem, credant esse Deum, respondet
Origenes: *Sciant isti criminatores, hunc Je-* *Ibid.*
sum quem jam olim Deum Deique Filium esse credimus, *p.* 432.
ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam;
ubi fatetur & confirmat, id quod objiciebat Celsus.

Lib. 8. objicienti Celso, immerito Ethnicos à Christianis
accusari quod plures deos colerent, cùm & ipsi
Christum pro Deo haberent à Patre distinctum; reponit
Origenes, non pluribus diis servire Christianos, *Ibid.*
licet Patri & Filio servirent, cùm unus & idem Pater *p.* 520.
& Filius essent: *Unum igitur Deum*, inquit, *Patrem*
& Filium colimus. Ex his Scripuræ locis, *Ego & Pa-* *Ibid.*
ter unum sumus; Pater in me est, & ego in Patre, unum
esse Deum Patrem & Filium demonstrat. Refellit ibidem
alium errorem, Christum scilicet non extitisse
priusquam ex B. Virgine nasceretur, & contrarium evincit
ex illo Joan. 8. *Antequam Abraham fieret ego sum.*

Obj. Origenes ibid. Lib. 6. Filium vocat *immediatum* *Ibidem*
mundi opificem, cui Pater *opifex primarius* jussit mun- *p.* 502.
dum creare; ergo Filius duntaxat Patris instrumentum,
eique subditum.

Idem Lib. 8. ait nonnullos esse qui Christum esse il- *Ibidem*
lum *universorum Deum temerè affirmant; quod nos*, in- *p.* 511.
quit, *certè non facimus, qui credimus ipsi dicenti, Pa-*
ter major me est; merito igitur SS. Hieronymo & Epiphanio
ad minus suspecta fuit Origenis fides de Trinitate.

R. ad 1. Jam suprà exponendo mentem S. Irenæi,
diximus quo sensu Filius sit Patris minister & instrumentum;
quomodo Pater Filio imperet. Consule, ne
sæpius eadem repetere cogamur.

Ad 2. ibi redarguit Origenes Noëtianos, qui Filium

cum Patre unam esse personam affirmabant. Cùm igitur ait Filium non esse illum summum Deum, Patris personam intelligit ad mentem Hæreticorum quos impugnat, non Patris essentiam: cùm vero Filium Patre minorem dicit, exponendus est ratione vel humanitatis, vel divinitatis propter solam originis prærogativam quâ gaudet Pater, qui est origo totius divinitatis, principium sine principio.

Nec aliud vult cùm negat Filium esse Deum à se, aut Patrem solùm græcè vocari Deum cum articulo. De his adi Opus in-fol. nuper editum sub hoc titulo: *Divinitas D.N.J.C. manifesta in Scripturis & Traditione* (Authore D. Prudentio Maran. Mon. Bened.) Lib. 4. c. 15. & 16.

Quod objiciunt aliqui ex L. 1. in Job, tam impium est, tam ceteræ Origenis doctrinæ adversum, ut perfidæ Arianorum manui adscribendum sit.

Hieronymo, Epiphanio, aliisque Origenis censoribus opponimus Eusebium Cæsariensem, Pamphylum martyrem, S. Athanasium, Gregorium Thaumaturgum, Gregorium Nazianzenum, Basilium, aliosque Origenis defensores: sed his motivis externis sepositis, de Origene ex Origene ipso judicium ferendum est. Et vero Synodus V. generalis non pepercit Origeni: atqui licet eum circa pœnarum æternitatem, peccatum originale, aliaque fidei dogmata damnaverit, nihil tamen ei circa Verbi divinitatem objecit; nec qui tot ei objecit errores Justinianus, eum unquam redarguit quod de Filio male sensisset.

Prob. 2°. ex Tertulliano, quem compendii causâ è Latinis unum referemus, quia hunc suum esse præsertim gloriantur Sociniani: quod licet in tanta aliorum qui pro nobis pugnant nube, parum noceret, falso tamen prætendi liquebit ex dicendis.

Pag. 501. Ac 1°. tres esse in Deo personas distinctas in unitate essentiæ, datâ operâ toto Libro contra Praxeam demonstrat. Cap. 2. docet, regulam hanc esse fidei, *ut unum Deum agnoscat, qui sit Pater, Filius & Spiritus sanctus .... unitatem in trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantiâ, sed formâ; nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, & unius statûs & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ & species, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti deputantur*: ubi vides tres personas esse unius substantiæ, statûs & potesta-

tis. Per gradum autem intelligit haud dubie Tertullianus, ordinem illum originis, quo Filius est à Patre, & Spiritus S. ab utroque; ità ut Pater sit prima persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia: per formas vero & species, non naturam intelligit aut substantiam, ut constat, sed varios subsistendi modos, quibus Pater, Filius, & Spiritus subsistunt, qui modi vocantur à Scholasticis relationes seu personalitates divinæ.

2°. Verbi divini æternam generationem diserte docet eodem L. c. 5. *Ante omnia,* inquit, Deus *erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia; solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ceterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet.* Et c. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et Sermo erat apud Deum; & nunquam separatus à Patre, aut alius à Patre, quia, Ego & Pater unum sumus.* Nihil hoc testimonio disertius potest desiderari. *Pag.* 502. *Pag.* 504.

3°. Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ multis in locis inculcat. Apologetici c. 21. *Hunc,* (nempe Dei Filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus spiritus.... Ità de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine.* Quæ verba posteà Nicænum Concilium in Symbolo fidei descripsit & adoptavit. Plura omittere cogimur. *Pag.* 19.

Obj. 1°. Tertullianum Lib. contra Hermogenem, cap. 3. ubi Hermogeni contendenti materiam æternam esse, eo quod Deus ab æterno & Deus sit & Dominus, Dominus autem esse non possit nisi extiterit ab æterno materia, in quam dominium suum exercuerit, respondet Tertullianus, Deum ab æterno Dominum non esse, adeoque nec materiam ab æterno existere; quod probat à simili: Deus scilicet ab æterno judex non est, neque pater, siquidem ab æterno nec delictum fuit, nec filius; ergo nec Dominus fuit ab æterno. En verba: *Quia & pater Deus est, & judex Deus est; non tamen ideo pater & judex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & filius non fuit, quod judicem & qui patrem Dominum faceret.* *Pag.* 234.

R. Tertullianum non ex propria loqui sententia, sed ex principiis ab Hermogene admissis, quæ adversus ipsum contorquet. Nimirum istud est Tertulliani ar-

gumentum: Si Deus ab æterno Dominus est præcisè quia Deus, adeoque materia æterna esse debet ut ipsi imperet, sicut videtur Hermogeni; pariter Deus ab æterno judex & pater erit, quia Deus semper est; tàm quippe & judex & pater esse debet, quàm Dominus: atqui ex ipsa Hermogenis sententia Deus ab æterno nec judex, nec pater est; non judex, quia nullus judex sine delicto de quo judicet; ab æterno autem nullum est delictum, materia quippe, quam Hermogenes æternam supponit, nullius delicti capax est. Non fuit etiam ab æterno pater, quia ille pater non est, qui nihil produxit extra se ab æterno: sed Deus ab æterno nihil produxit extra se, in principiis Hermogenis; materia enim, juxta ipsum, improducta est ac æterna; ergo Deus non est ab æterno pater, adeoque nec Dominus; quod habebat contra Hermogenem demonstrandum: in quo ratiocinio nullâ mentio sit generationis Verbi æterni, de qua non erat quæstio.

Obj. 2°. Lib. contra Praxeam c. 6. & 7. de Verbo Dei seu sapientiâ Dei internâ sic loquitur Tertullianus: *Ut primum Deus voluit ea quæ cum Sophiæ ratione & sermone dispofuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit Sermonem, habentem in se individuas suas, Rationem & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imò & facta jam quantùm in Dei sensu...Tunc igitur etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cùm dicit Deus, Fiat lux. Hæc est nativitas perfecta sermonis dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ, Dominus condidit me initium viarum suarum. Dehinc generatus ad effectum*: Ubi habes, 1°. Sermonem à Deo productum, quando exteriùs voluit emittere quod interiùs decreverat; 2°. Sermonem speciem suam, ornatum & perfectam nativitatem habuisse, quando dixit Deus, *Fiat lux*; ergo ante mundi creationem Sermo ille plenè & perfectè natus non erat.

Pag. 503.

R. hæc quæ duram & malè castigatam Tertulliani locutionem sapiunt, benignè exponi posse. Dico itaque Tertullianum cum nonnullis aliis veteribus Scriptoribus duplicem agnovisse Verbi divini nativitatem, unam æternam, Deo immanentem, & naturalem, quâ ut Deus de Deo, spiritus è spiritu, & Dei Verbum à Patre prodiit: alteram externam, certoque duntaxat tempore factam, quâ ad opificium mundi à Patre ex-

trinsecus processit in formâ sensibili. Scilicet existimabant Veteres illi, paulò antè mundi opificium, Verbum ad cuncta creanda speciem aliquam corporalem, imò humanam fortasse formam induisse, quo fere modo posteà in veteri Lege Patriarchis videndum se exhibuit, aut etiam è B. Virgine prodiit. Jam verò de hac nativitate externâ & sensibili loquitur Tertullianus locis in objectione adductis. Ista porrò externa ac temporalis Verbi nativitas, supponit æternam ejusdem Verbi generationem: namque, ut ipse ait Tertullianus eodem L. c. 5. *Etsi Deus nondum Sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsâ, & in ipsâ ratione intra semet ipsum habebat, tacitè cogitando & disponendo secum quæ per Sermonem mox erat dicturus.* Pag. 503.

Quando autem Tertullianus externam illam Verbi prolati nativitatem vocat *perfectam*, dure haud dubie loquitur; nativitas enim illa est impropria, & minùs perfecta: perfecta tamen aliquo sensu dici potest, in quantùm per illam exteriùs manifestatum fuit Dei Verbum, quod anteà latebat. Sic benigne interpretandum esse Tertulliani mentem nemo æquus negaverit, qui attenderit multa alia esse apud illum durissima, quæ tamen ad litteræ corticem usurpanda esse nullus affirmat; v. g. cùm ait, *Deum seipsum quasi agitare, quando intra se rerum creationem molitur: Verbum illud à Deo per nisum quemdam ac laborem exterius protrudi:* illud esse vocem & *sonum ex vulva cordis Dei exeuntem*, & cetera ejusmodi quæ emollienda esse nemo diffitetur. Quidni ergo eum benigne interpretabimur, cùm aït externam Verbi nativitatem perfectam esse?

Eodem modo & facile dilui possunt quæ ex nonnullis antiquioribus auctoribus Tatiano, Athenagorâ, Theophylo, Hyppolito Martyre, Lactantio, Novatiano, &c. objici solent. Idem enim ferme docent auctores illi ac Tertullianus Locis in Objectione adductis. Ceteros Patres vel apud Bullum Anglicanum Presbyterum, vel meliùs & minùs periculose in citato de divinitate Christi Opere vindicatos reperies.

Merito igitur Nicæni Patres an. 325. præside per Legatos suos S. Sylvestro Rom. Pontifice, præsente ac protegente Constantino Magno, definierunt Jesum Christum D. N. esse *Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero: natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.* Merito Arianos contrà sentientes hoc anathemate percellunt:

Eos autem qui dicunt, Erat quando non erat, & priusquam nasceretur non erat, aut ex non extantibus factus est.... hos anathemate ferit Catholica & Apostolica Ecclesia. Merito ad damnandam Arianorum hæresim, simul & consignandam catholicam fidem usi sunt voce *homoousion*, quæ aptissima est ad utrumque præstandum, quia significat Verbum esse unius ac ejusdem substantiæ cum Patre.

At, inquies, Nicænam definitionem reprobarunt plures Synodi, ut Antiochena anno 245. in quâ ab Episcopis 90. depositus est Athanasius; Sardicensis quæ anno 347. definiit Filium non esse dicendum consubstantialem Patri; Mediolanensis anno 354. Syrmiensis anno 356. cui subscripsit Osius ille Cordubensis, Conciliorum & Episcoporum pater, &c. ergo.

R. neg. conseq. Sicut enim non valet consecutio ista: Calviniani Tridentinam fidem plurimis in Conventibus reprobarunt; ergo debet ea reprobari; sic nec valet præcedens argumentum. Et vero ut Calvinistæ, sic & Ariani legitimâ destituti erant autoritate; tum quia nulla est autoritas, quæ semel in nomine Spiritûs S. definita subvertere valeat; tum quia neque Conciliis illis præfuit Rom. Pontifex, neque eorum decisionem ratam habuit, imò quâ datâ occasione debito anathemate confixit. Sic Anthiochenam sanctionem rescidit summus Pontifex Julius. Sic decretum Philippense, cui Ariani Sardicensis Concilii nomen dolose dederunt, contrario decreto subvertit Synodus Catholica Sardicensis, cui & per legatos suos præfuit Julius, & Episcopi trecentis plures interfuerunt.

Quod pertinet ad Osium Cordubensem, cecidit ille quidem jam centenario major, ut cum metu & tremore intelligamus, perseverantiam esse Dei donum: at eo cecidit lapsûs genere, qui Arianis triumphi materia esse non possit; tum quia nonnisi plagis atque tormentis victus subscripsit Arianæ blasphemiæ; ea est autem conditio subscriptionis verberibus extortæ, ut contra seipsam reclamet; tum quia ad sua reversus non neglexit culpam suam senex, sed *instante morte vim sibi illatam quasi testamento declaravit, Arianamque hæresim ferit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet*: ità Athanasius Epist. ad Monachos, tom. 1. p. 372.

ARTICULUS III.

Solvuntur nonnullæ Quæstiones.

QUæres 1°. quæ fuerit fides Eusebii Cæsariensis. R. contra Eusebium militare agendi rationem ejus, Scripta & testimonia veterum.

1°. Ratio agendi hominem ex animo Arianum redolet: summo studio, autoritate & gratiâ quâ valebat apud Principem, Arianos juvabat pro viribus. Ante Nicænum Concilium in gratiam Arii scripsit ad Alexandrum Episcopum Alexand. ut eum communioni suæ restitueret. Sedens in Concilio Nicæno, Symbolo fidei subscribere primùm recusavit, moras sibi ad deliberandum concedi postulans; postridie tamen exilii ac depositionis metu subscripsit. Unde porrò tanta hæc hominis anxietas, nisi ex animo non satis in fide Nicæna confirmato?

Post Concilium Nicænum, inito cum Arianis foedere, S. Athanasium strenuum fidei vindicem plurimùm divexavit. Concilio Tyriensi adversùs S. Doctorem coacto ipsemet præerat Eusebius. In Antiocheno Conciliabulo, calumniarum ac depositionis sententiæ in magnum Eustathium, Antiochenum Antistitem, conscius fuit cum aliis Episcopis Arianis. In suis Historiæ Ecclesiasticæ Libris, altum de Ariana hæresi, ejusque damnatione silentium: cujus quidem affectati in re tanta silentii, non alia ratio fuit, quàm quod suorum pudori parcere, ac Catholicis victoriæ gloriam eripere voluerit. Denique Marcellum redarguit, quod veræ fidei doctores incusare auderet; inter illos autem recenset Paulinum Tyriensem, Narcissum Nerodiadem, Eusebium Nicomediensem, Asterium Sophistam, qui publici ac declarati habebantur Ariani. Porrò qui tam impensè Hæreticis favet, mirum si purus sit.

2°. Eusebii Scripta post Concilium Nicænum, mentem ejus plane arianam demonstrant. Etsi enim nonnulla sunt, in iis præsertim quæ ante Nicænum Concilium elaboravit, quæ benigne explicari possent, attamen spectato autoris consilio, ac propenso semper in Hæreticos favore, benignam hanc interpretationem non meretur, ac summo jure cum ipso agendum.

Lib. 1. contra Marcellum cap. 1. *Non est ergo*, inquit, *existimandum hunc*, Christum, *esse Deum illum qui est super omnia Deus; nedum de numero Angelorum aliquem, sed medium utrorumque & mediatorem.* Et *Ad cal. D. Ev. p. 8.*

in Ep. ad Euphrasionem Episcopum relatâ in VII.
T. 7. generali Synodo Act. 6. hæc habet: *Non enim Filium*
Conc. *Patri coexistere dicimus, sed Patrem ante Filium fuis-*
p. 859. *se. Porro ipse Filius Dei valde piè nos id docet, dicens: Pater major me est.* Et infrà: *Filius ipse quidem Deus, sed non verus Deus.* Si hæc arianum virus non spirant, nescio quid spirare possit.

3°. Eusebium impietatis arianæ bene multi gravissimi Scriptores accusant, quos recenset doct. Valesius in fronte Ecclesiasticæ Historiæ; hic quidem etiam nonnullos in ejus favorem appellat, præsertim So-
Lib. 2. cratem: at, inquit Baronius ad an. Christi 340. *Æthi-*
Hist. *opem dealbare nititur.*
cap. 21. Nec obest 1°. quod Eusebius Nicænæ definitioni subscripserit; 2°. quod L. 1. de Eccl. Theologiâ scribat Filium non esse de nihilo, de non extantibus.

Nam 1°. subscripsit Nicænæ fidei, ut subscripserunt Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaïdis, id est exilii & depositionis metu, non animo sincere fidei addicto. Certe qui fidem amplectuntur ex animo, hanc deinceps nec Scriptis, nec Novatorum defensione produnt.

2°. Negat quidem aliquando Eusebius, pro more hæreticorum quibus solemne est pugnantia loqui, negat, inquam, Filium esse ex nihilo & ex non extantibus; sed quo sensu? quia Filius nec pars Dei est,
Pag. nec ex subjecta materia: quin & Lib. 4. Demonst.
145. Evang. c. 1. docet nullam omnino rem de nihilo esse, vel ex non extantibus produci; non dicit autem Eusebius, Catholicorum sensu, Filium esse ex non extantibus, quia Patri coæternus sit ac consubstantialis; Filium quoque non esse creaturam libenter affirmat Eusebius; sed reticendo intra se, non esse creaturam similem aliis creaturis. Ceterùm non asserimus, Eusebium in errore suo ad mortem usque perseverasse: judicium de sanctitate ipsius Deo reservamus; de doctrina ejus judicamus ex Scriptis.

Quæres 2°. an Liberius Papa, cùm exilii biennis mœrore victus, ab Athanasii communione recessit, subscripserit formulæ hæreticæ.

Nota tres distingui formulas Syrmienses, seu apud Syrmium variis in Conciliis editas. Prima, quæ adversùs Photinum anno 351. græcè conscripta est, præter Symbolum, 27. Anathematismos complectitur.
T. 1. p. Formulam hanc expendit, ac in catholicum sensum
748. exponit S. Hilarius; econtra S. Athanasius L. de Sy-

nodis, illam ab aliis formulis aperte arianis non distinguit.

Secunda scripta est an. 357. quæ à S. Hilario L. de Synodis, appellatur *blasphemia per Osium & Potamium apud Syrmium conscripta.* In ea impietas ariana aperta fronte diffunditur; Filius non dicitur Patri consubstantialis, imò nec similis, &c. *P.*116.

Tertia scripta est an. 359. In ea vox *consubstantialis* expungitur quidem, sed Filius dicitur similis cum Patre substantiæ. Habet id singulare formula hæc, quod in titulo notentur Consules, annus, dies & mensis quo scripta illa fuit, quod inauditum huc usque fuerat, cùm fides non sit temporum.

Disputant inter se eruditi, cui ex tribus istis formulis subscripserit Liberius: an primæ quæ ab Hilario benigne exponitur; an secundæ quæ est aperte ariana, an tertiæ. Pro prima pugnat Baronius, pro 2. Petavius, pro 3. Valesius.

R. 1°. Liberium, si cui formulæ subscripsit, tertiæ formulæ non subscripsisse: ut enim Historia docet, formulæ sibi oblatæ subscripsit Liberius, ut à suo apud Beroam exilio, Orientalium favore revocaretur: porrò cùm hæc tertia formula edita fuit, non tantùm ab exilio jam revocatus fuerat, sed & Romam redierat. Scilicet Liberius tertio exilii anno Sedem suam recuperavit, ut refert S. Athanasius c. 37. aliique Scriptores, hoc est anno 358. Hæc autem tertia formula nonnisi anno 359. exarata fuit.

R. 2°. Liberium non subscripsisse secundæ impiæ formulæ Syrmiensi.

Prob. 1°. quia teste S. Hilario in fragmentis, fragmento 6. formula cui Liberius subscripsit, ab Orientalibus condita fuit: at secundam formulam ab Occidentalibus conscriptam fuisse declarat S. Athanasius I. de Synodis. *Pag.* 1357. *T.* 1. *p.* 744.

2°. quia teste eodem S. Hilario ibid. formula à Liberio subscripta, edita est à Basilio Ancirano Theodoro Heraclensi, & Sylvano Tarsensi: porro illius formulæ autor esse non potuit Basilius Anciranus, quam vix in lucem emissam anathemate confixit in Synodo Ancirana; illius pariter particeps esse non potuit Theodorus Heracleensis, siquidem jam obierat, an. circiter 355. ante Liberii exilium, nec etiam Sylvanus Tarsensis, qui adeo alienus fuit ab hæresi ariana, ut orthodoxam de divinitate Filii doctrinam adversùs

Anomœos in Concilio Seleucienſi coram Conſtantio Imperatore propugnaverit.

3°. Si Liberius ſecundæ formulæ ſibi à Demophilo oblatæ ſubſcripſiſſet, cùm hæc arianam impietatem undequaque reſpiret, nihil amplius ab illo exigere debuiſſent Ariani, unde & ab exilio ſtatim revocatus fuiſſet: atqui tamen non ità contigit. Liberius enim ad Epiſcopos Orientales ſcripſit, (Epiſtolam refert S. Hilarius Fragmento 6.) rogans ut pro eâ quâ apud Imperatorem valent gratiâ, ſuum ab exilio reditum obtineant, quem non priùs obtinuit, quàm alteri cuidam formulæ, cùm ab Imperatore Syrmium vocatus eſt, ſubſcripſiſſet: hæc autem formula non erat ſecunda Syrmienſis, ipſimet Conſtantio inviſa, ſed collectio quædam tùm formulæ adversùs Photinum editæ, tum illius quæ in Synodo Antiochenâ in Encæniis ſancita fuit, ut conſtat ex Sozomeno L. 4. Hiſt. cap. 15.

Pag. 1335. *& ſeq.*

R. 3°. Liberium ſubſcripſiſſe primæ formulæ Syrmienſi.

Prob. quia ex dictis patet nec ſecundam nec tertiam formulam Syrmienſem à Liberio fuiſſe ſubſcriptam; ſupereſt igitur ut dicatur primæ ſubſcripſiſſe. Unde etſi in præſenti controverſiâ graviter peccavit, haud tamen hæreſim arianam approbaſſe dici poteſt. Ut enim paulo ante vidimus ex S. Hilario, prima Syrmienſis formula merito excuſari, & in catholicum ſenſum adduci poteſt.

Dices: Formulam Syrmienſem, quam Liberius ſcribens ad Orientales declarat ſe probaſſe, S. Hilarius Fragm. 6. *perfidiam arianam appellat*; eamque ob cauſam ter ipſi ejuſque ſociis dicit anathema: *Anathema tibi à me dictum, Liberi & ſociis tuis.... iterum tibi anathema, & tertio prævaricator Liberi*: atqui ſola ſecunda formula Syrmienſis, perfidia vocari potuit à S. Hilario; cùm primam excuſat ac benigne interpretetur L. de Synodis, p. 1177. ergo.

Pag. 1336. *&* 1337.

R. diſt. maj. Formulam cuï ſubſcripſit Liberius, perfidiam arianam appellat S. Hilarius, habitâ ratione conſilii & fraudis autorum illius formulæ, imò & eventûs qui ſucceſſit, C. habitâ ratione ſcientiarum quibus illa conſtat, N. itaque S. Hilarius abſque ullâ levitatis notâ potuit formulam primam Syrmienſem mox benigne interpretari, mox perfidiam appellare, pro variis temporum circumſtantiis. In Libro de Synodis, formulam nude in ſe & quantum ad verba expendit tantùm; ac cupiens Orientales ad unitatem adducere,

eam benigne interpretatur: ac cognitis deinceps perverſis autorum formulæ conſiliis, eandem formulam *perfidiam* appellat in Libro Fragmentorum, quod nempe à fraudulentis hominibus condita illa fuiſſet, quod Liberio lapsûs cauſa fuiſſet, &c. quapropter in Libro contra Conſtantium Auguſtum, Synodum Syrmienſem contra Photinum, tanquam Arianam proſcribit.

Quod ſpectat anathemata Liberio dicta, credimus hæc non eſſe S. Hilarii, 1°. quia cùm S. Doctor fragmenta ſcripſit, ſurrexerat jam Liberius à lapſu, & intrepido animo Nicænam fidem contra Arianos & Imperatores tuebatur. Quis vero Pontifici egregie pœnitenti ab Hilario anathema dictum putet? 2° quia extant in iiſdem fragmentis benè multa, quæ Hilarii fœtus non ſunt. Sic relatâ Liberii ad Orientales Epiſtolâ, quâ excommunicatur S. Athanaſius: *Quid*, inquit, *in his litteris non ſanctitatis? quid non ex metu Dei eveniens?* Sic ibid. extat Epiſtola, quâ Liberius Athanaſium Romam venire renuentem, anathemate percellit; & tamen fictitia eſt, totique hiſtoriæ contraria hæc, quæ Liberii Pontificatûs initio facta ſupponitur, Athanaſii condemnatio. Ità ſentiunt N. Alexander, quin & Queneſſus ipſe.

Dixi, *ſi ſubſcripſit*: neque enim deſunt, qui Liberii lapſum meram eſſe fabulam velint, ſparſam quidem ab Arianis, à Catholicis vero nonnullis creditam, ut moris eſt, ab aliis vero vel rejectam prorſus, vel in dubium vocatam.

Id autem ſuadetur 1°. quia antiqui quatuor hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, nimirum Sulpicius Severus, Socrates, Theodoretus & Caſſiodoretus, Liberii ad Sedem ſuam reditum, non lapſui ejus attribuunt, ſed ſeditioſis Romanorum clamoribus, qui Paſtorem ſuum ſibi reſtitui tumultuosè petierunt: *Liberius*, aït Socrates, *non multo poſt ab exilio revocatus, Sedem Epiſcopatûs propterea recuperavit, quod populus Romanus ſeditione conflatâ Felicem* Antipapam *Eccleſiâ illa ejecerat; Imperatorque ipſe, etiam invito animo, illis conſenſerat.* Quis porrò credat vel Autores illos nihil de ſparſo Liberiani lapsûs rumore audiiſſe; vel ſi eum habuiſſent pro vero, nihil de eo dicturos fuiſſe? profecto qui tot minoris momenti ſcripsêre, rem adeo gravem non omiſiſſent.

Socr. l. 2. c. 37.

2°. ex Socrate, Conſtantius Liberium *invito animo*

ad ſedem ſuam remiſit: porrò lubens remiſiſſet, ſi ab eo vel Athanaſii cenſuram, vel Syrmienſis formulæ ſubſcriptionem extorſiſſet.

3°. Redeunti Romam Liberio, *obvius cum gaudio populus Romanus exivit*, ait præfatio Marcellini, unde *Romam quaſi victor intravit*, ut ſcribit S. Hieronymus in Chronico; at quis putet futurum ut populus Romanus, qui ex ſolo Nicænæ Fidei ſtudio Felicem expulerat, tanto cum plauſu tetrum ejuſdem fidei deſertorem reciperet?

4°. Si cecidit Liberius, ſeque ab Athanaſii communione ſejunxit, debuit & parem tanto ſceleri pœnitentiam agere, & ad Athanaſii communionem publico modo reverti: porrò neutrum vir ſanctus feciſſe legitur.

5°. Moris eſt invariati ut qui à ſectâ aliquâ defecit, ſua ei à ſectariis exprobretur inconſtantia, ſi præſertim eos immiſericorditer vexet & inſectetur: atqui nec levitatis unquam incuſatus eſt Liberius ab Arianis; nec eis ex quo Romam reverſus eſt, unquam pepercit; ſed eâ ſemper erga ipſos egit ſeveritate, quæ perpetuum fidei confeſſorem decet. Unde & Ariminenſia Acta reſcidit; & Ariminum ab Imperatore vocatus non eſt, etſi ſperari poterat, hominem qui, ut adverſarii volunt, jam ceſſerat exilio & minis, denuo ceſſurum eſſe: ergo.

At, inquies, S. Athanaſius in hiſtor. Arian. ad Monachos n. 41. hæc diſerte ſcribit: *Porrò Liberius... poſt biennium denique fractus eſt, miniſque mortis perterritus ſubſcripſit.* Idem habent Hilarii fragmenta. &c.

R. 1°. ſparſo ab Arianis de Liberii lapſu rumore decipi potuiſſe complures, forteque & Athanaſium, qui tunc latebat in deſertis.

R. 2°. locum hunc Athanaſii Libro aſſutum eſſe, ut ſolide probat Autor diſſertationis criticæ de Liberio, quem conſule p. 34. Idem dicendum, uti jam monuimus de Hilarii fragmentis, quæ in eo quod ad Liberium pertinet, corrupta eſſe probat idem Scriptor p. 64. plura enim non capit compendii noſtri natura. Et hæc conjectando dicta ſint.

Quæres 3°. an qui Semiariani dicuntur, Chriſti divinitatem reipsâ negaverint. Affirmant ſponte Novatores, quibus nihil antiquius eſt, quàm ut totam pene Eccleſiam Arianiſmi temporibus defeciſſe perſuadeant. His incaute concinunt Catholici quidam, ſed gratis prorſus & iniquè. Idque quàm breviter licet,

Prob. 1°. Semiarianorum nomine hic intelliguntur, non ut fieri deberet, Macedoniani, ſed ii qui rejecto homouſio, Filium omoïouſion, ſeu per omnia Patri ſimilem confitebantur: atqui hi catholice ſentiebant: de iis enim ſic loquitur Athanaſius, Lib. de Synodis: *Neque enim velut Ariomanitas, aut Patrum adverſarios, homines aggredimur; ſed diſputamus veluti fratres cum fratribus, qui eâdem quâ nos ſunt ſententiâ, ſolo nomine in controverſiam adducto*: ſed qui Patrum adverſarii non erant, quibuſcum ut cum fratribus, non ut cum inimicis diſputandum erat; qui in eâdem cum Athanaſio ſententiâ erant, ſolo nomine in controverſiam adducto, ii utique catholice ſentiebant; ergo.

Prob. 2°. ex S. Hilario, Lib. de Synodis, ubi ſic homoïouſii defenſores alloquitur: *Reliquus mihi ſermo ad ſanctos viros Epiſcopos Orientales dirigendus eſt, & dabunt veniam ex communis conſcientiæ fide. . . . O ſtudioſi tandem Apoſtolicæ atque Evangelicæ Doctrinæ viri, quos fidei calor in tantis tenebris hæreticæ noctis accendit, quantam ſpem revocandæ veræ fidei attuliſtis, conſtanter audacis perfidiæ impetum retundendo.* Et infrà: *Homouſion neſcio nec intelligo, niſi tantum ſimilis eſſentiæ confeſſionem.... Pium eſt quod volumus, nè damnemus Patres, nè animemus hæreticos.* Hic habes 1°. Semiarianos in homoïouſio confiteri id quod Hilarius in homoïouſio confiteri vult; 2°. Hilarium cum iis habere ejuſdem fidei conſcientiam; 3°. eos Apoſtolicæ & Evangelicæ Doctrinæ ſtudioſos eſſe; 4°. ab iis porrigi ſpem magnam renovandæ fidei (quod & docuit eventus): atqui hæc de Catholicis quidem dici poſſunt, non autem de hæreticis divinitatis Filii oſoribus.

Merito igitur * Tillemontius: *S. Hilaire, & S. Athanaſe même, dans leurs Traités des Synodes en ont parlé,* des Demi-Ariens, *comme les tenant tout-à-fait dans la foi de l' Egliſe.*

* *Tom. 6. paragrap. 66. p.* 411.

Prob. 3°. Ideo erroris poſtulantur Semiariani, quia abſtinebant à voce *conſubſtantialis*: atqui hæc ratio non valet. Ad id enim ſatis eſt ut ea vox, nè Arianiſmi quidem tempore neceſſaria foret orthodoxiæ teſſera: atqui res ità ſe habet. Nam 1°. in profeſſione fidei, quam Urſacius & Valens, primarii Arianorum duces, Julio Rom. Pontifici & Liberii prædeceſſori obtulerant, erroris præteriti veniam poſtulantes, vox *conſubſtantialis* reticetur; nec probari poteſt hanc ab

ipsis anteà fuisse admissam: atqui tamen recepti fuêre; ergo. 2°. Deest quoque ea vox, tum in fidei professione à Marcello Ancyrano editâ, quæque & ab eodem Julio, & à synodo Sardisensi approbata est; tum in retractatione Herminii, Ariani Præsulis, quæ tamen Arianis solis displicuit; 3°. S. Meletius in concione sacrâ, quam coram Constantio habuit, tam apertè fidem professus est, ut eum, autoribus Arianis, Imperator ille è Sede ipsius ejecerit: atqui tamen Meletius ab omousii voce abstinuerat; 4°. si vox illa ad exprimendam tunc temporis fidem necessaria fuerit, circa eam imprimis interrogari debuêre, qui erroris suspicione laborabant; atqui res non ità se habuit. Siquidem in Aquileïensi Concilio, ubi instigante S. Ambrosio damnati fuêre Palladius & Secundanus Episcopi, sexcentis hi ab illo modis interrogati sunt, putà num Christus bonus foret, num verus, num æternus: at nè semel quidem interrogati sunt an Patri consubstantialis esset, à quo tamen ducendum fuisset examinis caput; 5°. Nicænam certè fidem exprimit Symbolum illud, quod seu sit Athanasii, seu alterius cujuslibet, summo semper apud Ecclesiam in pretio fuit: atqui tamen nè minimum quidem meminit consubstantialis; ergo.

Prob. 4°. Illud vocabulum, malè quidem, sed tamen illæsâ fide supprimi potuit, quod suppressum est à viris, quorum alii merito Catholici audiunt, alii vero Sanctorum fastis adscripti sunt: atqui vox *homousion* rejecta est à viris.... Quippe nomen illud suppressêre, hinc quidem Basilius Ancyranus, Eustathius Sebastenus, Sylvanus Tarsensis, Eleusius Cizicenus; inde verò SS. Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatensis, Cyrillus Hierosolymitanus: atqui priores quidem Catholici audiunt, posteriores vero Sanctorum fastis adscripti fuêre. Minor, quam, nè prolixior fiam, pluribus confirmare non ausim: minor, inquam, pro prima parte, liquet ex supra citato Athanasii textu, ubi S. Doctor Basilium Ancyranum habet pro Catholico, quicum, non ut cum Ariano, sed ut cum fratre disputandum sit: porro ejusdem cum Basilio sententiæ erant Eustathius, Sylvanus, & Eleusius; hos enim quatuor vulgo consociant Historici, ut Sozomenus, Lib. 4. c. 4. Theodoretus, Lib. 5. c. 27.

Eadem minor pro altera parte, quæ Meletium spe-
Tom. 1. ctat, & asseclas ejus, traditur ab Athanasio, orat. 1.
p. 278. contra Arianos, seu juxta novam edit. Epist. ad Epi-

scopos Ægypti & Libyæ, ubi hæc leguntur, quæ hæreseon tempore sedulo pensari debent: *Ergo etiamsi voces ex Scripturis mutuentur* Ariani, *scribentes nihilominùs repellite, licet orthodoxæ fidei verba protulerint: nec sic loquentes velitis attendere; nec enim rectâ mente loquuntur, sed his verbis velut ovium pelle induti, intus eadem ac Arius sentiunt; quâ in re ducem hæresum imitantur diabolum; nam ille quoque vocibus ex Scriptura exceptis utebatur... Itaque si quæ scribunt, ea scriberent orthodoxi, ut magnus & confessor Hosius ... vel Julius & Liberius Romæ Episcopi, magni Meletius & Basilius..... nullus profectò in illorum scriptis esset suspicionis locus.* Ecce hic Catholicus censetur, & insignioribus Catholicis accensetur Meletius: atqui tunc temporis, id est ann. 356. quo scripta est Athanasii Epistola ad Episcopos Ægypti & Libyæ, (ut solide contra Baronium demonstrat Antonius Pagi ad eund. ann. n. 12. & post eum Athanasii Editores) necdum voce *homousios* utebatur Meletius: imò nec eà utebatur an. 361. ergo stat & vocem hanc supprimi potuisse, & qui supprimerent habitos fuisse pro Catholicis. Unde Historiæ Eccles. Scriptor nuperus: *Encore que Mélèce se fût abstenu par discretion des termes de consubstantiel & de substance, il s'étoit assez déclaré pour la vérité catholique.* *Fleury. tom. 3. p. 636.*

Prob. 5°. Patres Ariminenses subscripserunt formulæ, in qua *substantiæ & consubstantialis* termini reticebantur: atqui tamen Patres illi nec in hæresim lapsi sunt intus, nec formulæ quæ hæresim verè adstrueret, subscripserunt; prout Deo dante ostendemus in Tractatu de Ecclesia; ergo. Interim vide geminum opus; aliud inscriptum: *Dissertation sur les Semi-Ariens (par D. Prudence Maran, Bénédictin)* Paris 1722. aliud cui titulus: *Dissertation critique.... sur le Concile de Rimini*, Paris 1732. *Tillem. tom. 6. p. 518.*

ARTICULUS IV.

An Spiritus sanctus sit verè Persona divina.

DUo hic probanda contra Socinianos; 1°. Spiritum sanctum veram esse ac subsistentem personam, non meram duntaxat Dei efficaciam, virtutem & attributum; 2°. Spiritum sanctum naturâ & substantiâ Deum esse, non accidens quoddam seu qualitatem. Sit

CONCLUSIO I. Spiritus S. vera est ac per se subsistens persona.

Prob. 1°. Cui constanter tribuuntur à Scriptura actiones quæ personarum propriæ sunt, is, nisi constanter decipere voluit Scriptura, persona esse debet: atqui veras, & quæ personarum sunt, operationes Scriptura Spiritui S. tribuit: v. g. *docere*, Joan. 14. v. 15. *testari*, Joan. 15. v. 26. *revelare futura*, I, ad Timoth. 4. v. 1. *scrutari profunda Dei*, I. Cor. 2. v. 10.

Confirm. ex Apostolo, I. Cor. 12. ubi sic: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ*, &c. & v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*: atqui soli personæ competit operari prout vult; ergo.

Reponit Wolkelius ex his operationibus inferri non posse, Spiritum sanctum veram esse personam; quia operationes illæ personales Spiritui sancto tribuuntur per figuram prosopopeïæ, quâ veluti persona inducitur loquens, cùm tamen vera persona non sit.

Refellitur, 1°. quia affectiones quæ Spiritui S. tribuuntur à Scriptura, nullibi unquam puris qualitatibus seu accidentibus adscriptæ leguntur, v. g. *intelligere, velle, deliberare*, &c. 2°. Si figurata esset Scripturæ locutio, istud procul dubio alicubi significasset sacer Contextus; neque enim cum tanto periculo Fidelium de Spiritu S. tanquam de subsistente personâ tam constanter mentionem fecisset. 3°. Si semel licitum fuerit Scripturæ verba ad figuram deflectere, nihil erit tam firmum quod funditùs non evertatur; ac poterit perditus aliquis ipsiusmet Christi personalitatem impugnare, & ea quæ de ipso dicuntur, de sapientia Dei per figuram prosopopeïæ dicta esse opinari.

Prob. 2°. Qui à Patre procedit, & à Filio mittitur, ut alius qui Filii vices excipiat, debet esse persona subsistens: atqui Spiritus S.... Minor patet ex Joan. 14. & 15. ubi sic loquitur Christus: *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

Prob. 3°. Si Spiritus sanctus eadem exteriùs cum Patre & Filio operetur, veram quoque personam illum esse oportet: atqui Spiritus S. eadem exteriùs operatur..... Matth. 28. 29. Baptismus ex æquo dandus præscribitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs S.* II. Cor. 13. Spiritus, cum Patre & Filio conjungitur in benedictione quam Corinthiis precatur Paulus: *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, & caritas Dei,*

& communicatio Spiritûs S. cum omnibus vobis. I. Joan. 5. Spiritus S. simul cum Patre & Filio dicitur in Cælo testimonium dare: *Tres sunt qui testimonium dant*, &c. Porro his in locis Patrem & Filium veras esse personas adversarii non diffitentur; ergo & S. quoque Spiritum veram personam esse fateantur necesse est.

Confirm. Proprium est personarum, non qualitatum, aut attributorum, speciem visibilem assumere, sub quâ se conspiciendas exhibeant: atqui apparuit Spiritus S. in Baptismo Christi, *sub specie columbæ*, Matth. 3; in die Pentecostes, *sub specie linguarum*, Act. 2. ergo Spiritus S. vera est ac subsistens persona.

Conclusio II. Spiritus S. verus est Deus Patri & Filio consubstantialis.

Prob. 1°. ex Scriptura: Ille vere Deus est cui tribuuntur nomen & natura Dei; cui divina competunt attributa; cui demum adscribuntur operationes Dei propriæ: atqui 1°. Spiritui S. tribuuntur nomen & natura Dei. Siquidem est verè Deus *Jehovah*, qui *dixit* Isaiæ: *Vade & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere, &c.* Atqui Act. 28. v. 25. Deus ille (*Jehovah*) Spiritus S. esse dicitur: *Bene Spiritus S. locutus est per Isaïam.... Vade ad populum illum, & dic ad eos: Aure audietis & non intelligetis*; ergo Spiritus S. verus est naturâ & substantiâ Deus. *Isai.* 6. 9.

Confirm. ex his Petri verbis ad Ananiam, qui agri divenditi pretium integrum ad Apostolos non detulerat. *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum; mentiri te Spiritui S. & fraudare de pretio agri? .... Non es mentitus hominibus, sed Deo*; ergo Spiritus Sanctus cui mentitus est Ananias, Deus est. *Act.* 5. 3.

Dices cum Crellio; non pluris est nostra hæc ratiocinatio, quàm isthæc: Qui spernit Apostolos, spernit Christum: sed hic homo spernit Apostolos; ergo Apostoli sunt Christus. Porrò Syllogismi hujus vitium nemo non sentit.

R. neg. maj. Longe enim differt ratiocinatio nostra á Novatoris sophismate. En argumentum nostrum: Ille cui Ananias mentitus fuit, est Deus: sed ille cui Ananias mentitus fuit, est Spiritus S. ergo Spiritus S. est Deus. Syllogismus vero quem Crellius opponit, vitiosus est, qui aliquid in conclusione continet, quod non est in præmissis. Emendandus igitur est in hunc modum: Qui spernit Apostolos, Christum ipsum spernit: atqui hic homo spernit Apostolos; ergo spernit

Christum, quæ conclusio recta est ac legitima. Verùm Crellius per fraudem sophismata nobis imponit, ut ipse putida sophismata nobis opponere possit.

2o. Spiritui S. divina conveniunt attributa: putà immensitas & ubique præsentia, Sap. 1. v. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Psal. 138. v. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo.* Omniscientia, I. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. 16. *Cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Omnipotentia, Psalm. 32. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Unde Lucæ 1. v. 35. Spiritus S. dicitur virtus *Altissimi*, non essentialis aut attributalis, ut volunt Sociniani, sed personalis & subsistens.

3o. Spiritui sancto tribuuntur opera Dei. Hæc enim vel naturæ sunt, vel gratiæ: atqui utraque Spiritui S. tanquam autori tribuuntur: 1o. quidem opera naturæ; Creatio, Psalm. 32. mox laudato. Conservatio & gubernatio rerum, Psal. 103. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* Operatio miraculorum, Matth. 12. *In Spiritu Dei ejicio dæmones.* 2o. Opera gratiæ: Christi conceptio, Lucæ 1. v. 35. Unctio & missio, Isaïæ 61. v. 1. Peccatorum remissio & regeneratio, I. Cor. 6. v. 11. Regimen Ecclesiæ, Act. 15. v. 28. Collatio donorum, I. Cor. 12. v. 7. Sanctificatio, I. Petri 1. v. 2. Diffusio caritatis, Rom. 5. v. 5. Resurrectio mortuorum, Rom. 8. v. 11.

Prob. 2o. ex Traditione generali, quam indicant, 1o. forma Baptismi; baptisamur enim ex æquo in nomine Patris, & Filii & Spiritûs S. Ergo ut Pater & Filius personæ sunt divinæ, ità & Spiritus S.

2o. Preces Ecclesiæ quas Deo per Filium in Spiritu S. oblatas fuisse testatur Justinus Apol. 2.

3o. Celebris illa & antiquissima glorificatio quâ Ecclesiæ Hymni claudebantur, & etiamnum clauduntur: *Gloria Patri & Filio, & Spiritu S.* seu, *Gloria Patri cum Filio & Spiritu S.* vel *per Filium in Spiritu S.* utroque enim modo antiquitùs Doxologia terminabatur.

4o. Unanimis illa Ecclesiæ fides vel ex eo maximè liquet, quod statim ac quis Spiritûs S. divinitatem impugnare palam ausus est, pro hæretico habitus fuit, nec aliâ viâ potuit Ecclesiæ communioni restitui, quàm ejuratâ hæresi. Ità in Concilio Alexandrino an. 362. Hæretici ad Ecclesiam redeuntes jubebantur execrari eos, qui dicebant Spiritum S. esse creaturam. Ità S.

Basilius Ep. 78.* non priùs Eustathium Sebastenum in *Edit.
communionem suam ascivit, quàm Spiritûs S. divini- ver.
tati subscripsisset. Idem erga Paulinum Antiochenum* T. 2. p.
observavit S. Epiphanius hæresi 77. 890. &
Prob. 4°. speciali Patrum Traditione: *S. Justinus sequ.
Apol. 2. *Filium*, inquit, *& Spiritum S. propheticum* *T. 1. p.
colimus & adoramus, & Deum solum adoramus. *S. Ire- 1015.
næus L. 4. c. 33. aliàs 53. Spiritum S. eum esse ait, pag. 56.
qui ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit homi- *Pag.
nibus, & futura annuntiavit, & præsentia ostendit, & præ- 360.
terita narrat. *S. Cyprian. Ep. ad Jubaïanum: *Cùm tres,* Pag.
inquit, *unum sint, quomodo Spiritus S. placatus esse* 270.
ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est? *Pag.
Superfluum videtur alios hic congerere, cùm duo 125.
Concilia generalia, Nicænum I. & CP. I. fidem hanc
clarè declaraverint.

Nicænum in Symbolo profitetur *se credere in Spiritum sanctum*: eadem igitur in Spiritum sanctum fides exigitur, quæ in Patrem & Filium: atqui præcipuum fidei nostræ objectum, Deus est; ergo Spiritus sanctus in quem credere tenemur, verus est Deus.

Concilium Constan in. I. adversùs Macedonianos ex- Anno
pressiùs adhuc in Symbolo Spiritûs S. divinitatem ad- 581.
struit: *Credimus in Spiritum S. Dominum & vivifi-* Tom. 2.
cantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio Concil.
adorandum & glorificandum, qui locutus est per Pro- p. 953.
phetas. Porrò quod CP. definiebant Orientales, idipsum eodem tempore definiebant Romæ Occidentales sub Damaso summo Pontifice, & ità ex communi consensu Ecclesiæ utriusque, vere œcumenicum evasit Concilium CP. quod 150 duntaxat Episcopis constabat.

Obj. 1°. adversùs I. Concl. Spiritus sanctus frequenter in Scripturis appellatur Dei donum; ergo divina non est persona: nihil quippe potest esse sui ipsius donum.

R. dist. ant. Spiritus S. dicitur donum Dei, personale ac subsistens, C. accidentale, N. Spiritus S. est quidem autor donorum accidentalium à quibus distinguitur; ipse vero donum est Dei personale, quia à Deo Patre & Filio procedit. Ità Christus, quem Sociniani non negant esse veram personam, donum Dei dicitur Joan. 3. v. 16. imo & semetipsum donavit in redemptionem hominum.

Obj. 2°. contra II. Concl. 1°. Spiritus sanctus nunquam in Scripturis directè appellatur Deus, nusquam adorandus vel invocandus proponitur. 2°. Cùm Apo-

ſtolus I. Corinth. 8. v. 6. enumerat beneficia Dei in homines, Patris & Filii mentionem facit, nuſquam Spiritûs ſancti. 3°. Incognitus fuit Spiritus ſanctus primis Chriſtianis: cùm enim Paulus baptiſatos interrogaſſet, an Spiritum ſanctum recepiſſent, reſponde-
Act. 19. 2. runt: *Neque ſi Spiritus ſanctus eſt, audivimus.* Sed quod longe gravius, ne in ipſo quidem Concilio CP. Spiritus ſanctus Deus expreſſe ac directè nominatur.

R. ad 1. falſum eſſe Spiritum ſanctum in Scripturis expreſſe Deum non appellari. Quid enim ſignificant iſta, quæ laudavimus, verba ex c. 5. Act. *Anania, cur tentavit ſatanas cor tuum mentiri te Spiritui ſancto? non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Spiritus ergo, cui Ananias mentitus fuerat, vere Deus appellatur.

Ad 2. probet Crellius, cum una nominatur perſona, aliam excludi.

Ad 3. qui Paulo interroganti an Spiritum ſanctum recepiſſent, reſponderunt, ſe nequidem audiviſſe an ſit Spiritus ſanctus; Baptiſmo duntaxat Joannis baptiſati fuerant, non Baptiſmo Chriſti: quapropter jubet ibid. Apoſtolus eos baptiſari Baptiſmo Chriſti.

Etſi autem in Concilio CP. Spiritus ſanctus Deus expreſſe non appelletur, dicitur tamen cum Patre & Filio unam & conſubſtantialem habere naturam; illum cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum: an non, quæſo, idem eſt ac ſi expreſſe diceretur, *Spiritus ſanctus eſt Deus?*

Ceterùm fatemur aliquos ex antiquis quos inter S. Baſilius, noluiſſe Spiritum ſanctum Deum expreſſe appellare: At id factum eſt ex œconomiâ, & quia in iis verſarentur temporum circumſtantiis, in quibus ob præpotentem Hæreticorum factionem periculum erat, ne Catholici Præſules è ſuis Sedibus per vim dejecti, eas Hæreticis occupandas relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde Macedoniani, qui, ſi vires omnes ſuas in Catholicos ſimul convertiſſent, graviſſimum rei catholicæ damnum intuliſſent: quapropter ex prudenti œconomiâ tempori cedendum eſſe judicarunt, donec paulo ſedato animorum furore, liceret aperte fidem profiteri. Interim palàm in Scriptis declarabant, unam eſſe Spiritûs S. cum Patre & Filio ſubſtantiam: eum inter creaturas non eſſe annumerandum; nos in nomine Spiritûs ſancti, perinde ac Patris & Filii baptiſari, quod certe idem eſt, ac ſi Spiritum ſanctum Deum appellaſſent.

QUÆSTIO QUINTA.

De Divinis Processionibus.

AGendum hic 1°. de essentiâ, existentiâ, numero & proprietatibus divinarum processionum; 2°. de ipsarum principiis; 3°. de discrimine processionis Filii à processione Spiritûs S.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentiâ & numero Divinarum Processionum.

PRocessio est unius personæ ab alia emanatio, origo, vel productio: eaque duplex distinguitur, una *immanens*, altera *transiens*. Immanens terminum habet suo principio insitum & immanentem: talis est Filius Dei, qui est in Patre sicut Pater in ipso. Transiens terminum habet positum extra producentem: talis est in creatis filius qui à patre distinguitur, & extra illum subsistit.

Rursùs alia est physica seu imperfecta, & metaphysica seu perfecta. Prior ea dicitur quâ unum ab alio ità procedit, ut ab ipso pendeat, & naturâ, utpote accidens, differat: sic cùm homo cogitat, verbum ex ejus mente procedit, ab homine pendens, naturaque ab eodem discrepans. Posterior ea est, quæ citra dependentiam & naturæ differentiam fit. De hac nobis hic sermo; eaque definitur: Æterna unius personæ divinæ ab altera seu à duabus simul origo ac productio: quod ut pleniùs intelligatur, sit

Conclusio I. Datur in Deo vera & propiè dicta processio.

Prob. 1°. ex Scriptura, Psal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te*: atqui generatio sine processione concipi nequit.

Joan. 8. *Ego*, ait Christus, *ex Patre processi & veni*: ubi vox *processi*, æternam generationem; vox autem, *veni*, temporalem in mundum missionem designat.

Joan. 15. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

Probatur 2°. ex Symbolo Nicæno, in quo Filius dicitur *Deus de Deo*, & Spiritus sanctus *de Patre procedere* asseritur.

Prob. 3°. Sunt in Deo plures personæ à se invicem distinctæ: atqui personarum distinctio fundatur in pro-

cessione unius ab alia, juxta illud Scholæ effatum, *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio.*

Conclusio II. Duæ sunt in Deo processiones.

Prob. 1°. ex citatis mox Scripturæ testimoniis, in quibus non modo Verbi divini, sed etiam Spiritûs sancti processio exprimitur.

Prob. 2°. Tot sunt processiones, quot sunt personæ procedentes: atqui duæ sunt personæ procedentes, nempe Filius & Spiritus sanctus; ergo.

Prob. 3°. Tot sunt in agente intellectuali processiones, quot sunt facultates per quas idem agens, qualis Deus est, potest intra se producere: sed illæ duæ sunt, intellectus & voluntas.

Conclusio III. Non sunt in Deo plures quàm duæ processiones.

Prob. 1°. ex Scripturis in quibus duæ duntaxat processiones memorantur.

Prob. 2°. Tot sunt in Deo processiones, quot sunt personæ procedentes: atqui duæ duntaxat sunt personæ divinæ procedentes, nempe Filius & Spiritus: Pater enim à nullo procedit: hinc à Patribus dicitur Deus à se, ingenitus, innascibilis, principium sine principio, &c.

Prob. 3°. Ut duæ sint duntaxat processiones, satis est quod in Deo sint solùm duæ facultates immanenter operantes; & quod illæ facultates semper ac necessario agant: atqui 1°. non sunt plures quàm duæ facultates immanenter operantes, intellectus nempe & voluntas; 2°. eæ facultates necessario agunt: Deus enim necessario intelligit & amat essentiam suam; 3°. semper agunt, cùm Deus non possit ab agendo *ad intra* abstinere.

Et vero quidquid est infinitum, unicum est in suo ordine: atqui Verbum divinum, utpotè terminus intellectionis divinæ, est infinitum; Spiritus quoque sanctus, qui terminus est divinæ volitionis, est infinitus; ergo unicum est in Deo Verbum, unicus Spiritus sanctus; ergo non plures quàm duæ processiones, &c.

Obj. 1°. contra I. Conclusionem. Deus est ens à se, seu, nullam sui causam, nullum principium agnoscit; ergo procedere ab alio non potest.

R. dist. ant. Deus est ens à se, ratione naturæ quæ nec producit, nec producitur, C. est à se ratione personæ, iterùm dist. per exclusionem veræ causæ ac dependentiæ, C. per exclusionem originis ab alio, adhuc

diſt. Deus Pater, C. ab eo quippe ſunt aliæ perſonæ ipſe autem à nulla eſt. Deus Filius & Spiritus ſanctus, N. Filius enim eſt à Patre, Spiritus ſanctus à Patre & Filio. Porro cùm Deus ſimpliciter dicitur ens à ſe, ſpectatur ratione eſſentiæ: ipſæ enim perſonæ Filii & Spiritûs ſancti aliquod ſui principium agnoſcunt.

Obj. 2°. contra II. Concl. Quod infinitum eſt, unicum ſit oportet; ut patet ex dictis de unitate Dei; ergo cùm proceſſio in Deo infinita ſit, unica eſſe debet.

R. diſt. ant. Quod eſt infinitum, unicum eſt in ſuo ordine, ſeu intenſivè, C. (Ità quia proceſſio per intellectum infinita eſt, unica eſt, & unicum producit Verbum: idem dicendum de proceſſione per voluntatem.) Quod infinitum eſt, debet eſſe unicum extenſivè, & in alio quocumque ordine, N. Ita proceſſio per intellectum non includit proceſſionem per voluntatem, imo hanc exigit: & utraque in ſuo ordine infinita eſt.

Inſt. Prima proceſſio totam naturam communicat & exhaurit; ergo alteri proceſſioni locum non relinquit.

R. diſt. ant. Totam exhaurit naturam, & non totaliter, ſeu in quolibet ordine, C. totam & totaliter, ac in quolibet ordine, N.

Obj. 3°. contra III. Concl. Fœcunditas quæ in generandi & ſpirandi facultate poſita eſt, ſumma eſt in Deo perfectio; ergo ſi generandi facultate careat Filius, & utraque Spiritus ſanctus, ipſis deerit ſumma aliqua perfectio: atqui perſonis divinis nulla deeſſe poteſt perfectio.

R. diſt. ant. Summa eſt perfectio in natura divina, C. in perſona divina, ſubdiſt. in perſona Patris, C. in perſona Filii & Spiritûs ſancti, N. Itaque fatemur, 1°. ſummam hanc eſſe naturæ divinæ perfectionem, quod fœcunda ſit per intellectum & voluntatem. Fatemur 2°. hanc eſſe quoque ſummam in Patre perfectionem. Fatemur 3°. in Filio etiam perfectionem eſſe quod ſpirandi vim habeat. Verum in Patre utraque perfectio relativa eſt, ut & in Filio ſpirandi vis ipſi cum Patre communis: porro perfectiones relativæ nec poſtulant, nec poſſunt eſſe omnes in ſingulis perſonis divinis; relata enim ſibi opponuntur & ſeſe invicem excludunt.

Neque tamen inde ſequitur Patrem perfectiorem eſſe Filio, & Filium Spiritu ſancto: 1°. enim quævis perſona divina perfectionem relativam quam non habet *formaliter*, habet *identicè*, propter naturæ identitatem; 2°. ideo Filius aliud verbum non generat, quia

ipſe eſt Verbum infinitum adæquans totam naturæ divinæ in eo genere fœcunditatem; idemque eſt de ſancto Spiritu: atqui id nullam arguit imperfectionem, ſed è contra; ergo.

Obj. 4°. Subſtantia Patris, imo & omnes ejus perfectiones ab eſſentia divina profluunt; ergo totidem ſunt proceſſiones diſtinctæ; ergo longè plures ſunt in Deo proceſſiones quàm duæ.

R. diſt. ant. Fluunt à divina eſſentia, tanquam à radice, & per virtualem ac impropriè dictam emanationem, quomodo proprietates ab eſſentia fluere dicuntur, C. fluunt ab eſſentia, tanquam à principio productivo & per emanationem phyſicam ac proprie dictam, quomodo Filius & Spiritus ſanctus in Deo producuntur, N.

Quæres quæ ſint præcipuæ divinarum proceſſionum proprietates.

R. plures aſſignari: 1°. enim ſunt immanentes, quia earum termini, Filius ſcilicet & Spiritus S. in ipſo Deo ſunt, Joan. cap. 10. *Pater in me eſt, & ego in Patre.* Ratio eſt, quia intellectus & voluntas facultates ſunt immanentes, quæ terminos habent, internos & ſibi intimè conjunctos.

2°. Sunt æternæ, quia ipſi Deo coævæ: unde id Mich. 2. *Egreſſus ejus* (Filii) *ex diebus æternitatis.* Idem dicendum de Spiritu ſancto. Sicut enim Pater ſeipſum ab æterno cognoſcendo, producit Verbum, ità Pater & Filius ſeſe mutuo amore proſequendo, producunt Spiritum ſanctum, qui eſt caritas increata ſubſtantialis.

3°. Sunt ſubſtantiales, id eſt terminos habent perſonales, non adventitios, quales ſunt in nobis termini intellectionis & volitionis; in Deo quippe nihil eſt accidentale.

4°. Sunt neceſſariæ; neceſſitate quippè naturæ Deus ſe ipſum cognoſcit & amat.

5°. Sunt metaphyſicæ, hoc eſt citra omnem mutabilitatem, dependentiam aut naturæ diverſitatem: ſiquidem eæ proceſſiones in ſuo conceptu important duntaxat originem unius perſonæ ab aliâ; abſque ullâ mutatione ſive in ſubjecto, ſive in termino; abſque ullâ prioritate temporis aut naturæ in unâ perſonâ; abſque ullâ dependentiâ, diviſione, vel ſectione eſſentiæ; uno verbo, abſque ullâ earum imperfectionum quæ phyſicam productionem ſemper comitantur.

*
* *

ARTICULUS SECUNDUS.

De principiis divinarum Processionum.

NOt. 1°. duplex distingui actionis principium; unum *quod*, & est ipsum suppositum agens; alterum *quo*, & est forma per quam agit; quæ cùm duplex sit, remota & proxima: duplex quoque distinguitur principium *quo*; remotum unum, & est ipsa natura; proximum alterum, & est naturæ facultas aut potentia. Sic v. g. Petrus intelligens est principium *quod*; anima rationalis est principium *quo* remotum, & intellectus est principium *quo* proximum intellectionis.

Not. 2°. quamvis in Deo, utpotè simplicissimo, persona, natura, intellectus, voluntas, intellectio, volitio, sint reipsâ quid unum & idem; Theologos tamen singula ista mente secernere, idque cum fundamento in re, propter summam divinæ naturæ perfectionem, quâ fit ut etsi omnino simplex, pluribus tamen distinctis æquivaleat.

Not. 3°. constare apud omnes, principium *quod* esse ipsammet personam producentem: principium vero *quo* remotum, naturam esse. Sed difficultas est, circa principium *quo* proximum: de isto autem multiplex est opinio.

Prima est Durandi qui docet, principium immediatum divinarum processionum esse naturam divinam, quatenus est fœcunda & infinita, non vero quatenus est intelligens ac volens,

Secùnda eorum est, qui solas relationes originis assignant pro immediato principio divinarum processionum. Ità S. Bonaventura.

Tertia aliorum est vulgo Theologorum, qui statuunt intellectum & voluntatem esse principia proxima divinarum processionum, actiones vero productivas esse intellectionem & volitionem, non quidem simpliciter; quia alioqui Filius utpotè intellectu præditus Filium alium generaret; sed prout connotant relationes, vel tanquam conditiones duntaxat necessarias, vel tanquam comprincipium; quæ quidem ex dicendis utcumque elucescent. Sit

Conclusio I. Essentia divina, præcisis per mentem intellectu & voluntate, non est per se principium *quo* proximum divinarum processionum.

Prob. 1°. ex Scripturis, ubi Filius appellatur Verbum. Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum... Verbum caro factum est:* atqui verbum proximè est ab intellectu.

Prob. 2°. ex SS. Patribus, qui affirmant Filium
Tom. 1. ex intellectu seu mente Patris procedere. S. Basilius
p. 136. Hom. 6. in illud, *In principio erat Verbum: Cur ver-*
Tom. 1. *bum,* inquit, *ut perspicuum sit processisse ex mente.* S.
p. 590. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. *Verbum dicitur, quia*
Tom. 8. *ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem.* S. Augu-
p. 284. stinus Lib. 15. de Trinitate cap. 13. *Verbum natum est ... de Patris scientiâ.* Porrò scientia ad intellectum pertinet.

Quod de Verbo per intellectum, idem & de Spiritu sancto per voluntatem procedente affirmant sancti Ecclesiæ Doctores, quem appellant *amorem, dilectionem & caritatem mutuam Patris & Filii.* Amor autem ad voluntatem pertinet.

Prob. 2°. duplici Theologicâ ratione. Prima hæc est, quia essentia per se ac immediatè non operatur, sed per suas facultates: hinc commune istud in Scholis effatum, *Essentia nec producit, nec producitur, nec generat, nec generatur.* Quod axioma confirmavit Concilium Lateranense sub Innocentio III.

Secunda ratio est, quia in sententia Durandi vix ulla reddi ratio potest; 1°. cur processio Filii prior sit origine processione Spiritûs sancti; 2°. cur Spiritus sanctus à Filio procedat, potiùs quàm Filius ab ipso; essentia enim divina ex se immediatè pariter fœcunda est ad Filium & ad Spiritum sanctum producendum; 3°. cur duæ tantum sint, non una duntaxat, aut etiam plures & infinitæ in Deo processiones. Namque processiones illæ immediatè ab essentia dimanant, quatenus est infinitè fœcunda; ergo vel unâ processione infinitâ exhauritur, vel infinitis numero processionibus opus est, ut ejus fœcunditas exhauriatur.

Obj. 1°. Natura divina seclusis per mentem facultatibus, fœcunda esse intelligitur, utpotè infinita; ergo iis præcisis concipi debet ut principium divinarum processionum.

R. dist. ant. Natura divina præcisis per mentem facultatibus intelligitur fœcunda, remotè ac radicaliter, C. proximè ac immediatè, N. Natura etenim non cogitatur in Deo fœcunditatem istam exerere, nisi per proprias sibi facultates: atque id patet in creatis, quæ non nisi per potentias suas operantur.

Obj. 2°. Patres passim prædicant Filium à Patre generari per naturam, ex quo fit ut dicatur Filius naturalis; ergo principium *quo* proximum generationis Filii est natura divina.

R. dist. ant. Per naturam, id est, per operationem quæ non sit libera sed naturalis & necessaria, C. per naturam tanquam per principium proximum, ad exclusionem intellectûs, N. Hoc unum contra Arianos volunt sancti Patres, scilicet Verbum divinum non esse Filium Dei adoptivum, sed naturalem: quod ut evincant asserunt ipsum procedere per naturam, id est, per operationem necessariam. Quod si alicubi dixerint Filium procedere per naturam, tanquam per principium, id de remoto principio, non de proximo intelligendum est.

Conclusio II. Solæ relationes divinæ non videntur esse principium *quo* proximum & immediatum divinarum processionum.

Prob. 1°. quia principium *quo* proximum processionis illud statui debet, in quo res procedens similis est principio unde procedit; atqui personæ procedentes similes non sunt in relationibus, imo per eas à se invicem distinguuntur; ergo, &c.

Prob. 2°. quia principia divinarum processionum actuosa esse debent: atqui relationes ex natura sua nihil omnino agunt. Siquidem relatio, v. g. paternitatis, vel spectatur ut est forma hypostatica Patris, vel ut est formaliter ratio, seu respectus Patris ad Filium: atqui neutro modo est actuosa. Non ut est forma hypostatica; sub ea enim ratione Patrem quidem constituit, sed nihil omnino operatur. Non etiam ut est respectus ad Filium, sic enim non est origine prior ipso Filio: *relata* enim *sunt simul naturâ & cognitione*; principium autem debet concipi ut quid origine prius eo quod producitur; ergo.

Obj. 1°. Illud est generationis Filii principium, à quo habet prima persona ut sit Pater: atqui id habet à sola paternitate; ergo sola paternitas est principium generationis Filii.

R, dist. maj. à quo, ut à principio agendi ac generandi habet, ut sit Pater, C. à quo ut formâ hypostaticâ, N. Porro prima persona habet ut sit Pater à paternitate, ut à formâ hypostaticâ, non ut à principio proximo generationis.

Obj. 2°. Principium generationis Filii debet distin-

gui à Filio genito: atqui solæ relationes in Deo distinguuntur: ergo.

R. dist. maj. Principium *quod*, C. principium *quo*, subd. secundùm aliquid suî, aut sibi adjunctum, C. omni ex parte, N. Imo cùm principium *quo* sit id in quo terminus genitus debet assimilari personæ generandi, quo perfectior est generatio, eo perfectior erit assimilatio: hæc autem quo perfectior est, eo plus excludit distinctionem quantùm excludi potest.

Conclusio III. Intellectus & voluntas sunt principia proxima divinarum processionum.

Prob. 1°. tum ex Scripturæ testimoniis quæ Concl. I. retulimus; ex Patribus ibidem adductis.

Prob. 3°. duplici ratione Theologicâ.

Prima hæc est: Ex sancto Thomâ, divinæ processiones debent proximè manare ab iis facultatibus, quæ solæ in agente spirituali sunt operativæ ad intrà: atqui intellectus & voluntas sunt hujusmodi; ergo.

Secunda sic habet: Ea sententia præ cæteris assumenda est, quâ positâ faciliùs explicantur quæ pertinent ad processiones divinas: atqui talis est præsens sententia. Hâc enim positâ explicatur, 1°. cur sint processiones in Deo; quia nempe facultates in agente spirituali non debent esse otiosæ: 2°. quare duæ sunt tantum processiones; quia nimirum duæ sunt tantum facultates activæ in Deo, intellectus & voluntas; 3°. cur processio Filii prior sit processione Spiritûs sancti, eo quod intellectûs actio voluntati semper præire debeat; 4°. cur processio Filii generatio sit, potiùs quam processio Spiritûs sancti; nimirum quia intellectus vi suâ assimilativus est, non item voluntas: quanquam vix postremum illud explicari potest, ut infrà videbimus.

Obj. Illud non est principium *quo* proximum generationis, quod commune est tribus personis divinis: atqui intellectus divinus (idem dicendum de voluntate) communis est tribus personis divinis; ergo intellectus non est principium generationis Filii, &c.

R. dist. min. Intellectus divinus communis est tribus personis, quatenus essentialiter spectatur, id est, in se præcisè & sine ulla adjuncta originis relatione, C. quatenus notionalis est, id est, quatenùs adjunctam habet originis relationem, N. Porro fatemur intellectum & voluntatem in Deo non producere, nisi quatenùs notionales sunt, id est, modificantur & determinantur relationibus originis.

Inst. Intellectus affectus paternitate, vel est aliquid

absolutum, vel est aliquid relativum: si 1°. per illum Pater non generat, intellectus enim sic sumptus est aliquid commune; si 2. jam non poterit esse principium generationis Verbi; sic enim non facit, sed supponit terminum generationis; relatio siquidem exurgit ex fundamento & termino.

R. Intellectum divinum esse principium generationis Filii, quatenùs afficitur paternitate, non ut est formaliter relatio, sed ut est in forma hypostatica: porro intellectus, sic spectatus, nec communis est tribus personis, nec supponit Filium genitum. Unde sequitur

Conclusio IV. Intellectus & voluntas non sunt principia proxima divinarum processionum, nisi notionaliter sumpti, hoc est, quatenùs adjunctas habent relationes sibi proprias.

Prob. quia principium *quo* processionum debet esse simul & distinctum à termino producto, & assimilativum: atqui in Deo sola intellectio & volitio non distinguitur à terminis productis, cùm iis communis sit: sola etiam relatio non est assimilativa; imò relationibus personæ à se invicem distinguuntur; ergo intellectio, volitio, & relatio simul sunt in Deo proximum principium divinarum personarum.

Conclusio V. Relationes adjunctæ intellectui & voluntati, non comprincipii influentis, sed conditionis duntaxat ad productionem necessariæ, rationem obtinent.

Prob. quia ex dictis & probatis suprà, relatio ex sese activa non est.

Conclusio VI. Intellectio & volitio notionales ab essentialibus non distinguuntur adæquate, ut actus ab actibus; sed inadæquatè duntaxat, ut includens & inclusum.

Prob. 1. pars: quia actus notionales *dicere* & *spirare*, essentialiter in suo conceptu formali includunt intellectionem & volitionem. Et certe Pater, juxta S. August. L. 7. de Trinit. cap. 1. formaliter constituitur *dicens* per Verbum quod producit: at verbum est ipsa formaliter cognitio, id est, formalis terminus cognitionis per quam rerum perceptio fit; ergo *dicere* est formaliter cognoscere.

Prob. 2. pars: quia actus notionalis, v. g. *dicti* peculiare aliquid addit suprà intellectionem essentialem, scilicet relationem originis, nempe paternitatem. Un-

de fit, ut licet Filius & Spiritus ſanctus intelligant, ipſis tamen non competat *dictio*.

Differunt itaque intelligere & dicere, diligere & ſpirare, non ſicut duæ rationes particulares, quo pacto dicimus divina attributa differre inter ſe conceptu objectivo ſaltem inadæquato, & magis vel minùs explicato, ſed ſicut includens & incluſum: quâ ratione in divinis perſona differt ab eſſentia, quia illam includit, & addit modum peculiarem ſeu relationem, quâ eſſentiâ contrahitur, ut ſic & concipiatur perſona.

ARTICULUS III.

De diſcrimine proceſſionis Filii à proceſſione Spiritûs ſancti.

HIc quærimus, quod adorare meliùs fuerit, quam ſcrutari, cur nimirùm proceſſio Filii dicatur generatio, non autem proceſſio Spiritûs ſancti.

Generatio definitur, *origo viventis à vivente principio conjuncto, in ſimilitudinem naturæ* addunt aliqui, majoris expoſitionis causâ, *ex vi proceſſionis*.

Dicitur 1°. *origo*, id eſt emanatio; quæ vox generalis eſt, nec ullam mutationem, aut paſſionem & diviſionem naturæ importat.

Dicitur 2°. *viventis à vivente*: nam qui generat, ut & qui generatur vivens eſſe debet; unde à vera generationis ratione excluduntur, quæ veram in ſe vitam non habent, ut ungues, &c.

Dicitur 3°. *principio conjuncto*; id eſt decisâ aliquâ parte ſubſtantiæ illius qui generat; quale eſt ſemen in animali, per quod generans aliqua ſui parte conjungitur cum eo quem generat. Hujus conditionis defectu, productio Evæ ex coſta Adami vera non fuit generatio; merè quippè paſſivè ſe habuit Adamus, nec actione ullâ vitam Evæ communicavit.

Dicitur 4°. *in ſimilitudinem naturæ*: eſt enim hic generationis finis, ut terminum producat ſimilem in naturâ ſaltem ſpecificâ: unde Filius imago Patris appellatur.

Dicitur 5° *vi proceſſionis* formaliter: ad veram enim generationem non modo neceſſe eſt, ut terminus ſimilis ſit generanti, ſed etiam ut facultas, per quam terminus generatur, ex ſe tendat ad communicandam naturæ ſimilitudinem: quam clauſulam idcirco adjiciunt, ut efficiant Verbum ideo eſſe Filium, quia procedit

per intellectum, cujus proprium est terminum sibi assimilare. Sit

Conclusio I. Processio Verbi divini dicenda est generatio. Est de fide.

Prob. 1. ex Scriptura, Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Isaiæ 53. *Generationem ejus quis enarrabit?* Joan. 1. v. 18. *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ex his sic: Ea processio merito dicitur *generatio*, cujus principium est *Pater*, terminus vero *Filius*: atqui principium processionis Filii est *Pater*, terminus vero *Filius*; ergo.

Prob. 2°. ex Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasiano, in quibus verbum dicitur, *Filius Dei unicus, unigenitus*, &c.

Prob. 3°. quia definitio generationis antea adducta, seclusis omnibus imperfectionibus creatæ generationis, processioni Filii rectè congruit; 1°. enim est origo, id est, emanatio, processio. Joan. 8. *Ego ex Deo processi*; 2°. est viventis à vivente. Joan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso*; 3°. est à principio conjuncto. Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est.*; 4°. denique, est in similitudinem, imo in unitatem naturæ. Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Idque vi ipsâ processionis; cùm Filius eo sit Filius, quia tali modo procedit: etsi modum hunc nec scrutari possimus, nec evolvere, uti paulo post patebit.

Conclusio II. Sola processio Verbi dicenda est generatio.

Prob. 1°. Scriptura, quæ disertis verbis pronuntiat Verbum esse Filium Dei unigenitum. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Idem constat tum ex Ecclesiæ decretis, quibus confixi sunt, qui plures filios in Deo admisêre; tum unanimi Patrum consensu, quos latè refert Petavius Tom. 2. Lib. 7. cap. 13.

Prob. 2°. quia Spiritus sanctus procedit ut similis in natura, materialiter duntaxat & identicè; non autem formaliter & vi processionis, procedit enim per voluntatem, quæ ex se non est facultas assimilativa.

Hæc ratio, licet utcumque probabilis, non est tamen convincens, ut patebit ex mox dicendis.

Conclusio III. Nulla potest afferri ratio undequaque satisfaciens, cur sola processio Filii dicenda sit generatio.

Prob. 1°. generatim iis omnibus tùm Scripturæ,

tùm Patrum testimoniis supra adductis, ut probaremus mysterium SS. Trinitatis solâ ratione cognosci ac demonstrari non posse.

Prob. 2°. speciatim iis SS. Patrum textibus qui Conclusionem nostram diserte adstruunt. S. Athana-
T. 1. sius Oratione 3. quæ est 2. contra Arianos n. 36. *Nec,*
p. 503. inquit, *investigare convenit.... quomodo gignit Deus,*
Pag. *quisve ille sit Dei gignendi modus. Insanus enim is est*
793. *æstimandus, qui ista scrutare non verebitur.* S. Hila-
T. 2. rius Lib. 2. de Trinitate, loquens de generatione Filii,
p. 456. ait, *Ego nescio, non requiro; & consolabor me tamen. Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt, secula non tenent,* &c. S. Ambrosius Lib. 1. de fide c. 10. *Mihi impossibile est generationis* (Filii) *scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum. ... Licet scire, quod natus sit; non licet discutere quemadmodum natus sit.*

Ex quibus testimoniis colligitur, illos Patres, si quas interdum protulêre rationes discriminis inter generationem Filii & processionem Spiritûs sancti, satis significasse has sibi non omnino certas visas fuisse, & quæ undequaque satisfacerent.

Prob. 3°. expendendo præcipuas rationes, quas celebriores Theologi proferunt discriminis inter utramque processionem: qui enim eas æquo animo ponderaverit, apertè perspiciet, eas nec evidentes esse, nec plenè satisfacere.

1°. enim Richardus à S. Victore, Alensis. Major, & alii nonnulli discrimen generationis Filii à processione Spiritûs sancti ex eo repetunt, quod Filius accipiat à Patre naturam fecundam ad producendum Spiritum sanctum, Spiritus vero sanctus naturam exhaustam accipiat & expertem foecunditatis. Quapropter conditionem istam in definitione generationis appositam, *in similitudinem naturæ* intelligunt iidem Theologi, non tantum de similitudine in essentia, sed etiam in modo præcipuo operandi, qui proprius est viventium: hoc est, ut omne vivens quod aliud producit, radicalem saltem foecunditatem ipsi communicet.

Refellitur explicatio hæc 1°. ex definitione generationis, quæ fœcunditatem per se non postulat. Eo enim quispiam filius censetur, quo similem naturam accepit à patre: an autem foecunda sit natura, necne, generationi omnino extrinsecum existimatur.

2°. Si Verbum, ut Filius sit, debet esse fœcundum, eo utique modo foecundum esse debet, quo Pater: at-

qui non ità eſt. Nam Pater ità foecundus eſt, ut per mentem Filium generet, & per voluntatem Spiritum ſanctum producat: atqui non ità foecundus eſt Filius. Nihil enim per intellectum producit, nec alterum Filium generat, ergo.

3°. Si in iſta foecunditate reponeretur naturæ ſimilitudo, quam generatio poſtulat, inde ſequeretur, Spiritum ſanctum nullatenus eſſe ſimilem Patri & Filio; ſiquidem nullâ ex parte foecundus eſt.

Cenſet 2°. S. Bonaventura idcirco ſecundam SS. Trinitatis perſonam eſſe Filium, quia procedit ſecundum naturam, nempe per intellectum; Spiritum vero ſanctum, non eſſe Filium, quia procedit per voluntatem.

Verum nec iſta expoſitio ſatisfacit. Nam procedere ſecundum naturam, vel idem eſt quod procedere neceſſario, non autem libere; vel idem eſt ac procedere ex foecunditate divinæ naturæ, ut ipſe S. Bonaventura ibidem exponit: atqui nullus ex his modis ſufficienter exponit diſcrimen generationis Filii à proceſſione Spiritûs ſancti. Non 1. quia Spiritus ſanctus neceſſario, non liberè intra Deum procedit; neque enim poteſt Deus ſeipſum & Filium mutuâ dilectione amando, abſtinere à producendo Spiritu ſancto, qui eſt amor perſonalis & ſubſtantialis Patris & Filii. Non 2. quia Spiritus ſanctus æque ac Filius ex naturâ divinâ, eâque foecundâ, ut principio remoto procedit; ergo.

3°. Exiſtimant aliqui cum Scoto, Lib. 1. Sent. diſt. 13. proceſſionem Filii ſeipsâ generationem eſſe ac diſtingui à proceſſione Spiritûs ſancti.

Verùm iſta reſponſio difficultatem fugit, non ſolvit. Scimus equidem duas illas proceſſiones diſtingui, ſed rationem quærimus hujuſce diſtinctionis ſeu diſcriminis; quare ſcilicet una ſit generatio, non altera, diſcrimen autem illud Scotus non aſſignat.

4°. Aliam iniit viam Vaſquez, & docuit Filium divinum non ideo præcisè genitum eſſe, quia vi proceſſionis naturam ſimilem à Patre accipit; ſed quia præter ſimilitudinem in natura proprios ac perſonales Patris charactères repræſentat.

Refellitur 1°. quia ratio generationis eſſentialiter non poſtulat aliam ſimilitudinem quàm in natura; ergo Filius non ideo eſt genitus, quia repræſentat characteres proprios ac perſonales Patris; 2°. quia poteſt quis alterum repræſentare, nec tamen ejus eſſe filius; e contra autem poteſt quis eſſe filius ejus, cui nec vultu

nec corporis conformatione similis sit; non ergo requiritur ut Filius dicatur genitus, ratio imaginis expressivè omnium proprietatum personalium Patris.

5°. Docent alii cum Suare processionem Verbi idcirco generationem esse, quia Verbum procedit per intellectionem actualem, quæ gradus est specificus ac ultima differentia divinæ naturæ; Spiritus verò sanctus per volitionem actualem, quæ supponit naturam divinam jam constitutam.

Sed malè; quia gradus specificus ac ultima differentia, est in re qualibet quid primum, fonsque ceterorum: atqui intellectio actualis non est quid primum in Deo. Præsupponit enim intelligendi facultatem; facultas autem ipsa, naturam. Vide suprà p. 56.

6°. demùm sentiunt plures cum S. Thoma, processionem Filii esse generationem, quia fit per intellectum, cujus proprium est assimilare sibi terminum; processionem vero Spiritûs sancti fieri per voluntatem, quæ ex natura sua non tendit ad similitudinem, sed ad unionem duntaxat.

Verum ista etiam expositio planè certa non videtur, ac gravissimis subjacet incommodis.

1°. quia certum non est, intellectum, cùm intelligit, producere intra se speciem, seu verbum mentis, quod sit viva & formalis objecti repræsentatio. Ità quidem opinantur Peripatetici, sed alii Philosophi dubitant.

2°. Non est de ratione intellectûs ut sic, ut assimilet sibi terminum in natura; sed tantum ut assimilet intentionabiliter: quomodo ergo habebit Verbum divinum, quod sit Filius Patris consubstantialis præcise ex eo, quod procedat per intellectum?

3°. Ex adducta ratione videtur sequi Spiritum sanctum vi suæ processionis formaliter æquo jure dici debere Filium, ac Verbum ipsum. Ille enim formaliter ac vi processionis Filius dici potest perinde ac Verbum, qui tam similis est in natura divina vi suæ processionis formaliter, quàm ipsum Verbum: atqui talis est Spiritus sanctus. Nam qui formaliter ac vi suæ processionis est Deus unus cum Patre & Filio, ille formaliter similis est in natura cum Patre & Filio: sed Spiritus sanctus formaliter vi suæ processionis Deus est. Tum quia formaliter & vi processionis est persona subsistens ac divina; cùm non possit procedere ut accidens, vel ut mera quædam qualitas. Tùm quia formaliter procedit per voluntatem divinam, quæ ex se tendit ad

unionem perfectissimam seu substantialem; ergo & ad similitudinem: nihil quippe tam simile est alteri, quàm quod unam habet cum ipso naturam.

Nec est quod dicant, voluntatem ex sua formali ratione hoc tantùm habere, ut producat terminum intentionalem, seu unionem metaphoricam.

Namque esto voluntas generatim quatenus abstrahit à divina & humana, hoc tantum assequatur; at saltem voluntas divina formaliter & ex se producit terminum substantialem, Deum nempe ipsum, seu personam Spiritûs sancti: aliàs non absimili argumento probari posset, intellectum divinum producere duntaxat verbum intentionale, non substantiale; quia nempe intellectus ut sic, prout abstrahit à divino & humano tendit tantùm ad similitudinem intentionalem.

Longe igitur satius videtur si cum Augustino* dicatur: *Non omne quod procedit nascitur, quamvis omne procedat quod nascitur....hœc scio; distinguere autem inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.*

* *L. 3. contra Maximin.*

QUÆSTIO SEXTA.

De divinis Relationibus.

EXpendendum in hac quæstione, 1°. an, quid, & quot sint in Deo relationes? 2°. an, & quomodo distinguantur tum ab essentia, tum à se invicem? 3°. quod sit earum officium, quæ partes.

ARTICULUS PRIMUS.

An, quid, & quot sint in Deo relationes?

RElatio generatim est ordo unius ad alterum. Constat esse in Deo relationes quasdam tribus personis communes, v. g. relationes identitatis, æqualitatis, similitudinis: sed quæritur 1°. annon insuper admittendæ sint relationes propriæ ac personales, quæ vulgo vocantur relationes originis, quia fundantur in origine seu processione unius personæ ab alia; 2°. an eæ sint reales, &c. Quod ut definiamus, sit

Conclusio I. Sunt in Deo relationes originis.

Prob. 1°. Ex suprà dictis, sunt in Deo veræ processiones: sed illæ concipi non possunt sine relationibus originis, per quas persona producens refertur ad

personam productam; Pater scilicet ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad Patrem & Filium.

Prob. 2°. Sunt in Deo tres personæ realiter distinctæ: atqui distinctio personarum in divinis fundatur in relatione originis; ergo.

Prob. 3°. Sunt in personis divinis proprietates quædam singulares, quibus illæ constituuntur ac distinguuntur, prout infra ostendemus: sed proprietates non sunt communes, nec absolutæ; ergo sunt relativæ; ergo sunt in Deo veræ ac personales relationes originis.

Verum nova hic suboritur difficultas. An nimirum relationes divinæ reales sint, an rationis tantum.

Not. Relatio *rationis* ea est quæ fingitur ab humanâ mente inter ea quæ suapte naturâ ad invicem non referuntur; talis est relatio generis & speciei, prædicati & subjecti: relatio vero *realis* est, quâ unum à parte rei ad aliud ordinatur nemine cogitante; eaque vel accidentalis est subjecto, vel eidem essentialis. Utraque vero hæc duplicem habet respectum, primum quidem ad subjectum in quo est, & respectus ille appellatur *esse in;* secundum vero ad terminum & correlatum, & is respectus, *esse ad* nuncupatur. Sic paternitas spectata prout est in patre, consideratur secundum *esse in;* quatenus vero dicit ordinem ad filium, spectatur secundum *esse ad.* Sit jam

Conclusio II. Relationes in Deo accidentales non sunt, nec adventitiæ; sed essentiales, internæ, & omni respectu reales.

Prob. 1. pars, tum quia relationes originis in Deo sunt ipsamet realiter & identice divina substantia; tum quia concipiuntur a nobis tanquam formæ quædam, seu proprii characteres, quibus personæ in se constituuntur, & a se invicem distinguuntur, ut mox exponemus; tum denique quia omne accidens physicum imperfectionem aliquam involvit: omnis autem vel imperfectionis umbra procul est a Deo.

Prob. 2. pars, nempe relationes divinas originis, omni respectu, hoc est, tum secundum esse *in*, tum secundum esse *ad*, reales esse. Et illas quidem reales esse secundum esse *in*, nullus Catholicus in dubium revocat. Reales autem esse etiam secundum esse *ad*, constat, tum ex momentis mox adductis, quæ simpliciter & absolute relationes illas reales esse ac subsistentes demonstrant; tum quia sub ea ratione debent esse reales, quâ personas constituunt, & a se invicem

distinguunt, & ad sese mutuo referunt; atqui istud non præstant nisi secundum suum esse *ad*; ergo isto etiam respectu reales sunt.

Conclusio III. Quatuor duntaxat in Deo sunt relationes originis, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa & spiratio passiva.

Prob. quia ex dictis, duæ tantum sunt in Deo processiones, una per intellectum, altera per voluntatem: sed ex duabus processionibus necessario resultant quatuor relationes. Namque ubi sunt duæ productiones, ibi sunt duæ relationes personarum producentium, & duæ personarum quæ producuntur: sic in Patre est relatio paternitatis ad Filium; in Filio relatio spirationis ad Patrem; in Patre & Filio relatio spirationis activæ ad Spiritum sanctum; & in Spiritu sancto relatio spirationis passivæ ad Patrem & Filium, per quas relationes divinas, personas in se constitui in ratione personæ, & à se invicem distingui, inferius ostendetur.

Quæres an relationes divinæ sint perfectiones.

Not. 1°. Controversia movetur duntaxat de relationibus divinis secundum esse *ad*: nemo quippe dubitat, eas secundum esse *in*, seu subjectivè sumptas, veras esse perfectiones.

Not. 2°. inter perfectiones alias esse quæ dicuntur simpliciter simplices; alias vero simplices. Utrasque definimus suprà p. 72. Sit igitur

Conclusio IV. Relationes divinæ formaliter ut relationes sunt, ac secundum esse *ad*, veræ sunt ac reales perfectiones.

Prob. 1°. ex Patribus. S. Cyrillus in Thesauro, conceptis verbis ait, Patrem esse perfectum, non tantum quia Deus est, sed etiam quia Pater est: sed qui perfectus est quatenus Pater, perfectus est quatenus refertur ad Filium; ergo relatio etiam secundum esse *ad* est perfectio.

S. Damascenus, Lib. 1. de fide orthod. c. 11. existendi modum personæ, id est, relationem, expresse perfectionem appellat. Concinit S. Thomas, q. 40. art. 3. ad 1. ubi ait, proprietates personales quibus distinguuntur personæ, ad dignitatem personæ constitutæ pertinere.

Prob. 2°. Quidquid reale est, & id omne habet quod in suo gradu postulat, illud perfectum est: atqui ex dictis, relationes originis in Deo reales sunt, &

id omne habent, quod ex sua formali ratione postulant; ergo.

Præterea: Quod divinam naturam certo modo complet ac divinas personas in ratione personæ constituit, illud in ordine suo perfectum est: atqui tales sunt divinæ relationes; ergo.

Dices: Ex Conclusione nostrâ sequitur, unamquamque personam aliquâ carere perfectione, relatione scilicet sibi oppositâ, quæ juxta nos vera est perfectio: ità Pater caret filiatione, Filius paternitate, Spiritus sanctus spiratione activâ.

R. 1°. nego maj. quia una est numerica in tribus personis divinis essentia, cui omnes perfectiones tum absolutæ tum relativæ insunt; ac consequenter una persona non est alia perfectior, neque propriè aliquâ caret perfectione, cùm eandem habeat divinam essentiam, quæ omnem in se perfectionem continet.

R. 2°. dist. maj. Sequitur unamquamque personam aliquâ carere perfectione relativâ, esto: perfectione absolutâ, N. Porrò licet una persona oppositâ sibi perfectione relativâ careat, non idcirco tamen altera minùs perfecta dici potest: quia æquè summè perfecta est filiatio, v. g. in Filio, quam paternitas in Patre, propter summam divinarum relationum in essentia divina identitatem.

ARTICULUS SECUNDUS.

De distinctione divinarum Relationum.

RElationes divinæ comparari possunt vel cum essentiâ, vel inter se. Si inter se, vel comparantur cum relationibus oppositis, v. g. paternitas cum filiatione, spiratio activa cum passivâ: vel cum relationibus disparatis & minime oppositis, qualis est spiratio activa comparata cum paternitate & filiatione. Quæritur itaque, 1°. an relationes originis, quæ sibi mutuo opponuntur, realiter inter se distinguantur; 2°. an spiratio activa realiter distinguatur à paternitate & filiatione. Sit

Conclusio I. Relationes divinæ ab essentia divina realiter non distinguuntur.

Prob. ex vulgato Scholæ pronunciato, *Omnia in divinis sunt quid unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio*: atqui nulla occurrit oppositio essentiam

inter & relationes; ergo. Repete quæ dicta sunt in Tract. de Attributis, p. 57.

Conclusio II. Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur: paternitas, filiatio, & spiratio activa comparata cum passivâ, realiter inter se distinguuntur.

Prob. quia relationes illæ mutuam inter se dicunt oppositionem; neque enim fieri potest, ut qui pater est, idem sit sui filius: sed ubi est plurium oppositio, ibi est & distinctio; ergo.

Præterea, divinæ personæ plures sunt, & ab invicem realiter distinctæ per relationes originis, ut constat ex dictis; ergo illæ relationes originis realiter inter se distinguuntur.

Conclusio III. Spiratio activa non distinguitur realiter à paternitate & filiatione, sed virtualiter tantùm.

Prob. 1°. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi statuitur, non esse in Deo rerum quaternitatem: at suppositâ reali distinctione inter activam spirationem & paternitatem ac filiationem, esset vera rerum quaternitas in Deo, scilicet paternitas, filiatio, spiratio passiva, & spiratio activa.

Prob. 2°. Ex dictis hic sæpius, nulla est in divinis distinctio, nisi ubi est oppositio relativa: atqui nulla est oppositio relativa inter spirationem activam, & paternitatem & filiationem: oppositio enim in divinis fundatur in reali processione unius ab alio: atqui spiratio activa realiter ac per veram originem non procedit à paternitate & filiatione, sicut procedit spiratio passiva, seu Spiritus sanctus; ergo etsi realis est distinctio inter spirationem activam & passivam, seu inter Patrem & Filium spirantes, & Spiritum sanctum spiratum seu productum, non tamen inter spirationem activam, & paternitatem & filiationem; ergo iterum spiratio activa ab his nonnisi virtualiter distinguitur, quomodo cetera attributa tùm à se invicem, tùm ab essentia virtute distinguuntur.

Obj. 1°. Ea distinguuntur realiter, quæ distinctos producunt terminos; quorum item unum personam constituit, alterum vero non constituit; quorum denique unum est communicabile, alterum vero incommunicabile: atqui sic se habet paternitas & filiatio comparata cum spiratione activa: 1°. enim paternitas alium habet terminum, quam spiratio activa; 2°. paternitas constituit personam Patris; non ità spiratio activa, unde personalis dici non solet; 3°. paternitas

est incommunicabilis, spiratio vero activa Filio communicatur; ergo.

R. nego maj. Distinctio quippe virtualis fundata in eminentia divinæ naturæ sufficit, ut tria propositæ difficultatis capita solvantur.

Ad 1. Una & eadem res in se indistincta potest distinctos terminos, vel effectus producere: Unus & idem Sol diversos effectus producit: una & eadem arbor distinctos fructus, &c. quidni ergo una & eadem entitas divina, quæ simul & paternitas est & spiratio activa, distinctum terminum habeat? Certè tanta non requiritur in principiis distinctio, quanta reperitur in terminis.

Ad 2. Quâ ratione concipimus, simplicissimam in se Dei essentiam, propter suam eminentem perfectionem pluribus distinctis æquivalere, adeoque communicari prout absoluto, non communicari, prout relativo æquivalet; eâdem ratione dicimus, paternitatem, etsi indistinctam, realiter à spiratione activâ constituere Patrem in ratione personæ, spirationem vero non constituere. Et vero Pater priùs intelligitur generans Filium quàm producens Spiritum sanctum, quia Filius per intellectum, Spiritus vero sanctus per voluntatem procedit; ergo necessum est ut Pater priùs in ratione personæ constituatur quàm Spiritum sanctum producat.

Ad 3. ideo paternitas est incommunicabilis Filio, quia ipsi opposita est relativè; at spiratio activa non opponitur Filio: unde cùm Pater Filium producendo id totum ipsi communicet, in quo nulla est inter ipsos oppositio, necesse est ut ei vim spirandi communicet.

Obj. 2°. Spiratio activa quæ est in Filio, est à Patre; ergo à paternitate distinguitur.

R. dist. ant. Est à Patre per communicationem, quomodo essentia Filii à Patre est per communicationem, & simplicem, ut vocant emanationem, C. est à Patre tanquam ab origine ac principio producente, N.

Inst. 1°. Spiratio passiva nullam habet oppositionem cum paternitate & filiatione, & tamen ab *iis* realiter distinguitur; ergo a pari.

R. dist. ant. Spiratio passiva nullam habet immediatam oppositionem cum paternitate ac filiatione, C. nullam habet oppositionem mediatam, N. namque paternitas & filiatio adjunctam habent spirationem activam, quâ mediante opponuntur relativè Spiritui sancto.

Inſt. 2°. Tam ſpiratio activa in Patre mediante paternitate opponitur filiationi, quàm filiatio mediante ſpiratione activâ opponitur ſpirationi paſſivæ; atqui, &c. R. nego maj. Diſparitas eſt, quod Filius mediante ſpiratione activâ producat Spiritum ſanctum: contra vero Pater, mediante ſpiratione activâ non producat Filium: atque ità nulla inter relationes illas eſſe poteſt oppoſitio etiam mediata.

ARTICULUS III.

De officio Relationum in Deo.

NOt. 1°. in Patre Filium generante conſiderari poſſe, 1°. eſſentiam, quæ eſt principium *quo* remotum generationis; 2°. intellectum, qui eſt principium *quo* proximum; 3°. intellectionem, quæ eſt actio ipſa generans; 4°. perſonam Patris, quæ eſt principium *quod*; 5°. denique, relationem Patris ad Filium, quæ ipſa ſpectari poteſt, vel ut eſt formaliter & explicitè relatio referens Patrem ad Filium, vel ut eſt forma hypoſtatica conſtituens Patrem in ratione communi perſonæ.

Not. 2°. relationes, cùm perſonis inhæreant ſimulque eas ad alias perſonas referant, concipi poſſe, vel ſecundùm eſſe *in*, ſeu quatenus inhærent; vel ſecundùm eſſe *ad*, ſeu quatenùs alias reſpiciunt. Rurſus eædem relationes ſpectari poſſunt, 1°. ut formæ quædam hypoſtaticæ, ſeu quatenùs perſonas conſtituunt; 2°. ut origines, ſeu quatenus actus notionales ad productionem determinant; 3°. ut ſunt *formaliter* relationes, ſeu quatenùs actu perſonas ad ſe invicem referunt.

Jam quæruntur duo; 1°. an ſint in divinis perſonis proprietates quædam ſpeciales, quibus illæ in ſe conſtituantur, & ab aliis diſtinguantur; 2°. an relationes divinæ conſtituant perſonas quatenùs ſunt formæ hypoſtaticæ, & ſecundùm eſſe *in*: an quatenùs ſunt formaliter relationes, & ſecundùm eſſe *ad*?

Conclusio I. Sunt in Deo proprietates, & perſonales, & relativæ, quibus perſonæ divinæ conſtituuntur.

Prob. 1. pars: 1°. ex communi SS. Patrum uſu. Hi enim id per quod perſonæ divinæ diſtinguuntur, vocant formas, notiones, characteres, proprietates, &c.

P. 301. T. 1. p. 167. Sic Tertullianus L. contra Praxeam c. 2. aït, *tres esse in Deo non statu, sed gradu, non substantiâ, sed formâ.* S. Basilius L. 2. contra Eunomium: *Proprietates*, inquit, *quæ veluti quidam characteres ac formæ in substantia considerantur, id quod commune est distinguunt quidem propriis characteribus; at substantiæ communitatem dirimunt.* Denique Ecclesia in præfatione Missæ de Trinitate sic canit: *ut in personis proprietas, in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas:* atqui his omnibus clare adstruuntur proprietates personarum constitutivæ; ergo.

Prob. 2°. quia debet aliquid admitti, quo persona in esse personæ constituatur & distinguatur à qualibet aliâ: sed id quod constituit & distinguit rem aliquam, ejus proprietas solet appellari, quia illius propria est ac singularis; ergo.

Prob. 2. pars; 1°. quia fide constat, solum Filium incarnatum fuisse; ut qui solus hypostatice unitus sit cum natura humanâ: atqui unio illa perfecta non fuit immediate in natura, quæ communis est Patri & Spiritui sancto, aliàs dici posset eos pariter incarnatos fuisse; ergo unio illa perfecta fuit immediate in eo, quod est Filio proprium & singulare; & id est quod proprietatem nuncupamus. 2°. Docet Catholica fides, duas esse in Christo Domino naturas, in unitate suppositi: atqui fuit istud fidei nostræ caput, si verum est, quod contendit * aliquis, personam Filii non esse realem in ipso proprietatem. In Filio enim nihil aliud est præter naturam divinam, & proprietatem illam personalem: atqui illa proprietas non est realis in mente Scriptoris hujus; ergo sola superest natura quæ in incarnatione unita fuit; ac consequenter falsò affirmatur, duas esse in Christo naturas in unitate suppositi, nisi forte velit ille, nomen personæ duntaxat esse extrinsecum, quod & absurdum foret, & à fide prorsus alienum.

* Faydit.

Conclusio II. Persona divina in ratione communi & quasi genericâ personæ considerata, constituitur per relationem ut est forma hypostatica, seu per relationem spectatam secundùm esse *in*: at vero considerata in ratione quasi specificâ talis personæ, constituitur per relationem formalem, seu per relationem secundùm esse *ad* spectatam. V. g. Pater in ratione communi personæ constituitur per paternitatem, quatenus est forma hypostatica: Pater vero in ratione ex-

plicitâ & ſingulari Patris conſtituitur, per reſpectum ad Filium.

Prob. 1. pars. quia ratio perſonæ generatim ſpectata, præciſivè à perſona divina vel creata, formaliter non ſonat quid relativum, ſed tantùm naturâm rationalem individuam ſubſiſtentem; ergo perſona divina, v. g. Pater, in ratione communi & quaſi genericâ perſonæ conſideratus, non conſtituitur formaliter per relationem paternitatis ut filium reſpicit, ſed per paternitatem quatenùs eſt forma hypoſtatica.

Denique, priùs, ſecundùm noſtrum concipiendi modum, intelligimus perſonam conſtitui, quàm agere vel ad aliam referri; ergo priùs conſtituitur perſona in ratione confusâ perſonæ per relationem, quatenùs eſt forma hypoſtatica, quàm per eandem, quatenùs eſt formaliter relatio terminum reſpiciens.

Prob. 2. pars: quia perſona divina diſtinctè in ratione ſingulari talis perſonæ conſiderata, per id conſtituitur quod ipſi proprium eſt, & à quo ſuam habet denominationem; atqui relatio ſecundùm ſuam formalem rationem, quatenùs terminum reſpicit, propria eſt & maximè ſingularis cuilibet perſonæ, quæ ab ea denominatur talis. V. g. relatio paternitatis, quatenùs Filium reſpicit, ſoli Patri propria eſt, eumque patrem denominat; ergo perſona divina conſtituitur in ratione explicitâ talis perſonæ, per relationem formaliter ſpectatam, quatenùs reſpicit terminum.

Obj. 1°. contra ſecundam primæ Concluſionis partem, Relatio Patris ad Filium ſupponit perſonam Patris jam conſtitutam, ſupponit enim generationem, quæ utpotè actio ſupponit perſonam: atqui quod ſupponit perſonam, non poteſt eam conſtituere; ergo relatio non poteſt perſonam conſtituere.

R. ad 1. neg. maj. Relatio enim paternitatis in Patre divino non ſupponit perſonam Patris, ſed ipſam conſtituit, vel confusè & in genere, ſi ſpectetur ut eſt forma hypoſtatica; vel diſtincte ac explicite in ratione talis perſonæ, ſi ſpectetur ut eſt, *formaliter* relatio.

Ad 2. diſt. Actio ſupponit perſonam jam conſtitutam, actio, inquam, creata, quæ ab ipſo ſuppoſito diſtinguitur, C. actio increata qualis eſt generatio in Patre, ſubdiſt. ſupponit perſonam conſtitutam in ratione communi & confusâ ſuppoſiti per formam hypoſtaticam, C. in ratione ſpecificâ talis perſonæ, N. Solutio patet ex dictis Concluſione 2.

Obj. 2°. Multi ex SS. Patribus totum discrimen personarum repetunt ex origine, seu ex eo quod Pater sit generans & ingenitus, Filius autem genitus, Spiritus vero sanctus procedens; ergo personæ divinæ constituuntur & distinguuntur, non per relationem, sed per origines activas & passivas, ut contendit sanctus Bonaventura.

R. dist. ant. SS. Patres repetunt discrimen personarum ex origine, tanquam ex radice ac fundamento præsupposito, C. tanquam ex principio formali, N. cùm origo, relatio & subsistentia unum & idem sint in Deo, perinde fuit SS. Patribus dicere personas distingui origine, ac distingui relatione, non adductis illis præcisionibus, quas Scholæ Magistri tùm ad elucidationem mysterii, tùm ad Scholæ exercitium excogitantur.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De notionibus divinarum Personarum, &c.

PLura hìc utpote leviora conjungimus.

ARTICULUS PRIMUS.

De existentia, & numero divinarum Notionum.

NOtio idem est ac character seu nota peculiaris, quâ personas divinas dignoscimus, & ab invicem distinguimus. Quæritur an & quot id genus notiones in divinis admitti debeant. Sit

Conclusio I. Admittendæ sunt in Deo notiones. Propositio, ait Sylvius, pertinet ad fidem.

Prob. quia sunt in Deo plures personæ, quæ proprias habent proprietates, quibus in se constituuntur, à se invicem distinguuntur, & à nobis cognoscuntur, ut constat ex supra dictis; atqui proprietates illæ idem sunt ac notiones; ergo.

Ut solvatur secunda quæstio, de qua lis præcipua movetur, Notand. ad veram notionem quatuor vulgo conditiones requiri.

Prima est, ut notio non sit perfectio communis tribus divinis personis. Ratio est, quia personæ dignoscuntur & distinguuntur per notiones; non distinguuntur autem per attributa absoluta, seu communia.

Secunda est, ut pertineat ad originem unius personæ ab alia. Notio enim est quid distinctivum; in divinis autem nihil est distinctivum, nisi quod ad originem pertinet.

Tertia, ut dignitatem importet. Persona enim nomen est dignitatis; ergo & nota quâ persona innotescit. Hinc improductivitas in Spiritu sancto, non est notio, quia ad ejus perfectionem non pertinet, quod non possit personam producere.

Quarta denique est, ut proprietas per notionem expressa non significetur per modum viæ ac tendentiæ ad aliud, sed per modum formæ permanentis. Ratio est quia notio est character quo persona jam constituta dignoscitur; ergo exprimi debet nomine significante formam permanentem ac stabilem. His suppositis, fit

Conclusio II. Admittendæ sunt in Deo quinque notiones, non plures, nec pauciores; nempe, innascibilitas, & quatuor relationes, seu paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva,

Prob. 1°. quia notiones duplici de causa admittuntur à Theologis; 1°. ut per eas personæ ab invicem distinguantur; 2°. ut certus earum numerus contra Hæreticos definiatur: atqui ad 1. quatuor notiones sunt necessariæ, nempe paternitas, quâ Pater à Filio; filiatio, quâ Filius à Patre; spiratio activa, quâ Pater & Filius à Spiriru sancto; & spiratio passiva, quâ Spiritus sanctus ab utroque distinguitur. Ad 2. vero addi necessario debet innascibilitas. Namque ne plures in Deo cogitentur processiones quàm duæ, ac proindè plures personæ quàm tres, necesse est intelligere unum è tribus personis sic producere ut non producatur: cùm vero id non satis declaretur per paternitatem quia qui pater est, ab alio patre produci potuit; necesse est aliam supponere notionem, nimirum innascibilitatem, per quam pater à nullo esse intelligitur.

Prob. 2°. quia singulæ & solæ mox recensitæ notiones, omnes habent conditiones ad veram notionem requisitas. Nulla enim est ex iis, quæ non sit propria; quæ ad originem non pertineat; quæ dignitatem non sonet; quæ permanens non sit.

Obj. 1°. Cum iis qui notionum numerum augent: Tam ingenerativas in Filio, & improductivas in Spiritù sancto distinctæ notiones sunt, quàm innascibilitas in Patre; ergo plures sunt quàm quinque notiones.

Prob. ant. Ideo admittitur innascibilitas, tanquam notio distincta à paternitate, quia paternitas sufficienter non explicat Patrem ab alio non esse: atqui pariter filiatio in Filio sufficienter non declarat eum alium filium non producere; spiratio quoque passiva in Spiritu sancto, sufficienter non excludit alium quem ipse spiret; ergo tam ingenerativitas in Filio, & improductivitas in Spiritu sancto notiones sunt, quàm innascibilitas in Patre.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. nego maj. Disparitas duplex est, 1°. quia per filiationem quâ Filius, & per spirationem passivam quâ Spiritus sanctus dignoscuntur, sufficienter declaratur, nec à Filio filium alium, nec à Spiritu sancto spiritum alium produci. Namque eo ipso quo Filius divinus appellatur, procedere concipitur per intellectum divinum, sicut & Spiritus sanctus per voluntatem; ac consequenter nec à Filio alium generari filium, nec à Spiritu sancto alium spirari spiritum: quia & Filius exhaurit in Patre vim totam generandi, & Spiritus sanctus vim totam spirandi, cùm uterque infinitus sit, & facultatis jam exhaustæ multiplex esse non possit terminus infinitus; 2°. quia, ex dictis, notio dignitatem ac perfectionem exprimit: ita in Patre esse principium sine principio, honorificum quid ac perfectissimum insonat. At non ità est de ingenerativitate in Filio, & inspirativitate in Spiritu sancto: neque enim, secundum nostram concipiendi rationem, perfectioni deputamus alium non producere; imo sterilitas, nisi supponeret, in divinis terminum facultati infinitæ commensuratum, esset vera imperfectio.

Obj. 2°. Esse fontem totius divinitatis, dignitatem in Deo significat, ergo est in Patre notio innascibilitati addenda.

R. dist. ant. Esse fontem totius divinitatis, est perfectio ab innascibilitate, paternitate & spiratione activâ indistincta, C. distincta, N.

Jam cum iis qui numerum notionum minuunt,

Obj. 1°. Non plures sunt notiones quam relationes: notiones enim sunt proprietates relativæ: atqui sunt tantùm quatuor relationes; ergo.

R. nego maj. Notiones enim necessariæ sunt ut de numero personarum constet: porro si non plures essent notiones quam relationes, constaret quidem tres esse personas, sed non constaret tres tantum esse.

Obj. 2°. Notio debet perfectionem aliquam dice-

re: atqui talis non est innascibilitas, quæ meram exprimit negationem.

R. neg. min. Etsi enim innascibilitas quoad nomen negativi quid significet, quoad rem significat summam & positivam perfectionem, per quam Pater cognoscitur tanquam fons & origo divinarum processionum. Et vero infinitas & independentia negativè sonant, & tamen grandia & maximè positiva exprimunt.

Inst. Si innascibilitas perfectionem sonat; ergo imperfectionem sonat, esse seu procedere ab alio; ac consequenter Filius & Spiritus sanctus qui à Patre procedunt, imperfecti erunt.

R. nego sequelam. Utrumque enim in Deo æqualiter est perfectum, esse principium, vel terminum precessionis; quia utrumque unam & eandem numero essentiam divinam participat, quæ omnis est perfectio.

Obj. 3°. Notio debet esse singularis ac propria unius personæ: atqui talis non est, v. g. spiratio activa, quæ Patri simul & Filio competit.

R. neg. maj. Sufficit enim ut notio distinguat personas, sive unam, sive duas.

Inst. Si spiratio activa sit notio, & notio sit positiva perfectio, sequitur Patrem & Filium perfectiores esse Spiritu sancto, cùm uterque duplici gaudeat notione, Pater scilicet paternitate & spiratione activâ: Filius autem filiatione & spiratione activâ; econtrà Spiritus sanctus unam duntaxat habet nempe passivam spirationem.

R. neg. seq. tum quia spiratio passiva utpotè infinita, tantæ est dignitatis, quam cunctæ Patris & Filii notiones; tum quia Spiritus sanctus identice & ratione essentiæ totum id habet quod Pater & Filius.

ARTCULUS SECUNDUS.

De missione & circuminsessione.

Missio est unius personæ ab aliâ processio cum habitudine ad aliquem effectum temporalem. Unde missio & æterna est penes processionem, & temporalis relative ad effectum ad quem ordinatur; & hujus quidem effectûs connotatio essentialis est missioni: *non enim*, ait Augustin, *eo ipso quod de Patre natus, missus dicitur Filius, sed eo quod apparuit huic mundo.* De hac missione quædam sunt scienda.

Quæres igitur 1°. an aliquæ personæ divinæ mittantur, & quæ?

R. duas esse SS. Trinitatis personas, Filium & Spiritum sanctum, quæ mittuntur, Filius à Patre, Spiritus à Patre & Filio. Joan. 6. v. 58. ait Christus: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* Joan. 14. v. 26. *Paracletus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, &c. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.* Atqui his Scripturæ testimoniis Veteres demonstrabant adversùs Sabellianos, realem in Deo personarum distinctionem: nemo quippe se ipsum mittit; unde necesse est eum, qui mittit, distinctum esse ab eo, qui mittitur.

Missio porrò illa inferioritatem non arguit in eo qui mittitur, sicuti objiciebant Ariani, sed tantum originem unius personæ ab aliâ; missio quippe illa non ex imperio fit, sed ex communicatione ejusdem naturæ.

Not. obiter: Aliud est *venire*, aliud *mitti*: potest quis à se venire; non potest nisi ab alio mitti. Unde qui non mittitur Pater, venit tamen, juxta id Joan. 14. *Si quis diligit me... Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.*

Quæres 2°. quotuplex sit missio.

R. duplicem esse, *visibilem* unam, quando persona missa sensibiliter exterius apparet, qualis fuit missio tum Verbi in Incarnatione, tum Spiritûs sancti in die Pentecostes. Alia *invisibilem*, quando persona mittitur ad collationem alicujus doni interni & occulti, puta Spiritus sanctus ad collationem gratiæ sanctificantis. Sic Galat. 4. dicitur: *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

Quæres 3°. an missio sit quid notionale, hoc est, certis personis proprium, an commune toti Trinitati.

R. esse quid notionale. Vel enim missio sumitur *activè*, & sic solius est mittentis personæ; vel sumitur *passivè*, & sic solius est personæ missæ.

At inquies, effectus peculiaris qui potissimùm in missione propriè dictâ attenditur, communis est toti Trinitati: opera enim *ad extra* tribus personis divinis sunt adscribenda.

R. effectus *ad extra* communes quidem esse toti Trinitati *efficienter*, ut aïunt; sed non *habitudinaliter*; natura humana, v. g. opus fuit totius Trinitatis: attamen specialis fuit hujusce naturæ habitudo cum se-

cundâ personâ, quæ sibi eam hypostaticè conjunxit. Idem dicendum de aliis operibus ad quæ Filius & Spiritus sanctus mittuntur.

Quæres 4°. an personæ Filii & Spiritûs sancti dicantur mitti non tantùm penès dona ab iis profecta, sed etiam penès substantiam; ità ut nova & ineffabilis inde exurgat divinarum personarum, etiam quoad substantiam, cum animâ unio.

R. affirmativè; unde quando justificatur homo, persona Spiritûs sancti fit ipsi intimè præsens, non quidem simpliciter, quasi anteà fuisset absens penes substantiam; sed quoad gratiam habitualem, & quantum ad modum specialem quo justum afficit, juxta illud Rom. 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.*

Quæres 5°. quid sit personarum divinarum circuminsessio.

R. Circuminsessio est mutua personarum in invicem existentia, & inhabitatio, quâ fit ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in utroque, ità ut nullâ prorsus ratione divelli unquam possint.

Miram hanc circuminsessionem admitti debere patet 1°. ex Joan. 14. ubi Christus probat se eadem facere cum Patre, quia in Patre est: *Non creditis*, inquit, v. 11. *quia ego in Patre, & Pater in me est.* & v. 10. *Pater in me manens, ipse facit opera;* 2°. quia ibi sunt personæ divinæ, ubi est essentia divina: eæ enim ab ista separari non possunt: atqui in Patre v. g. est essentia divina; ergo & in Patre sunt omnes personæ.

Nec obstat oppositio relativa personarum ad invicem: paternitas enim formaliter non est in Filio, nec filiatio in Patre; sed cùm paternitas sit in essentia sicut & filiatio, dici potest paternitatem identicè & quasi materialiter esse in Filio, & filiationem in Patre: unde fit, ut quidquid paternitas perfectionis habet, sit etiam in Filio, in quo est divina essentia, quæ est omnis perfectio.



QUÆSTIO OCTAVA.

De Perſonis divinis in communi.

PErſona à Boëtio definitur, *naturæ rationalis individua ſubſtantia*, ſeu *ſubſiſtentia*.

Dicitur 1°. *ſubſiſtentia*, id eſt aliquid per ſe ſubſiſtens; unde nomen *perſonæ* accidentibus non competit.

Dicitur 2°. *individua*, id eſt, ſingularis, completa, & alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis.

Dicitur 3°. *naturæ rationalis* : ſcilicet *perſonæ* vocabulum, honoris ac dignitatis nomen eſt, iiſque ſolùm convenit ſubſtantiis, quæ rationis ſunt participes; aliæ vero ſubſtantiæ ſingulares, *ſuppoſita* vocantur, non perſonæ.

Ex his liquet perſonam duo includere, naturam ſcilicet & ſubſiſtentiam: porro circa ſubſiſtentiam videndum; 1°. ſintne in Deo tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus perſonis communis; 2°. an ſint, ac dici poſſint in Deo tres exiſtentiæ relativæ, & una abſoluta.

Circa naturam vero quæritur, an quæcumque in Deo ſunt abſoluta, tribus perſonis communia ſint; an non per appropriationem, inter abſoluta Dei attributa, quædam ſint perſonis propria.

ARTICULUS PRIMUS.

An ſint in Deo admittendæ tres ſubſiſtentiæ relativæ, & una abſoluta tribus Perſonis communis.

SUbſiſtentia ſumitur 1°. pro ea ſubſtantiæ modificatione, quâ fit ut ſubſtantia ſit ens per ſe ſubſiſtens, diſtinctum ab accidente, quod per ſe non ſubſiſtit, ſed indiget ſubjecto cui inhæreat.

2°. Sumitur pro rei totalitate, ſi abſtractè; vel pro toto, ſi concretè accipiatur: hoc eſt, vel pro perſonalitate, quod nomen abſtractum eſt; vel pro perſona tota & integra, quod nomen concretum dicitur: atque hoc ſenſu concreto ſola hominis anima ſubſiſtens non eſt, quia pars eſt duntaxat hominis, non totus homo; nec humana pariter in Chriſto natura eſt ſubſiſtens, quia pars eſt Chriſti, non totus Chriſtus.

3°. Communi apud Theologos uſu, ſubſiſtentia ſignificat modum, ſeu formam, quæ naturam ultimò

complet ac terminat, eamque reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem.

Sensus igitur propositæ quæstionis est, 1°. sintne in Deo tres relativæ subsistentiæ, hoc est, tres modi seu rationes subsistendi relativæ, quibus personæ subsistant & à se invicem realiter distinguantur; an vero unica duntaxat & communis detur subsistentia, quâ singulæ personæ divinæ subsistant: quemadmodum una & singularis est in tribus personis natura divina, quâ fit ut tres personæ sint unus Deus; 2°. an præcisis per mentem personalitatibus, detur singularis aliqua perfectio absoluta, ac proinde communis tribus personis, per quam divina natura sit subsistens.

Circa utrumque caput more suo varias in patres abeunt Theologi, pro varia, quam sibi fingunt, nominis subsistentiæ significatione. Sit

Conclusio I. Tres sunt in Deo subsistentiæ relativæ.

Prob. 1°. quia sunt in Deo tres personæ: atqui ubi est persona, ibi est subsistentia, ut evincit ipsa personæ definitio; ergo ubi tres sunt personæ, ibi tres sunt subsistentiæ.

Prob. 2°. quia in mysterio Incarnationis subsistentia Verbi cum humanitate conjungitur: atqui si subsistentia illa esset communis, non autem Verbi propria, ac proinde relativa, vix exponi posset, quomodò solus Filius sit incarnatus, non Pater, non Spiritus sanctus; ergo.

Conclusio II. Nulla est in Deo subsistentia communis & absoluta.

Prob. Ea subsistentia non est in Deo admittenda, quæ inutilis est, noxia, & contradictionem involvit: atqui talis est subsistentia absoluta.

1°. Inutilis est, cùm id omne præstent subsistentiæ relativæ, quod in adversâ sententiâ præstat subsistentia absoluta. Tres enim subsistentiæ relativæ, quas admittendas esse mox probavimus, tres personas divinas constituunt, easque complent, & per oppositionem suam easdem incommunicabiles reddunt.

2°. Noxia est, quia si hujusmodi absoluta subsistentia admitteretur, admittenda quoque foret in Deo persona quædam communis, ac consequenter non tres, sed quatuor personæ in Deo essent; quod certè catholica fides, non patitur: subsistentia enim generatim ubicumque occurrit, suppositum efficit; quando autem in natura intelligente reperitur, personam con-

stituit; is enim est ejus formalis ac necessarius effectus.

3°. Subsistentia illa absoluta contradictionem involvit. Omnis enim subsistentia ultimum est naturæ complementum, eam reddens alteri tanquam supposito incommunicabilem: porro talis esse non potest in Deo subsistentia absoluta: 1°. non est ultimum naturæ divinæ complementum: siquidem illi ultra accedit relativa subsistentia quâ completur; 2°. non eam reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem; natura enim divina præcisis per mentem relationibus, incommunicabilis non est; imo reipsâ à Patre communicatur Filio & Spiritui sancto.

Et vero illud divinis personis commune esse non potest, per quod personæ in seipsis constituuntur, & à se invicem distinguuntur: atqui per subsistentias personæ in seipsis constituuntur & à se invicem distinguuntur; ergo communes esse non possunt tribus divinis personis: ergo nulla datur communis subsistentia. Unde Sophronius Actione 11. Synodi VI. dicebat, *in Deo neque substantiam confundi, neque ad unam subsistentiam posse deduci*.

Obj. 1°. contra 1. Conclusionem. Relatio pro fundamento habet naturam jam subsistentem: atqui hæc naturæ subsistentia relativa esse non potest; ergo necessum est, ut sit absoluta.

R. dist. ant. Relatio accidentalis & cathegorica, C. essentialis seu substantialis, quales sunt relationes divinæ, ut supra probavimus, N.

Obj. 2°. Spiratio activa est etiam relatio subsistens; ergo sicut quatuor sunt in Deo relationes, ità & quatuor subsistentiæ, non tres tantùm.

R. dist. ant. Spiratio activa est relatio etiam subsistens, indistincta à paternitate & filiatione, C. distincta, N. Etsi igitur spiratio activa sit vera relatio, non tamen personam constituit, quia unius personæ propria non est, nec incommunicabilis, cùm & Patri & Filio conveniat, qui nostro concipiendi modo jam in ratione personæ constitui intelliguntur, cùm spirant Spiritum sanctum.

Obj. 3°. contra 2. Concl. Subsistentia absoluta est perfectio simpliciter simplex: sed perfectio simpliciter simplex Deo convenit, etiam abstractis relationibus; ergo subsistentia absoluta admittenda est in Deo, præcisis etiam relationibus.

R. neg. maj. Perfectio enim simpliciter simplex dicitur ea, quæ melior est ipsa quàm non ipsa, nec est

incompoſſibilis cum alia perfectione majori vel æquali: atqui ſubſiſtentia abſoluta incompoſſibilis eſt cum alia Dei perfectione, nempe cum fœcunditate & communicabilitate; redderet enim naturam divinam alteri incommunicabilem, cùm ſit ultimum naturæ complementum.

Inſt. Deus præintellectus ſuis relationibus intelligit, & vult; ergo ſubſiſtit: atqui tunc non ſubſiſtit ſubſiſtentiâ relativâ ut patet; ergo abſolutâ.

R. neg. ant. Deus enim non operatur ad intra, aut ad extra, niſi quatenus ſubſiſtit in tribus perſonis, ſeu ſubſiſtentiis relativis; neque enim natura divina de facto aliter ſubſiſtit quàm in his tribus ſubſiſtentiis relativis, nec alius Deus eſt quàm Pater, Filius & Spiritus ſanctus: Unde Deus ſtatim ut concipitur exiſtens, concipi debet ſimul ut intelligens & volens, ac proinde ut importans terminos perſonales, in quibus & per quos ſubſiſtit.

Obj. 4°. Etſi ſupponeretur in Deo abſoluta ſubſiſtentia, non idcirco tamen natura redderetur incommunicabilis: namque in ipſo Patre natura haud dubiè ſubſiſtens eſt ſubſiſtentiâ relativâ Patris: atqui tamen ulteriùs communicatur Filio & Spiritui ſancto; ergo pariter dici poterit naturam divinam non reddi incommunicabilem per ſubſiſtentiam abſolutam, quæ in ipſa ſupponeretur adeſſe antecedenter ad ſubſtantias relativas.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. diſt. min. Natura divina Patris communicatur Filio, quatenus abſoluta eſt, nec affecta ſingulari ſubſiſtentiâ ſeu relatione paternitatis, C. ſub illa formali ratione, N. Aliàs Pater cum Filio confunderetur, & induceretur error Sabellii. At vero in hypotheſi adverſariorum, natura divina formaliter ut ſubſiſtens ſubſiſtentiâ abſolutâ communicaretur tribus divinis perſonis; quod omnino repugnat.

Et verò ſubſiſtentia abſoluta omni ex parte naturam complet; non autem ſubſiſtentia relativa: ac proinde licet ſubſiſtenti relativa non reddat naturam incommunicabilem, idem tamen dicendum non eſt de ſubſiſtentia abſoluta.

Obj. 5°. Nonnulli è SS. Patribus, ut Auguſtinus L. de Trinit. c. 4. Hieronymus Epiſt. 57. ad Damaſum, &c. unam in Deo ſubſiſtentiam ſeu hypoſtaſim agnoſcunt; haud dubie non relativam; ergo abſolutam. *T. 6. Conc. p. 677. & ſeq.*

R. Veteres illos ſubſiſtentiæ nomine naturam ipſam

intellexisse; quo sensu certissimum est unam esse in Deo subsistentiam; de quo infrà q. 10.

Circa alteram quæstionis partem, an in Deo admitti possint tres existentiæ relativæ & una absoluta,

R. affirmat. 1°. enim absolutam in Deo existentiam probat vel ipsa entis summi perfecti idea: siquidem implicat concipi ens summè perfectum, & concipi non existens; cùm existentia sit prima perfectio, ac ceterarum basis.

2°. Tres existentias relativas admittere nihil vetat, imò expedit. Nam 1°. relationes ut à natura distinctæ, sunt aliquid reale, ex dictis suprà: atqui eo ipso propriam habent existentiam. Existentia enim nihil est nisi ipsum ens in actu, aut saltem actualitas ipsa rei: atqui relationes prout ab essentia distinguuntur, sunt verè in actu; ergo. 2°. cum Pater Filium producit, necesse est aliquam produci existentiam, omnis quippe productio terminatur ad existentiam; 3°. unaquæque res suam habet existentiam: atqui divinæ personæ sunt res à se invicem distinctæ; ergo.

Obj. 1°. Non datur in divinis subsistentia communis & absoluta: ergo nec existentia.

R. nego conf. Disparitas est, quod existentia absoluta nec est inutilis, nec periculosa, nec contradictionem involvit: contra vero subsistentia communis, ut constat ex dictis.

Obj. 2°. Ubi est una & simplex natura, ibi unica debet esse existentia, quæ naturæ est appendix: atqui una est ac simplex in Deo natura; ergo.

R. dist. maj. Ubi est una & simplex natura, sine relationibus à se invicem, realiter distinctis, C. cum relationibus realiter à se invicem distinctis, N. Unaquæque enim persona, cùm sit aliquid reale, propriam habere debet existentiam: porro est quidem in Deo una natura, sed sunt etiam tres personæ, quibus sicut unica sufficit existentia absoluta quatenus unum sunt, sic triplex necessaria est existentia quatenus sunt res inter se oppositæ.

ARTICULUS SECUNDUS.

An quæcumque sunt in Deo absoluta, tribus Personis communia sint.

CONCLUSIO I. Quæcumque in Deo sunt absoluta, tribus divinis personis communia sunt.

Prob. tum ex Joan. 16. ubi ait Christus: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*; tum quia ubi eadem est essentia, ibi sunt omnes illius proprietates essentiales: atqui ex dictis hactenus, una & eadem est essentia in tribus divinis personis; ergo & sunt in iis omnes essentiæ proprietates. Inde vulgatum istud, *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationi oppositio.*

CONCLUSIO II. Nonnullæ proprietates absolutæ certis personis speciali quâdam ratione tribuuntur, v. g. Patri, omnipotentia; Filio, sapientia; Spiritui sancto, bonitas & caritas.

Prob. 1°. ex Scripturis. Joan. 14. v. 10. creatio Patri à Christo tribuitur, *Pater autem in me manens, ipse facit opera*: & I. Cor. 8. v. 6. Deus Pater dicitur esse *ex quo omnia.*

Non absimili ratione Filius quia à Patre per intellectum procedit, non solùm proprio nómine *Verbum* nuncupatur, sed etiam speciali titulo Dei *virtus & sapientia*, I. Cor. 1. v. 24.

Spiritui etiam sancto, qui tanquam amor substantialis Patris & Filii procedit, caritas, ejusque in nos diffusio accommodatur; Rom. 5. v. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.*

Prob. 2°. ex Symbolis fidei, ubi Deus Pater dicitur Omnipotens, Creator cæli & terræ; Christus, is per quem omnia facta sunt; Spiritus sanctus, per quem locuti sunt Prophetæ, Idem docet ac exponit S. Augustin. L. 15. de Triuit. c. 15.

Prob. 3°. ratione. Id enim fit accommodatè ad personas, earumque origines, necnon ad earumdem personarum manifestationem conducit.

QUÆSTIO NONA.

De Personis divinis sigillatim sumptis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Persona Patris.

QUæres, quot nominibus prima SS. Trinitatis persona soleat designari.

R. vocari Patrem, ingenitum, principium, quandoque, licet rariùs, causam & autorem Filii.

Dicitur 1°. *Pater*, quod nomen de Deo intelligitur essentialiter, vel notionaliter. Priori modo Patris nomen commune est tribus personis, respectu scilicet creaturarum, quas communi & eâdem potentiâ creant, conservant, moderantur, &c. Posteriori modo, prima persona dicitur Pater respectu Filii, quem ex utero ante luciferum genuit sibi consubstantialem.

Dicitur 2°. ingenitus, innascibilis, seu non natus. De isto *ingeniti* vocabulo mirum quot rixas excitaverint Aëtius & Eunomius: ii nempe per *ingenitum*, eum intelligebant, qui nullum prorsus haberet sui principium; ex quo inferebant Filium & Spiritum sanctum Deum non esse, cùm uterque à Patre productus esset.

Econtra Catholici nomen *ingeniti* Patri tribuebant prout negat tam principium creationis, quàm cujuscumque processionis: Filium vero genitum seu natum dicebant, non quidem sensu Hæreticorum, quasi ex non extantibus factus esset; sed quia per æternam generationem procedit à substantia Patris, ipsi omnino consubstantialis: quod & dici debet de Spiritu sancto qui à Patre & Filio procedit.

Dicitur 3°. Pater principium Filii & Spiritûs sancti, quatenus nempe uterque ab eo profluit & producitur.

E Latinis Patribus quidam Patres dixerunt autorem Filii; è Græcis vero nonnulli eundem dixêre Filii causam: ut eo nomine principium duntaxat originis seu processionis intelligebant, interprete Cardinale Bessarione in Sess. 25. Concilii Florentini.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Persona Filii.

VAriis designatur nominibus Filius Dei; & quidem 1°. dicitur Filius, quia ex propria substantia Patris ab æterno genitus est.

2°. Dicitur imago Patris, Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Et Hebr. 1. v. 3. *Splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.*

3°. Dicitur Verbum, id est terminus cognitionis Patris, seu formalis repræsentatio objectorum quæ à Deo cognoscuntur. *Formata quippe cogitatio*, inquit, S. Augustinus, L. 15. de Trinit. c. 10. *ab ea re quam sci-*

mus, verbum est quod *in corde dicimus.* Hinc proprie dicitur Patris sapientia, doctrina, ratio, sermo.

Ex his nata in Scholis quæstio, ex quarum rerum cognitione Verbum procedat: quam ut solvamus,

Not. Res, seu objecta ex quorum cognitione Verbum procedere posse concipitur, esse vel *necessaria*, quæ nimirum à Patre necessario intelliguntur, ut ipsa divinitas, & creaturæ possibiles; vel *libera*, quæ Pater potuit non intelligere, quia potuit non facere, ut creaturæ in certa temporis differentiâ existentes. His quæ obvia sunt, præmissis, sit

Conclusio I. Verbum divinum procedit essentialiter ex cognitione eorum omnium quæ sunt in Deo formaliter ac necessario; adeoque ex cognitione essentiæ, attributorum, personarum divinarum & creaturarum possibilium.

Prob. 1°. quia Verbum divinum procedit essentialiter ex cognitione comprehensivâ divinæ essentiæ: tùm quia cùm sit perfectissimum, necesse est, ut procedat ex cognitione omnium perfectissimâ; tùm quia perfectissimè repræsentat essentiam Dei: atqui non potest procedere ex cognitione comprehensivâ, nisi formaliter repræsentet quæcumque sunt in Deo formaliter & necessario, qualia sunt attributa divina, personæ, proprietates relativæ, creaturæ possibiles, &c. ad comprehensivam enim rei alicujus cognitionen requiritur, ut ea res tota & totaliter, tam intensivè quàm extensivè cognoscatur; adeoque ut saltem cognoscantur quæcumque in re sunt formaliter, aut cum eâ necessario connexa; ergo Verbum essentialiter procedit ex cognitione essentiæ, attributorum, &c.

Prob. 2°. Verbum procedit ex cognitione comprehensivâ Patris; cùm vi processionis suæ Patrem exprimat, utpote cujus imago sit: atqui Pater non potest comprehensivè cognoscere seipsum, quin simul cognoscat Filium & Spiritum sanctum: 1°. enim relata sunt simul naturâ & cognitione: atqui tres personæ divinæ ad se invicem mutuo referuntur; ergo. 2°. non potest seipsum cognoscere, quin videat in se vim generandi & spirandi; atqui Pater non potest percipere vim generandi ac spirandi, quin cognoscat Filium & Spiritum sanctum. Filius enim terminus est generationis activæ, & Spiritus sanctus terminus est spirationis activæ; ergo Verbum non potest procedere ex cognitione comprehensivâ Patris, quin simul pro-

cedat ex cognitione sui - ipsius & Spiritûs sancti.

Eâdem de causâ procedit Verbum ex cognitione possibilium: Pater enim seipsum comprehendens videt omnipotentiam suam, proinque quidquid ex ea dimanare potest.

Obj. 1°. Pro illo priori in quo generatur Filius, personæ nondum existunt: ergo Verbum procedere non potest ex illarum cognitione.

R. neg. ant. Nulla enim in divinis est temporis prioritas, sed solùm originis: unde Verbum simul eâdemque cognitione cognoscitur ac producitur, quâ fere ratione nos intelligendo verbum intra nos producimus, & producendo cognoscimus.

Obj. 2°. Si Verbum procedit ex cognitione Spiritûs S. est imago Spiritûs S. Falsum conseq.

R. dist. Est imago intentionalis, quomodo verbum quodlibet est imago objecti, ex cujus cognitione efformatur, C. est imago naturalis, N. Ad imaginem enim naturalem tria requiruntur: 1°. similitudo, ut perfectè conveniat cum archetypo; 2°. processio, ut imago producatur ab eo cujus est imago; 3°. ut sit similis vi processionis formaliter: porro hæc tria non competunt Filio respectu Spiritûs sancti; ergo.

Obj. 3°. Omnis cognitio supponit objectum; ergo Verbum non procedit ex cognitione sui ipsius, alioquin se ipso prius foret ac posterius: prius, ut objectum; posterius, ut objecti cogniti fœtus.

R. dist. ant. Cognitio speculativa supponit objectum, C. practica, qualis dici potest cognitio ex qua procedit Verbum, N. Cognitio enim quæ facit Verbum, Verbi præexistentiam supponere non debet.

Conclusio II. Verbum non procedit ex cognitione creaturarum in certâ temporis differentiâ existentium.

Prob. Verbum non procedit ex illa cognitione, quæ præsupponit illud productum: atqui cognitio rerum in aliqua temporis differentiâ existentium præsupponit Verbum productum. Supponit enim decretum de producendis creaturis: atqui decretum illud, utpotè quod sit à tota Trinitate, supponit Verbum jam productum; ergo.

Obj. 1°. Verbum procedit ex omni cognitione quæ ei communicatur à Patre: sed ei communicatur à Patre cognitio rerum existentium; ergo.

R. dist. min. Communicatur ei fundamentaliter, quatenus datur ei natura omnipotens, vi cujus creaturarum existentiam cum Patre & Spiritu sancto de-

cernere potest, C. formaliter, quasi Pater jam consequenter ad decretum videat quæcumque extitura sunt, N. alioqui enim Pater solus, non autem Filius circa creaturarum existentiam liber foret, quia hæc jam ante à Patre decreta fuisset.

ARTICULUS III.

De persona Spiritûs Sancti.

PLuribus nominibus Spiritûs sancti persona solet in Scripturis designari.

Dicitur enim 1°. *Spiritus sanctus*, non hoc tantùm sensu quod immaterialis sit, ut etiam sunt Pater & Filius: sed quia cùm sit terminus amoris mutui Patris & Filii, atque amoris proprium sit impelli in rem amatam, impulsus ille subsistens est ac personalis in Deo Spiritus. Additur per appropriationem, *sanctus*, quia sanctitas Spiritui sancto accommodatur, sicut potentia Patri, & Filio sapientia.

Dicitur 2°. *Amor*, & quidem secundùm notionalem proprietatem: quia principium à quo procedit, amor est; & ipse est subsistens amoris terminus. Hinc à SS. Patribus solet appellari caritas; Patris & Filii unio, amplexus, nexus, utriusque.

Dicitur 3°. *Donum*, & merito, quia ut aliqua à divinis personis sit personale donum, requiritur, 1°. ut sit res alicui data; 2°. ut ab aliquo detur; 3°. ut ex proprio charactere sit ipsamet ad dandum inclinatio. Hæc autem tria Spiritui sancto, qui ex divina voluntate procedit, apprimè conveniunt.

Dicitur 4°. *Paracletus*, id est Consolator; quia consolatoris vices obit, & gratiam diffundit in cordibus, quæ interiùs solatur & reficit.

Jam de isto amoris Spiritu quæritur, 1°. an procedat à Patre & Filio; 2°. an particula *Filioque*, per quam processio hæc à Patre & Filio exprimitur, merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano, & quando; 3°. an Pater & Filius unum sint Spiritûs sancti principium; 4°. an si Spiritus sanctus non procederet à Filio, ab ipso distingueretur.

§. I. *An Spiritus S. procedat ex Patre & Filio.*

Processionem Spiritûs sancti à Patre negârunt Macedoniani & Ariani; quia cùm existimarent Filium &

Spiritum ſanctum meras eſſe creaturas, Filium à ſolò Patre, Spiritum vero à Filio factum aſſerebant. Errorem hunc ut confoderet Concilium Conſtantinopolitanum, Symbolo Nicæno poſt iſtas voces, *Et in Spiritum ſanctum*, addit, *qui ex Patre procedit.* Brevi extinctus jacuit error iſte, qui naſci non debuerat, utpote diſertis Chriſti verbis everſus, Joan. 15. v. 26. *Cùm venerit Paracletus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

Verùm longè magis diuturna exarſit Latinos inter ac Græcos controverſia de proceſſione Sptritûs ſancti à Filio. Proceſſionem hanc negârunt variis temporibus Græci complures, ſed nemo majori audaciâ quàm Photius, vir nequam & inviſor Sedis CP. vivente adhuc S. Ignatio legitimo Patriarchâ ann. 858. & luctuoſi illius ſchiſmatis autor quod Græcam à Latina ſejunxit Eccleſiam. Damnatus ille fuit à Nicolao I. S. Pontifice an. 863. At cæco furore percitus, ipſum S. Pontificem viciſſim damnavit, atque inter alia multa, Latinos ex eo præſertim capite redarguit, quod affirmarent Spiritum ſanctum à Filio procedere.

Undecimo ſeculo tota recruduit diſputatio, operâ; præſertim Michaëlis Cærularii Patriarchæ CP. & favente Conſtantino Monomacho Imperatore. Interdum tamen pax ſancita eſt, & 1°. in Concilio Lateran. IV. cui una cum aliis non paucis Græcis Præſulibus interfuêre duo Patriarchæ, Conſtantinopolitanus & Hieroſolymitanus; 2°. in Concilio Lugdunenſi II. ubi innitente potiſſimùm Michaële Palæologo miſſi ad S. Pontificem nomine hujus Imperatoris ac Eccleſiæ Græcæ Legati errorem palàm ejurarunt, ac Symbolum, cui inſertæ erant voces iſtæ, *Filioque*, unà cum Latinis inter ſolemnia ſacra decantarunt; 3°. demum in Concilio Florentino anno 1439. poſt diuturnas ex utraque parte diſceptationes ſancita eſt communis fidei profeſſio, cui ſubſcripſerunt omnes, excepto Marco Epheſino, qui in errore ſuo pertinax Librum edidit adversùs Latinos. Nonnullos ille ſequaces habuit inter Græcos ſchiſmaticos: nullâ tamen publicâ fidei confeſſione impugnata fuêre quæ in Synodo Florentinâ definita fuerant. Sit

Conclusio. Spiritus ſanctus à Filio procedit.

Prob. 1°. ex his Scripturæ locis, in quibus Spiritus ſanctus à Filio mitti dicitur, perinde ac à Patre. Joan. 14. v. 26. *Paracletus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo.* & cap. 15. *Cùm venerit Paracletus*

quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit. Unde sic: mittitur Spiritus sanctus à Filio: atqui constat ex dictis, personam, quæ mittitur, ab ea procedere à qua mittitur. Missio enim vel fit per imperium unius & dependentiam alterius, vel per originem unius ab alio: atqui in divinis missio fieri non potest per imperium; ergo necesse est ut fiat per originem.

Prob. 2°. ex iis locis in quibus Filius ea omnia habere dicitur quæ habet Pater. Joan. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ex quibus sic: Filius habet omnia quæ Patris sunt, una exceptâ relatione paternitatis: atqui Pater vim habet spirandi Spiritum sanctum, & eum reipsâ spirat, ut Græci ipsi fatentur; ergo Filius eandem habet cum Patre vim spirandi Spiritum sanctum, in qua Patri non opponitur.

Prob. 3°. ex iis locis in quibus Spiritus S. dicitur à Filio accipere. Joan. 16. v. 14. *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Cur autem Spiritus sanctus à Christo accipiat, exponit ipsemet Christus ibid. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Unde sic: Spiritus sanctus à *Filio accipit*: atqui non aliter una persona in divinis accipit ab alia, quam viâ processionis; ità Filius à Patre accipit, & ea loquitur quæ à Patre audivit, quia à Patre procedit; ergo eadem ratione, cùm Spiritus sanctus à Filio accipere dicitur ea quæ docet, scientiam hanc à Filio simul cum essentia divina vi processionis accipere dicendus est.

Prob. 2°. ex SS. Patribus qui ante Photianum schi- *T.* 1.
sma scripserunt. E Græcis S. Athanasius Orat. 3. con- *p.* 574.
tra Arianos n. 24. *Quæcumque Spiritus habet, hæc à Verbo habet*: atqui non habet nisi viâ precessionis; ergo

S. Basilius Lib. 2. de Spiritu sancto n. 34. Euno- *T.* 1.
mium contendentem Spiritum sanctum non à Patre *p.* 271.
esse, sed à solo Filio, refellit; quia, inquit, *nulla Filii operatio à Patre divisa est;* ergo tanquam rem apud omnes, atque etiam apud Eunomianos, certam supponebat S. Doctor, Spiritum sanctum à Filio esse.

Et vero idem S. Basilius Lib. 5. adversus eundem Eunomium, Hæretico sciscitanti *Cur Spiritus sanctus* *Ibid.*
non dicatur filius Filii? sic reponit: *Non quod ex Deo* *p.* 305.
non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur.... ut sit in hominibus, filios ex filiis habere: atqui prompta Basi-

lio fuisset responsio, idcirco Spiritum sanctum non esse filium Filii, quia à Filio non procedit, si existimasset Spiritum sanctum non procedere à Filio.

Ex Latinis, nè obruat multitudo, tres proferimus. S. Hilarius Lib. 2. de Trinit. *Loqui*, inquit, *de eo* (Spi-
Pag. ritu sancto) *non necesse est, qui Patre & Filio autori-*
802. *bus confitendus est.* S. Ambrosius Tract. de Symbolo Apostolorum c. 3. *Spiritus sanctus verè Spiritus est, procedens quidem à Patre & Filio, sed non ipse Filius.*
T. 8. S. Augustinus Lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Nec possumus*
p. 829. *dicere*, inquit, *quòd Spiritus sanctus & à Filio non procedit; neque enim frustra idem Spiritus sanctus & Patris & Filii Spiritus dicitur.* Denique S. Anselmus, ut alios sileam, ex professo Librum scripsit adversùs Græcos de processione Spiritûs sancti à Patre & Filio.

Prob. 3°. ex Concilio: 1°. enim Epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua diserte asseritur Spiritum sanctum à Patre & Filio procedere, approbârunt Generalia Concilia, Ephesinum Act. 13. Chalcedonense Act. 53. CP. II. collat. 6. &c.

2°. Idem definitum fuit à subsequentibus Conciliis, Lateranensi IV. an. 1215. sub Innocentio III. Lugdunensi II. an. 1274. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. an. 1439. ad quæ multa alia seu Provincialia, seu Nationalia accessêre Concilia.

Prob. denique theologicâ ratione: In divinis persona, quæ perfectè potens est ad producendum terminum, illum necessario producit: atqui Filius perfecte potens est ad producendum Spiritum S. Qui enim à Patre accepit voluntatem fœcundam, & nondum termini productione exhaustam, is perfectè potens est ad productionem S. Spiritûs: atqui Filius à Patre accipit, &c. Filius enim producitur per actum intellectûs, qui ratione prior est actu voluntatis; cùm nihil sit volitum, quod priùs non fuerit intellectum: ergo cùm producit Filius, voluntas necdum ullius termini productione exhausta est; ergo iterum vel Filius voluntatem non accipit: ac proinde non procedit consubstantialis, vel voluntatem fœcundam accipit.

Obj. 1°. silentium Scripturæ, quæ declarat Spiritum sanctum procedere à Patre, nullâ factâ mentione Filii. Joan. 15. *Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis qui à Patre procedit.*

R. 1°. Scripturam non expressis quidem, sed æquivalentibus verbis, adstruere Spritûs sancti à Filio processionem, ut suprà dixi.

R. 2°. Græcos præter Scripturas Traditionem nobiscum agnoscere, ut alteram fidei regulam: porro constans Ecclesiæ Traditio clarè docet Spiritum sanctum à Filio procedere.

Quod si Concilia Nicænum I. & CP. I. processionem hanc siluerint, cùm Spiritûs sancti divinitatem sanxerunt; id factum est, quia Conciliorum mos est ea solùm definire, de quibus lis movetur: porro nulla tunc erat lis de Spiritûs à Filio processione.

Inst. Cùm Charisius Presbyter publicè in Concilio Ephesino Symbolum Nestorianum legisset, in quo dicitur, Spiritum sanctum nec Filium esse, nec *per Filium substantiam habere*, istud ultimum caput non damnat Concilium: atqui damnasset, si fuisset contra fidem.

R. caput illud rejectum non fuisse, quod posset in rectum sensum adduci, nempe Spiritum sanctum à Filio creatum seu factum non esse, ut dicebant Macedoniani & Eunomiani. Adde quod de illa processione nullatenus tunc agebatur, atque intempestiva omnino fuisse tunc temporis eam in rem censura.

Obj. 2°. S. Maximus Martyr in Epistola ad Marinum, Latinos, qui Spiritum sanctum à Filio procedere dixerant, excusat, quia dum id docent non tamen sentiunt ipsum esse principium Spiritûs sancti, quod solus est Pater.

R. dist. ant. Latini non sentiunt Filium esse principium id est primum fontem, C. non esse principium simpliciter, N. Observat Petavius L. 7. de Trin. c. 17. hanc principii, pro primo fonte, notionem apud Græcos esse pervulgatam.

Obj. 3°. S. Joannes Damasc. Lib. 1. de fide orthodoxâ ait: *Spiritum sanctum ex Patre esse statuimus.... at vero eum non ex Filio esse diximus, sed Filii Spiritum nominamus*; ergo in mente S. Damasceni, Spiritus sanctus non ex Filio, sicut ex Patre procedit.

R. cum S. Thoma, vel in hoc Damasceni *sententiæ standum non esse*; vel eam duntaxat esse illius mentem, quod Spiritus sanctus è Filio non procedat, tanquam ex primario originis suæ fonte, qui Pater est; unde non raro dicitur Spiritus sanctus procedere à Patre *per Filium*, quem loquendi modum probat sanctus Thomas: *Cùm enim*, inquit, *Filius à Patre habeat, quod ab eo Spiritus sanctus procedat, Pater per ipsum Filium spirare Spiritum sanctum dicitur*. Et vero S. Damascenus ibidem comparat Patrem Soli, Filium radio, Spiritum autem sanctum splendori qui ex radio

T. 1. *p.* q. 36. *a.* 2.

Ibid. a. 3.

T. 1. *p.* 142.

oritur. Et c. 18. ſtatuit Spiritum ſanctum eſſe imaginem Filii, ſicut Filius imago eſt Patris. *Imago Patris*, inquit, *eſt Filius, ac Filii Spiritus*: atqui Filius non eſt imago Patris, niſi quia procedit à Patre: ergo nec Spiritus ſanctus eſt imago Filii, niſi quia procedit à Filio, ſicut ſplendor non à Sole tantùm, ſed & à radio procedit.

Ibid. p. 145.

§. II. *An particula* Filioque *merito addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano, & quando.*

Conqueſti ſunt Græci, additionem hanc primam fuiſſe originem ſchiſmatis inter Eccleſiam Græcam & Latinam; & licet aliquando faterentur potuiſſe Symbolum explicari, explicationem nihilominùs eidem inferendam fuiſſe pernegabant; ſed inique prorſus. Sit itaque

Conclusio. Particula *Filioque* jure ac merito addita fuit Symbolo Conſtantinopolitano.

Prob. 1°. quia id Eccleſiæ licuit, ac licebit ſemper, quod illa judicaverit neceſſarium ad fidem vel illuſtrandam, vel adversùs novos Hæreticorum inſultus vindicandam; eſt enim *columna & firmamentum veritatis*: atqui Eccleſia judicavit neceſſarium eſſe particulam *Filioque* adjicere Symbolo CP. nempe ob graſſantem errorem contra proceſſionem Spiritûs ſancti à Filio; qui quidem pleniùs & apertiùs impugnari non poterat, quàm iſtâ additione; ergo.

Prob. 2°. exemplis Conciliorum. Nicænum Symbolo Apoſtolorum adjecit vocem *conſubſtantialem*, adversùs Arianos. Conſtantinopolitanum I. Nicæno Symbolo circa Filium hæc verba adjecit: incarnatus eſt *ex Spiritu ſancto, ex Mariâ Virgine.* Hæc vero circa Spiritum ſanctum. Et in Spiritum ſanctum *Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio ſimul adorandum & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.* Denique Concilium Chalcedonenſe Nicæno Symbolo circa Filiúm hæc verba adjecit contra Eutychianos *Conſubſtantialem Patri, ſecundum deitatem; & conſubſtantialem nobis, ſecundùm humanitatem.* Quin & hæc ipſa Synodus, poſtquam Symbolum Nicænum ac CP. recitavit, imo & legem in Concilio Epheſino ſancitam, de non condendâ alterâ fidei expoſitione; prolixam adjecit adversùs peculiares Eutychetis errores fidei expoſitionem. Atqui nemo dixerit additamenta hæc non legitimè à prædictis Conciliis

Symbolo fuisse inserta; ergo nec aliud ferri debet judicium de additione particulæ *Filioque*.

Et vero utrobique intervenit eadem autoritas, nempe Ecclesiæ; eadem & necessitas, nempe revincendus aut præcavendus error.

Prob. 3°. definitione Concilii Florentini cui omnes Græci pariter ac Latini subscripserunt. *Definimus*, aiunt Patres, *quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est .... & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unicâ spiratione procedit... Definimus insuper, explicationem verborum illorum*, Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc necessitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* *T.* 13. *Conc.* *p.* 514. *Ib. p.* 315.

Obj. 1°. Ephesinum Concilium generale III. act. 6. severè *statuit, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam à SS. Patribus qui in Nicæna cum Spiritu sancto congregati fuerunt*: sed qui Symbolo adjicit aliquid, alteram ille fidem profert. *Tom.* 3. *Conc.* *p.* 670.

R. dist. maj. Synodus Ephesina prohibuit ne proferatur altera fides, id est fides contraria iis quæ à Patribus Nicænis definita fuerant, C. fides altera, id est, altera ejusdem fidei declaratio & explanatio, subd. ne proferatur autoritate privatâ, C. autoritate Ecclesiæ, N. Hunc unum lati Decreti scopum esse, aperte demonstrat 1°. occasio quâ conditum istud fuit, scilicet Symboli Nestoriani quod Charisius Presbyter obtulerat, quodque à suis subscribi curabat Nestorius. Novitatem hanc temeritatis ac erroris plenam merito repressit Ephesina Synodus; prohibuitque omnem explicationem avitæ fidei contrariam: at eam quæ fidei consona est, approbat & confirmat: 1°. enim vocem, *Deipara*, ad constringendum Nestorium proponit & exigit; 2°. professionem fidei, quam Joannes Antiochenus post restitutam pacem misit ad S. Cyrillum, tametsi multa Symbolo adderet majoris explicationis gratiâ, benigne tamen ac cum laude suscepit S. Cyrillus; an vero laudasset, si nova quælibet fidei expositio fuisset à Patribus Ephesinis prohibita? 3°. Synodus Chalcedonensis paulo post Ephesinam coacta, postquam Symbolum Nicænum & CP. recitavit Act. 5. prolixam adjecit fidei expositionem adversus Eutychetis errores: ergo non existimavit nihil adjici licere, quod fidei consentaneum foret. *Ibid.* *p.* 678. & 682.

His adde, Canonem Ephesinum qui objicitur, ad

privatos spectare, non ad Ecclesiam ipsam. Quod quidem patet 1°. ex occasione quâ latum est illud decretum, ut modo notavimus; 2°. ex poena depositionis aut anathematis adjunctâ, neque enim Synodus voluit aut potuit universam Ecclesiam anathemati subjicere; 3°. quia Concilium Concilii alterius sibi autoritate paris manus ligare non potest. Porro si Canon Ephesinus ad privatos duntaxat spectat, prorsus evanescit difficultas quam ex eo colligunt adversarii.

Inst. Synodus Ephesina, vocem, *Deipara*, Symbolo inserere noluit, quanquam necessaria foret errori Nestorii comprimendo: sed id ideò noluit, quia omnem additionem, etiam explicandi causâ factam, prohibuit.

R. necessariam non fuisse vocis, *Deipara*, additionem in Symbolo, quia satis expressè B. Virgo *Deipara* declaratur ex duobus articulis clarè in Symbolo CP. contentis, nempe Christum verum esse Deum Patri consubstantialem, eumque *incarnatum & natum esse ex Maria Virgine.* Si tamen expedire judicasset Synodus, pro autoritate suâ potuisset vocem, *Deipara*, Symbolo adjicere; quemadmodum Nicæna Synodus Symbolo Apostolico adjecit vocem ὁμούσιον.

Pari de causâ cùm in Chalcedonense Concilio Act. 2. Judices proposuissent novam condi fidei formulam, *Tom.4. Concil. p.* 337. Episcopi clamaverunt, *Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audemus exponere*: quia nimirum haud necesse erat, novum edi Symbolum adversùs errorem Eutychetis, qui satis expressè in antecessum proscriptus fuerat in utroque Symbolo Nicæno & CP. ubi cùm Christus Deus simul & homo declaretur, consequenter necesse est duplicem in ipso agnoscere naturam, divinam scilicet & humanam: Quapropter idem Concilium, etsi novum Symbolum non condidit, solemniter tamen declaravit *Filium esse consubstantialem Patri secundùm deitatem; & consubstantialem nobis, secundum humanitatem*, quæ verba in Symbolo aut Nicæno, aut CP. sic unita non leguntur.

Obj. 2°. In septima Synodo post allatum Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Patres addunt: *Nos leges Patrum custodimus. Nos eos qui addunt, vel adimunt, de Ecclesia anathematisamus*; ergo non licet quidquam addere. *T. 7. Conc. p.* 575.

R. eandem hic recurrere solutionem, nempe a sexta & septima Synodo prohiberi, nè altera fidei professio contraria iis quæ à Patribus definita fuerant, profera-

tur. Et vero ipsa septima Synodus fidem Ecclesiæ circa cultum Imaginum confirmavit, de quo nihil editum priùs fuerat, sive in Nicæno, sive in CP. Symbolo; ergo ex ipso usu Ecclesiæ manifestum est, aliquando necessarium esse, ut nova fidei expositio proferatur.

Quod spectat ad tempus quo inducta est isthæc additio.

R. illam in Hispanias primo inductam fuisse ineunte seculo V. tum in Galliam & Germaniam seculo saltem VIII. dimanasse; ac tandem Romæ sub finem seculi noni receptam fuisse.

Prob. 1. pars, quia additio hæc extat 1°. in Concilio Toletano primo; 2°. in Concilio Bracarensi primo; 3°. in Concilio Hispalensi: atqui tria hæc Concilia in Hispaniis ante quintum seculum celebrata sunt.

Prob. 2. pars ex Concilio Francofordiensi anno 794. & Forojuliensi, in quibus additio recepta & probata fuit; idque, aïunt Patres, *propter eos Hæreticos qui susurrant Spiritum sanctum à solo Patre procedere.* T. 7. Conc. p. 994.

Prob. 3. pars, 1°. ex Photio, qui inter cetera id objecit Nicolao I. summo Pontifici; 2°. ex Ratramno Corbeïensi, qui criminationem hanc diluit Lib. 2. c. 2. 3°. ex S. Antonio *in Chronico* ubi istud diserte docet.

R. 2°. additionem hanc tandem probatam fuisse utriusque Ecclesiæ consensu in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. anno 1274. & in Florentino anno 1439. sub Eugenio IV. ubi pax Latinos inter & Græcos sancita est.

§. III. *An Pater & Filius unum sint Spiritûs sancti principium.*

Inter multa quæ Photius Latinis opponebat contra processionem Spiritûs sancti à Filio, hoc unum erat, inde consequens fore, quod Pater & Filius duo essent Spiritûs sancti principia. Consequentiam negarunt Patres Lugdunenses & Florentini. *Nos*, aiunt Patres Lugdunenses, *damnamus & reprobamus omnes, qui temerario ausu asserunt, quòd Spiritus sanctus ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat. Definimus*, aiunt Patres Florentini, *quod Spiritus sanctus à Patre & Filio æternaliter tanquam ab uno principio & unicâ spiratione procedat.* Sit itaque T. 11. Conc. p. 975. T. 1. Conc. p. 514.

Conclusio. Spiritus sanctus à Patre & Filio, tanquam ab uno principio procedit.

Prob. 1°. autoritate mox adductâ Conciliorum Lugdunensis & Florentini.

Prob. 2°. ex Patribus: S. Basilius L. 2. contra Eunomium disertè affirmat, Patrem & Filium duo non esse, sed unum Spiritûs sancti principium. S. Augustinus L. 5. de Trinitate c. 14. *Fatendum est*, aït, *Patrem & Filium principium esse Spiritûs sancti, non duo principia*. S. Anselmus Lib. de processione Spiritûs sancti, c. 18. idem conceptis verbis asserit.

T. 8. p. 841. pag. 57.

Prob. 3°. ratione: Ibi non duo, sed unum est processionis principium, ubi una est ac indivisa virtus producendi: atqui in Patre & Filio una est &c. Filius enim id omne habet quod Patris est, in quo ipsi non opponitur: atqui Pater vim habet spirandi Spiritum sanctum & ratione illius Pater non opponitur Filio; ergo.

Obj. 1°. Principium *quod* processionis est persona; ergo cùm Pater & Filius duæ sint personæ, duo quoque sunt principia Spiritûs sancti.

R. 2°. dist. ant. Principium *quod* processionis, est persona, simul cum proprietate relativâ, C. sine illa, N. Reverâ principium *quod* personam denotat; at non solam, sed simul formam per quam persona aliam producit. Cùm ergo forma illa in Patre & Filio respectu Spiritûs sancti una sit, nempe spiratio activa, consequenter Pater & Filius unum sunt principium Spiritûs sancti.

Instabis: Proprietas relativa non potest una esse in duabus personis; siquidem personæ à se invicem distinguuntur per illas proprietates relativas: atqui spiratio activa est proprietas relativa; ergo una esse non potest in Patre & in Filio.

R. dist. maj. Proprietas relativa quæ personam constituit, non potest esse in duabus personis, C. proprietas relativa quæ secundum nostrum intelligendi modum personæ jam constitutæ advenit, N. Porro spiratio activa non constituit personam patris, aut personam Filii: Pater quippe per paternitatem, Filius vero per Filiationem constituitur; ergo eadem spiratio utrique jam constituto advenit; ergo rursus nihil vetat quin utrique communis sit.

L. 2. de Trinitate. Obj. 2°. Nonnulli ex Veteribus, & imprimis S. Hilarius, Patrem & Filium vocant autores Spiritûs sancti; ergo sunt duo principia.

R. dist. Pater & Filius sunt autores Spiritûs sancti adjectivè, id est, sunt duæ personæ producentes Spi-

ritum sanctum, C. substantivè ac propriè, N. Ità S. Thomas 1. p. q. 36. a. 6. ad 7.

Obj. 3°. S. Augustinus, L. 15. de Trinitate, c. 17. ait Spiritum sanctum principaliter procedere à Patre; ergo non est idem cum Filio principium.

R. dist. ant. Principaliter est à Patre, hoc sensu quod Pater sit fons & origo totius divinitatis, C. hoc sensu, quod non sit una & eadem in Patre & Filio vis spirandi, N. *Ideo addidi principaliter*, ait S. Doctor, *quia....Filio...hoc quoque Pater dedit.* Hoc eodem sensu docuêre Patres aliqui, præsertim vero S. Gregorius Nyssenus, & S. Cyrillus Alexandrinus, Spiritum sanctum esse à Patre mediatè, quia à Filio per virtutem eidem Filio a Patre inditam producitur. *T. 8. p. 988.*

§. IV. *An si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab ipso distingueretur.*

Græci Spiritum sanctum reipsâ distinctum a Filio agnoscebant, etsi negarent eum ab ipso procedere: econtra Latini inter alia multa, istud urgebant, quod si a Filio non procederet, ab ipso non distingueretur. Quæritur an valeat argumentum istud. Negant aliqui, contra quos sit cum Thomistis.

Conclusio. Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab illo nullatenus distingueretur.

Prob. 1°. quia secundum principia SS. Gregorii Nazianz. Augustini & Anselmi. *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non est relationis oppositio*: atqui si Spiritus sanctus non procederet a Filio, ipsi relativè non opponeretur; ergo nec ab ipso distingueretur. Unde in hac hypothesi nec Filius, nec Spiritus sanctus iidem essent qui jam sunt: non Filius, quia tunc non haberet omnia quæ Patris sunt, vim scilicet spirandi, ac consequenter Patri in omnibus perfectè similis non foret: non Spiritus sanctus, cujus persona cum persona Filii confunderetur, a quo originem non duceret.

Prob. 2°. Relationes disparatæ realiter a se invicem non distinguuntur, ut v. g. paternitas & generatio activa: atqui tunc filiatio & spiratio passiva forent relationes disparatæ; ergo.

Prob. 3°. Intellectio & volitio a se invicem re non distinguuntur, quia non procedit una ab altera; ergo nec Spiritus sanctus distingueretur a Filio, si ab eo non procederet.

Obj. 1°. In hac hypothesi Filius haberet id omne

per quod in se constituitur ac distinguitur a Spiritu sancto, nempe filiationem; ergo pariter eo in casu Filius distingueretur a Spiritu sancto.

R. neg. ant. equidem in adducta hypothesi Filius haberet filiationem, sed non omnino qualem jam habent, id est junctam cum spiratione activâ. Porro Filius non constituitur ac distinguitur a Spiritu sancto per filiationem præcisè, sed per filiationem quatenus adjunctam habet aut habere postulat spirationem activam.

Obj. 2°. Etsi Spiritus sanctus a solo Filio procederet, adhuc a Patre distingueretur; ergo pariter si a solo Patre procederet, nihilominùs a Filio distingueretur.

R. neg. conseq. Disparitas est quod Spiritus sanctus si a solo Filio procederet, procederet tamen mediatè a Patre, quia Filius ipse vim spirandi a Patre accepisset. At si Spiritus sanctus a solo Patre procederet, ne mediatè quidem a Filio procederet. Namque eo in casu Pater non produceret Spiritum sanctum per vim aliquam sibi a Filio datam.

Obj. 3°. In ea hypothesi Filius procederet per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: at id sufficit ad realem utriusque distinctionem.

R. neg. min. alias inter intellectionem divinam & volitionem realis intercederet distinctio, quod certè falsum est: ad distinctionem realem in divinis omnino requiritur oppositio realis & relativa, fundata in origine unius ab altero.

QUÆSTIO DECIMA.

De cautione quâ in mysterio SS. Trinitatis loquendum est.

QUò abstrusius est & ab omni humano captu longius remotum SS. Trinitatis mysterium, eo major adhibenda cautio, ut castigata sit nostra loquendi ratio. *Nullibi enim*, ut ait Augustinus, *periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur.* Tria igitur nobis hic præstanda sunt: 1°. exponendi sunt termini, quibus uti solent Theologi in præsenti mysterio; 2°. expendendum quâ ratione efferri possint ac debeant nomina substantiva concreta; 3°. quomodo efferri debeant nomina adjectiva.

Lib. 1. de Trinit.

ARTICULUS PRIMUS.

Proponuntur & exponuntur voces in exponendo SS. Trinitatis mysterio usurpari solitæ.

VOces illæ, seu vocabula, ista potissimùm sunt, *essentia, natura, substantia, persona, hypostasis, suppositum, subsistentia, existentia, consubstantialis, personalis, proprietas, relatio, notio, circuminsessio*, &c. de quibus tunc paucis dicendum.

Essentia apud Philosophos sumitur pro ratione constitutivâ cujusvis rei. Hoc sensu, ut scitè observat S. Hilarius, Lib. de Synodis, res quælibet v. g. accidens, qualitas, relatio, &c. suam habet essentiam, quâ in suo esse constituitur: specialiter tamen ubi de Deo sermo est, essentia significat naturam & substantiam. *Humana inopia*, inquit S. Augustinus, L. 7. de Trinit. c. 4. *timuit dicere tres essentias, nè intelligeretur in illa summa œqualitate ulla diversitas.* Essentia.

Natura, sicut essentia tribuitur nonnunquam & ipsis accidentibus: quodlibet enim accidens propriam dicitur habere naturam: sed *natura*, ubi de Deo agitur, propriè idem significat ac substantiam per oppositionem ad proprietates, hypostasim & accidentia; quo sensu unicam naturam in tribus divinis personis, docet fides catholica. Natura.

Substantia id significat quod per se subsistit, nec alio indiget tanquam subjecto: hoc sensu Deo maximè proprium est substantiæ nomen: non vero quatenus significat id quod sustentat aliquod accidens. Unde S. Augustinus, L. 7, de Trinit. c. 5. negat substantiam proprie de Deo dici, quia nullum in ipso est accidens. Aliqui è Veteribus substantiam cum subsistentia confundunt: & ideo tres in Deo substantias esse dixerunt, id est tres personas: a quo loquendi genere tunc ex contrario usu abstinendum est. Substantia. *Ibid. p.* 861.

Existentia proprie Deo convenit, qui de seipso ait, *Ego sum, qui sum*, Exodi 3. Unde creaturæ veluti nihilum sunt ante ipsum, *Substantia mea tanquam nihilum ante te.* Existentia. *Psal.* 38.

Inter ista autem vocabula hoc discriminis observandum, quod *essentia* & *natura* pressiùs ac significantiùs denotent intima rei constitutiva principia, *substantia* vero id quod per se existit; & hoc sensu minùs patet quam *essentia* & *natura*: quidquid enim est, suam habet naturam & essentiam, v. g. accidentia, qualita-

tes, &c. quæ tamen ſubſtantiæ non dicuntur. *Exiſtentia* econtra latius patet quam *ſubſtantia*; competit enim rei cuilibet extra nihilum poſitæ; qualia ſunt accidentia.

Hypoſtaſis. Tantâ animorum contentione diſputatum olim fuit de ſignificatione vocis ejus, *hypoſtaſis*, ut hinc ex parte ortum fuerit grave illud diſſidium Antiochenum, quo tota Occidentis & Orientis turbata fuit Eccleſia; aliis cum Meletio, tres hypoſtaſes, aliis cum Paulino unam admittentibus. *Circà an.* 360. Verùm de ſola vocis ſignificatione, non de ſubſtantia dogmatis movebatur controverſia: qui enim in Deo tres dicebant hypoſtaſes, per hypoſtaſim intelligebant perſonam; & qui unam dicebant hypoſtaſim, per hypoſtaſim intelligebant naturam: quibus ex utraque parte auditis, diſſidium illud in Concilio Alexandrino anno 362. a S. Athanaſio compoſitum fuit.

Recruduit tamen tempore Damaſi S. Pontificis controverſia, de qua S. Hieronymus conſulens Damaſum, ſic loquitur Epiſt. 14. alias 57. *Decernite, obſecro, ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere... Quamobrem obteſtor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi ſalutem; per homouſion Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis, ſive tacendarum, ſive dicendarum hypoſtaſeon detur autoritas.* Ita vir ſanctus ac doctus, ſuam erga Sedem Apoſtolicam reverentiam teſtabatur.

Tandem ſignificatio vocis *hypoſtaſis* determinata fuit pro denotanda perſona, quem ſenſum invertere ac mutare nemini amplius licet.

Perſona, ut ſuo loco diximus, definitur à Boëtio, *naturæ rationalis individua ſubſtantia.* Aliter definiri poteſt: ſubſtantia rationalis ſingularis, completa, & ultimo terminata. Eſt 1°. *ſubſtantia*, quia per ſe ſubſiſtit, nec alio indiget tanquam ſubjecto inhæſionis, ut accidentia; 2°. *completa*, hoc eſt, quæ non eſt pars alterius: unde anima rationalis ſola non eſt perſona; 3°. *ultimò terminata*, ſeu, ut aïunt multi, incommunicabilis alteri tanquam ſubpoſito: hoc eſt ſubſtantia, quæ non modo ſuas omnes habet partes, ſed quæ inſuper non eſt unita alteri a quo perficiatur, & cujus ſit pars. Hinc natura humana unita Verbo a quo completur ac perficitur, non eſt perſona.

Suppoſitum. Nomen *Suppoſiti*, idem ſignificat quod perſona, cum hoc solùm diſcrimine, quod nomen perſonæ ſolis tribuitur ſubſtantiis ratione præditis, ſuppoſitum vero etiam ſubſtantiis irrationalibus.

Subsistentia dicitur id unde res per se subsistit; nec differt à persona, nisi tanquam abstractum è concreto: subsistentia enim modus est seu forma per quam natura per se subsistit, seu fit singularis, & redditur incommunicabilis alteri tanquam supposito; unde tot sunt in Deo subsistentiæ, quot personæ. In creatis pro multiplicatione subsistentiæ, multiplicatur natura: sed in Deo, una & eadem numero essentia triplici modo distincto, qui subsistentia aut personalitas dicitur, subsistit. Subsistentia.

Ομέσιος apud Græcos dicitur, qui ejusdem est cum altera naturæ. Hoc idem apud Latinos significat vox *consubstantialis*. Consubstantialis.

Patres Nicæni ad præcludendam Arianis omnem elabendi viam, Filium Dei Patri suo *consubstantialem* definiere: *Certè* enim, ait S. Athanasius, L. de Synodis, n. 45. *cùm omnia possint pro libidine sophismatibus eludere ac detorquere, hanc solam vocem, utpotè quæ suam hæresim confutet, reformidant: quam Patres, quasi propugnaculum adversus impiam omnem eorum cogitationem, conscripsêre.* Revera etenim Ariani, qui mirâ fallendi ac simulandi arte, quasque vel clarissimas fidei professiones eludebant, hâc unâ voce arctati effugere aliter non potuerunt, quàm contendendo supprimendam illam esse. Verùm cùm suppressionem illam à Patribus Nicænis obtinere nunquam potuissent, subinde toti in criminationes effusi, objecère, 1°. vocem hanc in Scripturis non extare; 2°. novam esse & antiquis Patribus incognitam, & à Nicænis primùm excogitatam; 3°. à Concilio Antiocheno an. 270. id est annis 55. ante Nicænum, in Paulo Samosateno proscriptam fuisse. Hæc porro omnia luculenter dissolvit S. Athanasius. *T.* 1. *p.* 760

Ad 1. respondet 1°. multas voces quarum sanus est sensus, usurpari, licet in Scripturis non extent; 2°. vocem hanc totidem quidem syllabis in Scripturis non extare; sed extare quoad sensum, & rem significatam.

Ad 2. respondet idem sanctus Doctor, falsò prorsùs ab Arianis istud asseri. *Diu namque*, inquit, *ante illos Septuaginta qui Samosatensem deposuerunt, duo Dionysii extitêre, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Episcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum Episcopum, Alexandrinum detulissent, quod Filium rem factam & Patri non consubstantialem affir-* *Ibid. p.* 757.

maret, Synodus Romæ coacta rem indignè tulit; Romanus autem Episcopus omnium sententiam rescripsit ad Dionysium Alex. *At ille sui purgandi causâ Librum edidit, &c.* Igitur, Athanasio teste, ante Concilium Nicænum Dionysius, tum Alexandrinus, tum Romanus, & cum isto Romana Synodus, jam agnoverant Filium Patri ὁμȣ́σιον, consubstantialem.

Eusebius ipse testis hâc in parte non suspectus, scribens ad suos Cæsarienses, apud Socratem, L. 1. Hist. cap. 8. *Novimus*, inquit, *quosdam ex veteribus & illustres Episcopos, qui de Patris & Filii divinitate disserentes, nomine* ὁμȣ́σιος *usi sunt.* Hoc ipsum agnoscit & Theodoretus, Lib. 1. Hist. cap. 3.

Pag. 22.

Addi potest, solemne esse in Ecclesia, ut variis exemplis anteà probavimus, ad novos Hæreticorum errores proscribendos, novas consecrari, voces quibus pressiùs stabilitur dogma catholicum, & error oppositus profligatur.

Ad 3. diverso planè sensu vocem ὁμȣ́σιον, accepêre Patres Antiocheni adversùs Paulum Samosatenum, & Nicæni adversùs Arium. Iste Filium veram creaturam esse contendebat; contra quod Patres Nicæni Filium ex substantia Patris genitum, adeoque unius & ejusdem cum ipso substantiæ, seu ὁμȣ́σιον esse definiunt. Paulus Samosatensis alter conjuratus divinitatis Filii hostis, voce ὁμȣσίȣ turpiter abutebatur, sensu corporeo intelligens Filium habere naturam à Patre divisam, ac quasi per partes discerptam. Sic enim ille sophisticè arguebat: Si Filius Patri suo est consubstantialis, Catholici dicunt, consequens est divinam substantiam in duas partes quasi dissectam esse, quarum altera Patrem, altera Filium constituat, adeoque divinam aliquam substantiam extitisse Patre & Filio anteriorem, quæ in duos istos posteà distributa fuerit; unde consequens erat; tres esse in Deo substantias, quæ quasi per partes dissectæ essent; quam quidem vocis ὁμȣσίȣ impiam interpretationem Patres Antiocheni merito abominati fuerunt. Ità penè S. Athanasiius, L. de Synodis.

Etsi huic receptæ solutioni nihil detractum velim, fatebor tamen mihi dubium esse, an vox, *consubstantialis*, in Antiochensi Synodo reprobata fuerit, decem circiter annis postquam ab utroque Dionysio Romæ & Alexandriæ admissa fuerat. Certe termini hujus

ſuppreſſionem nemo Catholicis objecit ante an. 358. id eſt penè 90. poſt Antiochenam Synodum annis. Equidem vocabulum hoc Antiochiæ ſuppreſſum fuiſſe crediderunt Athanaſius, Hilarius & Baſilius, ſed non ex ipſis Antiocheni Concilii Actis; unde rem aliter refert Athanaſius, aliter Hilarius, &c. Benè vero quia rumorem hunc à quibuſdam temere ſparſum, avidè arripuerunt, ac magè magiſque ſparſerunt Semiariani, queis nimium credidêre Catholici. Vide opuſculum cui titulus: *Diſſertation ſur les Sémiariens*, Pariſ. 1722. §. 7.

Præter mox expoſita vocabula, nonnulla frequenter recurrunt apud Eccleſiæ Doctores; & 1°. nomen *Trinitatis*, quod licet in abſtracto non habeant Scripturæ, habent tamen in concreto I. Joan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, &c.* Uſu autem Eccleſiaſtico conſecrata eſt *Trinitatis* appellatio, apud Antiquos non infrequens, & idonea maximè ad ſignificandas tres diſtinctas in unitate ejuſdem eſſentiæ perſonas Concilium quidem Bracarenſe I. Can. 2. damnat iſtam propoſitionem, *Divinitas eſt Trinitas*, ſenſu hæretico Priſcilliani, qui Sabellianam hæreſim in Hiſpania renovabat, perſonas divinas confundendo; ſed non damnat ſenſu catholico intellectam, pro reali nimirum eſſentiæ divinæ cum diſtinctis perſonis identitate, quo ſenſu à S. Athanaſio, Epiſt. 1. ad Serapion. dicitur; *Tota Trinitas unus Deus eſt.*

Conc. Hiſpan. Madrit. 1593. *p.* 117.

T. 1. *p.* 665.

2°. Voces *proceſſionis, proprietatis, relationis, notionis*, quæ à Scholaſticis uſurpantur, ſanum & optimum ſenſum habent; quod quia liquet ex dictis, hic annotare ſufficiat aliquod inter eas voces eſſe diſcrimen; quia notio latiùs patet relatione, & relatio proprietate. Nam tres tantùm ſtatuuntur proprietates, paternitas ſcilicet, filiatio, & proceſſio; quatuor relationes, paternitas, filiatio, ſpiratio activa & paſſiva; & quinque notiones, innaſcibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio tam activa quàm paſſiva.

A notione oriuntur actus notionales, qui apprimè diſtingui debent ab actibus eſſentialibus, ſicuti & facultates notionales ab eſſentialibus. Scilicet intellectio divina (idem dicendum de volitione) ſumitur vel eſſentialiter, quando ſpectatur præcisè ut intellectio nullâ notione affecta; vel notione paternitatis in Patre. Priori ſenſu communis eſt tribus perſonis, poſteriori vero in ſolo Patre reperitur.

Sociniani hæreticorum omnium tempore postremi, impietate vero primi, terminos illos omnes tanquam à Scripturis alienos explodunt, eaque sola adhibenda esse verba contendunt, quibus Scriptura utitur. At incauti seipsos jugulant: quod enim contra Arianos urgebat olim S. Athanasius, in Scripturis non legi *Filium ex non extantibus factum, creaturam esse*, quod tamen ipsi impiâ temeritate usurpabant; hoc ipsum & contra Socinianos contorquere merito possumus. Conqueruntur nos eas usurpare voces quæ non sunt in Scripturis: at ubinam legerunt illi, Christum Deum non esse natura, sed gratiâ; eum non priùs extitisse, quàm ex Maria nasceretur; Spiritum sanctum non esse personam divinam, sed meram Dei efficaciam? &c. Nova hæc, inaudita & impia sacrilego ore illi protulerunt: nos etsi multa usurpamus verba, quæ non sunt in Scripturis quantum ad sonum, sunt tamen quoad sensum, & quæ usu Ecclesiæ consecrata sunt.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quâ ratione nomina essentialia, concreta, substantiva, prædicentur de personis divinis.

NOt. 1°. nomina *essentialia* ea esse quæ essentiam nude significant, & tribus personis communia sunt, v. g. nomen *Dei*.

Not. 2°. illorum nominum alia esse abstracta, quæ solam formam significant, ut divinitas, sapientia, bonitas: alia esse concreta, quæ significant formam & subjectum, unde resolvuntur per *to* habens; ut Deus habens divinitatem, bonus habens bonitatem, &c.

Not. 3°. inter illa nomina alia esse substantiva, vel substantive usurpata, ut Deus, Dominus: alia esse adjectiva, ut bonus, sapiens.

Not. 4°. nomina substantiva eo potissimùm distingui ab adjectivis, quod adjectiva subjectum directe, & formam indirecte tantùm, nimirùm ut subjecto adjacentem, significent: substantiva vero formam ipsam directe, subjectum vero nonnisi confuse arguunt.

Atque hinc est quod nomina substantiva plurali numero non efferantur, nisi ubi forma ipsa multiplicatur; adjectiva autem econtra subjectorum conditionem sequantur. Unde ut hæc singularia sunt, vel multiplicia, ità singulari vel plurali numero exprimuntur. His præsuppositis, sit

Conclusio. Nomina essentialia concreta substantiva, vel etiam adjectiva, *substantivè* tamen accepta, prædicantur singulariter de tribus personis divinis.

Prob. quia ex mox dictis, nominum concretorum substantivorum singularitas & pluralitas petitur à singularitate & pluralitate formarum, quas primo per se ac directe significant: atqui nomina essentialia substantiva unam habent formam: v. g. *Deus*, unam divinitatem; *creator*, unam omnipotentiam; ergo solùm singulariter dici possunt substantive de tribus personis.

Addidi etiam, adjectiva nomina, *substantivè* tamen accepta, singulariter prædicari de personis divinis; quia aliquando fit, ut nomen quod est adjectivum, sumatur substantive, & tunc in significando & prædicando sequitur conditionem nominum substantivorum. Sic in Symbolo, quod S. Athanasii nomine circumfertur, dicitur in divinis esse *unum omnipotentem*, *unum æternum*, *non tres omnipotentes*, *non tres æternos*; & tamen ibidem dicuntur tres personæ *esse sibi coæternæ*. Quid ità? quia terminos istos, *æternus*, *omnipotens*, substantive usurpat Autor Symboli, cùm eos masculine usurpat.

ARTICULUS III.

Quâ ratione nomina essentialia adjectiva, prœdicentur de Personis divinis.

Conclusio. Nomina essentialia concreta adjectiva, vel substantiva *adjectivè* sumpta, prædicantur in plurali de personis divinis.

Prob. quia nomen adjectivum primario, per se ac directe exprimit subjectum, seu habens talem formam: unde sic resolvitur: *Omnipotens*, *is qui habet omnipotentiam*: sed in divinis tres sunt qui habent omnipotentiam, justitiam, &c. ergo dici possunt tres omnipotentes *adjectivè*.

Nec dicas, non posse plures deos dici. licet plures sint personæ habentes divinitatem; ergo pariter non posse dici plures omnipotentes, licet plures sint personæ habentes omnipotentiam. Ratio etiam discriminis est, quia nomen istud *Deus*, omnino substantivum est, neque secundùm propriam suam significationem exprimit ipsum habens deïtatem, sicut bonus habens bonitatem; sed exprimit tantùm ex se ens summe

perfectum, necessarium, per se existens ac subsistens, atque adjective tantùm significat habens deïtatem: sicque propter varium significandi modum, verum est in divinis tres esse habentes deïtatem, & falsum est tres esse deos; quia, ut dixi, nomen *Deus* substantive usurpatur.

Ex iis sequitur, voces illas, immensus, potens, æternus, dici debere pluraliter, cùm adjectivæ sint, & ità sæpiùs: quandoque tamen voces illæ sumuntur *substantivè*, quod ubi fit, singulari numero efferuntur. Ità sanctus Athanasius in Symbolo sub ejus nomine. *Non tres immensi, non tres æterni, sed unus immensus, & unus æternus*, scilicet, *substantivè*. Ità quoque S. Augustinus Tractatu 39. in Joannem, & Synodus Toletana XI. in fidei professione.

Quæres, utrùm nomina concreta possint supponere, id est, sumi pro personis divinis.

R. 1°. nomina essentialia abstracta non posse supponere pro personis divinis: sic dici non potest, Essentia generat aut generatur, sicut definitum fuit in Concilio Lateranensi IV. Ratio est, quia nomen abstractum, v. g. essentia, nullum suppositum, nullam personam denotat aut significat; non potest igitur pro persona supponere; unde quando Veteres nonnulli abstractis nominibus usi fuerunt, ea, sicut exponit sanctus Thomas, loco concretorum usurpavêre, & per concreta exponenda sunt.

R. 2°. nomina essentialia concreta, si non restringantur per aliquod attributum notionale, vel per aliquid simile, ad unam vel duas ex divinis personis, sed ponantur duntaxat secundùm se in aliqua propositione, tunc supponunt pro divina essentia ut existente & subsistente in omnibus personis divinis. Ità cùm dicitur, Deus erat; nomine *Dei* divina essentia in tribus divinis personis subsistens intelligitur. Si autem restringantur, seu determinentur per aliquid notionale, vel per quid æquivalens notionali, tunc supponunt pro eâ tantùm personâ, cui talis actus notionalis competit; vel pro duabus, si actus ille competat duabus personis divinis: sic quando dicitur, Deus generat, Deus spirat, Deus generatur, Deus spiratur; nomen *Deus*, supponit in prima propositione pro Patre, qui solus generat; in secunda pro Patre & Filio, qui spirant; in tertia pro solo Filio, qui solus generatur; & in quarta pro Spiritu sáncto, qui spiratur.

TRACTATUS
DE INCARNATIONE.

TOTAM de Incarnatione Verbi divini Disputationem Quæstionibus octo absolvemus: I. erit de cognitone Mysterii Incarnationis; II. de possibilitate illius ac convenientiâ; III. de existentiâ; IV. de necessitate; V. de satisfactione ac merito Christi; VI. de causis Incarnationis; VII. de natura ejusdem, & variis ipsius proprietatibus; VIII. de Christi adoratione, &c.

QUÆSTIO PRIMA.

De probationibus & cognitione Incarnationis.

EXpositâ breviter Incarnationis definitione, cujus singulas partes vindicabimus in decursu, videndum hic; 1°. an Mysterium Incarnationis ratione naturali demonstrari possit; 2°. an Angelis, Judæis, aut Gentilibus notum aliquando fuerit.

ARTICULUS PRIMUS.

De probationibus Incarnationis.

INcarnatio variis in Scriptura & apud Patres nominibus appellatur. Et quidem dicitur; 1°. *Missio Filii.* Galat. 4. v. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.*

2°. *Æconomia* seu *dispensatio*, eo quod in humanitatis assumptione mire elucet Dei indulgentia, qui sese, temperato divinitatis fulgore, ad nos demittere dignatus est, ut nos edoceret ac salvos faceret.

3°. *Abbreviatio*, *demissio*, *exinanitio*, secundùm id Philipp. 2. v. 7. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.*

4°. *Epiphania*, seu manifestatio, & *Theophania*,

seu declaratio, quia per Incarnationem Deus *manifestatus est in carne*, I. ad Timoth. 2.

At præcipue dicta est *Incarnatio*, quæ vox, etsi non diserte, æquivalenter tamen habetur Joan. 1. *Verbum caro factum est*; non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Carnis autem nomine, per synecdochen, tota intelligitur humanitas, ut Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*. Lucæ 3. *Videbit omnis caro salutare Dei*.

Incarnatio definiri potest, *unio personalis seu hypostatica naturæ divinæ ac humanæ in una Verbi divini personâ, ex quâ unus est Christus*.

Dicitur *unio*, id est, distinctorum conjunctio. Reverà enim duplex in Christo distincta natura conjungitur, divina scilicet cum humana.

2°. *Personalis*, seu *hypostatica*, non moralis tantùm, seu ex gratia solummodo & adoptione; sed ex verâ, reali ac physicâ unione naturæ utriusque in una persona: eo fere modo quo anima unitur cum corpore unione physicâ & reali, ex quâ homo constat.

3°. *in una Verbi persona, ex qua unus est Christus*. Quippe non remanet in hac unione personalitas hominis, sed à persona Verbi suppletur: unde non duæ sunt in Christo personæ, sed una, ut ex dicendis liquebit. His præmissis, ut de Trinitate suprà, sic & de Incarnatione quæritur, an solâ ratione demonstrari valeat. Sit

Conclusio. Mysterium Incarnationis sive ante, sive post revelationem, solâ ratione naturali positive demonstrari non potest, sed negative duntaxat.

Prob. 1. pars, 1°. ex Scripturis, I. Cor. 2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*, Et Coloss. 1. *Mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus, nunc autem manifestum est sanctis ejus*: sed quod ab omni ævo absconditum est, positive & evidenter demonstrari nequit; ergo.

Prob. 2°. ex Patribus, quorum mentem exhibet S. August. Epist. 137. aliàs 3. ad Volusianum, c. 2. in fine, ubi de mysterio Christi incarnati verba faciens,
T. 2. *Si ratio*, inquit, *hic quæritur, non erit mirabile; si*
p. 405. *exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum*
A. B. *aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis*: sed quod mirabile est, singulare, humanæque rationi impervium, sub demonstrationem non cadit; ergo.

Prob. 3°. theologicâ ratione: Demonstratio vel sit

à priori per causas, vel à posteriori per effectus: atqui neque per causas, neque pre effectus demonstrari potest mysterium Incarnationis. Non per causas: siquidem efficiens Incarnationis causa, quæ sola hic juvare potest, est ipsamet divina voluntas & omnipotentia: atqui hujus nulla reddi ratio potest: *In talibus* **August.** etenim *rebus tota ratio facti est voluntas facientis.* Neque etiam per effectus naturales demonstratio hæc fieri potest; nulli etenim sunt qui necessariam habent cum hoc Mysterio connexionem; nulli ex quibus ostendi possit, *salvâ proprietate utriusque naturæ,* & **S. Leo,** *in unam coeunte personam, susceptam esse à majestate* **Ep. 24.** *humilitatem, à virtute infirmitatem, ab æternitate mortalitatem;* ergo.

Prob. 2. pars. Illud negativè demonstrari dicitur, quod non probatur impossibile, & à contrariis argumentis vindicatur: atqui tale est Incarnationis mysterium: quod enim verum est, nunquam potest demonstrari esse falsum.

Obj. 1°. Miracula Christi solâ ratione innotescebant: atqui ex Christi miraculis necessario deducebatur Incarnatio ejus; ergo incarnatio solâ ratione demonstratur.

R. dist. min. Ex Christi miraculis præeunte revelatione necessario deducitur Incarnatio; quia qui se Deum & hominem dicit, idque talibus miraculis confirmat, fidem meretur, C. ex Christi miraculis seclusâ revelatione, N. Apostoli enim teste Christo majora fecêre miracula quàm ipsemet Christus; ergo sola miracula Incarnationem non probant.

Obj. 2°. Duo docet ratio sola; 1°. Deum posse quidquid non repugnat; 2°. non repugnare quod Deus uniat se cui voluerit naturæ, seu Angelicæ, seu humanæ; idque in unitate suppositi: atqui non potest duo hæc docere ratio, quin doceat possibilitatem Incarnationis; ergo.

R. datâ majore, non concessâ, quia post revelationem multa habentur pro certis & evidentibus quæ seclusâ revelatione nemo unquam cogitasset: R. inquam, neg. min. Incarnatio enim prout à Christianis admittitur, tria hæc importat: 1°. unam è tribus personis carnem assumpsisse; 2°. eam assumpsisse carnem, ut justitiæ divinæ satisfaceret; 3°. eandem hoc fine saturatam fuisse opprobriis, cum iniquis reputatam, & infami crucis patibulo suspensam: atqui hæc omnia nedum ratione probentur, rationi sibi relictæ offendi-

culo ſunt: adeo ut Judæis *ſcandalum* fuerint, *Gentilibus autem ſtultitiam*; ergo.

Obj. 3°. Naturaliter cognoſcitur; ſummum bonum ſuî diffuſivum eſſe modo præſtantiſſimo: atqui non alius eſt perfectior modus quo ſeipſum diffundat, quàm per intimam ſuî cum humanitate conjunctionem.

R. diſt. maj. Sed non cognoſcitur naturaliter an modus Incarnationis ſit præſtantiſſimus reſpectu Dei, quem exinanire videtur, & reipsâ exinanivit, teſte Apoſtolo, C. ſecùs N.

ARTCULUS SECUNDUS.

De cognitione Incarnationis.

MYſterium Incarnationis ſpectari poteſt, vel ut futurum ac promiſſum; vel ut factum & impletum. Rurſus Angeli vel boni ſunt ac beati, vel mali ac reprobi, qui dæmones appellantur.

Conclusio I. Angeli boni & futurum & factum agnovêre Incarnationis Myſterium.

Prob. Qui Chriſti nativitatem prædixêre, qui Chriſtum naſcentem adoravêre, qui ortum ejus annuntiavêre, ii & futurum & factum Incarnationis myſterium agnoverunt: atqui Angeli 1°. prædixerunt nativitatem Chriſti: hanc enim & Danieli annuntiavit Gabriel, Dan. 9. 23. & Mariæ Luc. 1. 31. his verbis: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: Hic erit magnus, & filius Altiſſimi vocabitur*; 2°. Chriſtum naſcentem adoraverunt Angeli; Hebr. 1. *Cum introduxit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*; 3°. ortum ejus annuntiavêre: Luc. 2. *Ecce evangeliſo vobis gaudium magnum quod erit omni populo, quia natus eſt nobis hodie Salvator qui eſt Chriſtus Dominus*; ergo.

Obj. Ex Apoſt. Epheſ. 3. *ſapientia Dei* innotuit *principatibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam*, ſeu per Apoſtolorum prædicationem: unde ipſimet Angeli, Pſal. 23. inducuntur ex anxietate ſciſcitantes in Aſcenſione Chriſti, *Quis eſt iſte rex gloriæ?* & apud Iſaïam, cap. 63. v. 1. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* ergo Angeli myſterium hoc antequam fieret, non cognoverunt.

R. diſt. conſeq. non cognoverunt plenâ & perfectâ cognitione, & quantum ad omnes redemptionis hu-

manæ effectus, quos uſu ipſo & experientiâ compertos habuêre, C. ſimpliciter & abſolutè, N. Ità S. Thomas in cap. 3. Epiſt. ad Epheſios.

Citatis locis ex Pſalm. 23. & Iſaïæ 63. non anxietas & dubitatio, ſed admiratio exprimitur.

Conclusio II. Dæmones aliquando dubii videntur fuiſſe circa Chriſti divinitatem, aliquando eam certo cognoviſſe.

Prob. 1. pars, quia, Matth. 4. v. 3. dæmon ſollicitè vias omnes explorat, quibus Chriſtum certo cognoſcere poſſit: *Si Filius Dei es*, aïebat ad Chriſtum, *dic ut lapides iſti panes fiant*; ergo haud certo ſciebat an is Dei Filius eſſet.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Ignatius Martyr, in Epiſt. ad Epheſios, n. 19. ait Chriſtum ex Virgine naſci voluiſſe, *ut partus ejus diabolo celaretur*. S. Leo Serm. 11. de paſſione, c. 3. *Si*, inquit, *crudelis & ſuperbus inimicus conſilium miſericordiæ Dei* in Incarnatione *noſcere potuiſſet, Judæorum animos potius temperare, quàm injuſtis odiis ſtuduiſſet accendere, nè omnium captivorum amitteret ſervitutem, dum nihil ſibi debenti perſequitur libertatem.*

Prob. 2. pars, nempe dæmones interdum videri Chriſtum agnoviſſe: ſiquidem Marci 1. ſpiritus immundus dicit ad Chriſtum, *Quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos? Scio qui ſis ſanctus Dei*; & v. 24. *Dæmonia multa ejiciebat*, (Chriſtus) *& non ſinebat ea loqui, quoniam ſciebant eum*, ſive tantummodo ex conjectura ſive ex certa cognitione.

Conclusio III. Patriarchis, Prophetis, aliiſque viris ſanctitate conſpicuis futurum innotuit Incarnationis myſterium: imo nec Gentiles omnino latuit.

Prob. 1. pars, tum quia venturum Meſſiam non obſcure indicant verba hæc Geneſ. 22. v. 18. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*; tum quia de ſolo Meſſiâ intelligi poteſt celebre iſtud Jacobi vaticinium Gen. 49. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Prob. 2. pars de Gentilibus, quia certam Meſſiæ cognitionem indicant nota hæc Job, viri Idumæi verba: *Job.*
Scio quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de 19. 25.
terra ſurrecturus ſum; & in carne meâ videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt. Et Balaam, Numer. 24. v. 17. Chriſtum his prædixit verbis: *Orietur ſtella ex Jacob*, unde

T. 7. p. 530. C. S. Aug. L. 18. de Civ. Dei, cap. 47. *Non incongruè creditur fuisse & in aliis gentibus homines quibus hoc Mysterium revelatum est, & qui hoc etiam prædicere impulsi sunt.* Addit ibidem sanctus Doctor, *multos inter gentes pertinuisse ad civitatem spiritalem Jerusalem:* Ibid. E. *Quod nemini*, inquit, *concessum fuisse credendum est, nisi cui divinitus revelatus est unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus;* revelatus, inquam explicitè, vel implicitè. Explicitam enim Christi fidem non fuisse tunc temporis omnibus necessariam docent vulgo Theologi cum S. Thomâ 2. 2. q. 2. art. 7. & 8.

Accedit & testimonium magni illius apud Sinenses Philosophorum principis Confucii, qui etsi annis 550. ortum Christi antecessit, eum tamen prævidisse videtur in Libro quem latinè reddidit Prosper Intorcetta Siculus è S. J. ubi Philosophus ille Principem ad virtutem adhortans dicit: *Legibus cœli ac terræ facta ejus consentiunt; neque vereri debet, ut* CUM SANCTUS ILLE EXPECTATUS ADVENERIT, *idem tum virtuti ejus ac dum regnaret, honos habeatur.* Hæc profectò, si de Messia intelliguntur, ut intelligi haud dubiè possunt ex Hebræorum oraculis, quæ ad Sinas usque tunc temporis pervaserant, hausta fuisse dubitari non potest.

Mitto probationem quam ex oraculis Sibillarum nonnulli ducunt: etsi enim non ignoro à multis ex antiquis SS. Patribus ea in probationem adducta fuisse contra Gentiles, non tamen indubitatæ fidei videntur: unde S. Aug. L. 18. de Civ. Dei, c. 47. ait: *Quacumque aliorum prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ. Ideo nihil est firmius ad convincendos quoslibet alienos....quàm ut divina prædicta de Christo ea proferantur, quæ in Judæorum scripta sunt Codicibus.* T. 7. p. 530. G. F.

QUÆSTIO SECUNDA.

An possibilis sit & conveniens Incarnatio.

UTrumque hoc caput, licet unum in aliud recidat, pro Scholarum more seorsim expendemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De possibilitate Mysterii Incarnationis.

IMpossibile visum est Gentilibus, quibus crux Christi stultitia; Judæis, quibus scandalum fuit; Socinianis, qui quæcumque possunt implicantia argumenta huic Mysterio opponunt.

Conclusio. Possibile est, seu nullam repugnantiam includit Mysterium Incarnationis.

Prob. 1°. eâ ipsâ ratione quâ usus est Angelus Gabriel, cùm Mysterium istud beatæ Virgini nuntiavit, Lucæ 1. 37. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

2°. Quod reverâ impletum fuit, haud dubie possibile est: atqui impletum fuisse Mysterium Incarnationis paulo post demonstrabimus.

3°. Illud possibile dici debet, quod nullâ ratione implicat: atqui Incarnatio nullâ implicat ratione, ut mox patebit ex solutione objectionum; ergo.

Obj. 1°. Verbum, utpote Deus, mutari non potest: atqui positâ Incarnatione mutaretur. Illud enim vere & intrinsece mutatur, quod fit substantialiter id, quod antea non erat: atqui Verbum fieret... Fieret enim vere & intrinsece homo; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. Illud mutatur quod fit per conversionem id quod anteà non erat, C. quod fit per assumptionem novæ naturæ, N. itaque quod in aliud convertitur, mutatur necessario, ut cùm ex ligno fit ignis: sed quod novam naturam terminare incipit, eique uniri, non ideo mutatur, quia nullam novam perfectionem perdit aut acquirit. Porro, ut habet vetus Symbolum: *Deus factus est homo non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum.* Unde Augustinus, Ep. 137. ad Volusian. c. 3. *Homo*, inquit, *Deo quidem accessit; sed Deus non à se recessit.*

Inst. 1°. Nova denominatio intrinseca supponit novam formam intrinsecam: v. g. cùm homo dicitur doctus, supponitur in ipso nova doctrinæ accessio: atqui Verbo divino nova supervenit intrinseca denominatio, nempe hominis; vere enim ac intrinsece homo est; ergo nova ipsi accessit intrinseca forma, humanitatis scilicet, in ipsâ divinâ naturâ recepta.

R. dist. maj. Supponit novam formam intrinsecam, aut receptam tanquam in subjecto, aut terminatam

à persona longe nobiliori, C. novam formam quæ necessario recipiatur in persona, eamque perficiat, N. Porro humanitas in verbo tanquam in subjecto non recipitur, sed cum verbo hypostatice unitur; ex hac autem unione summa resultat in humanitate perfectio, nulla in divinitate.

Inst. 2°. humanitas & Verbum facerent aliquid perfectius quàm Verbum solum: perfectio enim addita perfectioni facit perfectius; ergo si Verbum caro factum sit, debuit perfici.

R. ad 1. neg. ant. ad 2. dist. Perfectio perfectioni finitæ addita facit perfectius, C. addita perfectioni infinitæ, prout est Verbum, N. Verbum enim cùm eminenter quidquid perfecti est in creaturis contineat, nullâ earum secum unione perfici potest saltem intensive, licet extensive & improprie perfici videatur, quatenùs duplicem terminat naturam, cùm unam anteà terminaret.

Obj. 2°. Positâ Incarnatione humana natura in Christo suâ propriâ spoliatur subsistentiâ; aliàs non una, sed duæ forent in Christo personæ: atqui fieri non potest ut humana natura suâ spolietur subsistentiâ: 1°. quia subsistentia non distinguitur ab ipsa substantia; ergo ubi est substantia, ibi est & subsistentia; 2°. quia subsistentia nihil aliud est quàm modus quo substantia per se subsistit, nec alio indiget cui inhæreat; atqui natura humana in Christo per se subsistit, nec alteri inhæret ad modum accidentium; ergo est in Christo humana subsistentia.

R. ad 1. neg. min. Natura enim quæ cum personâ infinitâ intime copulatur, ut fiat pars totius perfectissimi, suâ propria personalitate spoliari potest; & quidem absque ullo sui damno: imo potiùs cum magna infinitæ perfectionis accessione.

Ad 1. 2. dist. Subsistentia non distinguitur à substantiâ seu naturâ, tanquam res à re, C. tanquam modus naturam ultimo terminans, ac reddens incommunicabilem alteri tanquam supposito, N. Porro res aliqua integra subsistere potest absque suo certo modo: digitus, v. g. sine inflexione; maxime cùm modus ille excellentiori ratione à persona superiori & infinita suppletur, ut fit in Mysterio Incarnationis.

Ad 2. 2. mera est æquivocatio nominis. Quippe si *per se subsistere*, idem tibi sit, ac alteri non inhærere per modum accidentis, concedimus hoc sensu naturam humanam in Christo per se subsistentem esse:

si vero *per se subsistere*, significet naturam completam ultimo terminatam, quæ totum quoddam est, quod personam appellamus, hoc sensu natura humana in Christo per se non subsistit, sed subsistentia alienâ, nempe Verbi divini, nec totum quoddam est, sed pars totius compositi.

ARTICULUS SECUNDUS.

An conveniens fuerit Incarnatio.

Conveniens hic dicimus, quod decens est & naturali alicujus inclinationi consentaneum. Quæritur ergo, an Incarnatio conveniens fuerit 1°. Deo ipsi; 2°. Homini & toti Universo; 3°. an convenientius fuerit incarnari Verbum, quàm Patrem aut Spiritum sanctum; 4°. an convenienter dilata fuerit Incarnatio ad plenitudinem temporis.

Conclusio I. Incarnatio Deo est maximè conveniens.

Prob. 1°. quia bono infinito maximè convenit ut seipsum communicet modo præstantissimo: atqui nullus excogitari potest ipsâ Incarnatione præstantior.

Prob. 2°. Illud maximè conveniens est, in quo miro fulgore resplendent divinæ perfectiones, imprimis omnipotentia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia: atqui in Incarnatione resplendent, 1°. omnipotentia: unde mysterium illud, opus Dei per excellentiam appellatur, Habac. 3. v. 2. *Domine, opus tuum, in medio annorum vivifica illud;* & B. Virgo, Lucæ 1. mirabunda exclamat: *Fecit mihi magna qui potens est.* Et vero, quantum divinæ virtutis prodigium est, hominem Deum ex Virgine matre nasci, illæso virginitatis flore, demitti ad vilem conditionem hominis supremi numinis majestatem, &c.

2°. Tam mirificè divina sapientia elucet in Incarnatione, ut cùm Apostolo merito dici possit, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Elucet vero maximè, tum quod per eam adinventus sit modus planè divinus conciliandæ justitiæ divinæ cum ejus misericordia, salvis juribus utriusque: & ità feliciter adimpletum quod prædixerat David, Psalm. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt;* tum quia summum profecto divinæ sapientiæ opus in eo est, quod ipso peccato, quo dæmon usus fuerat ut hominem perderet, Deus ipse usus fuerit tanquam occasione, ut eundem salvum fa-

I. Car. F. 25.

ceret, & ut canit Ecclesia, *medelam ferret inde, hostis unde læserat.*

3°. Bonitas & misericordia Dei in isto mysterio imprimis emicant. *Apparuit*, inquit Apostolus ad Titum 3. *benignitas & humanitas Salvatoris nostri.* & Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et vero si, ut ait Christus, Joan. 15. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, quanta est Dei benignitas, ut etiam pro impiis & inimicis filium suum morti acerbissimæ tradiderit?

4°. Justitia Dei eodem Mysterio jura sua rigorose vindicat; quæ immanes de Christo poenas repetiit in ultionem nostrorum peccatorum pro quibus vadem se constituit. *Verè languores nostros ipse tulit*, ait Isaïas cap. 53. *& dolores nostros ipse portavit: . . . Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.* Et Rom. 3. v. 26. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum*; ergo.

Dices: In Incarnatione omnes fere divinitatis processiones obscurantur & obvelantur: quod est inconveniens.

R. obscuritatem hanc feliciter, admixtis fulgoribus compensari.

Concipitur quidem Christus in carne, sed de Spiritu sancto, sed ex Virgine. In humili & obscuro loco pannis involvitur; sed & præcones habet Angelos clamantes: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*; & à Regibus adoratur. Fugit in Ægyptum; sed idola ibi sua præsentia subvertit. Vivit pauper & abjectus; sed stupenda operatur, ac in monte coram Apostolis transfusa in corpus suum dignitatis gloria, se Deum esse manifeste comprobat. Baptisatur à Joanne; sed de Cælo clamat Pater: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Esurit in deserto; sed ministros habet Angelos. Rapitur à militibus; sed eos priùs voce prosternit, & auriculam Malcho restituit. Ligari se permittit; sed penes ipsum est rogare Patrem, ut duodecim mittat in sui defensionem legiones Angelorum. Cruci affigitur; sed scelus horret terra, & concutitur. Moritur; sed obscuratur sol, sepulchra aperiuntur, mortui reviviscunt. Sepelitur; sed propria virtute resurgit, in Cælum ascendit, Spiritum sanctum ad suos mittit. Atque

Luc. 2. *v.* 14.

ità, ut se Deum simul & hominem probet, quasi alternis vicibus & divinitas humanitatem illustrat, & humanitas divinitatem obscurare videtur.

Conclusio II. Incarnatio maximè conveniens fuit homini, totique Universo.

Probatur ex innumeris beneficiis quæ ex Verbo incarnato ad nos defluxerunt. Inde enim 1°. naturæ perditæ reparatio per Christum, *quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius.... propter remissionem præcedentium delictorum.* Rom. 3. v. 25.

2°. Cælestis, quam Unigenitus, qui est in sinu Patris, nobis enarravit, doctrina & constans virtutum omnium exemplar, maximè humilitatis, quam in remedium innatæ nobis superbiæ Christus toto suæ mortalis vitæ decursu coluit & observavit. *Propter hoc vitium superbiæ,* ait S. Augustinus, in Psalm. 18. Enar. 2. n. 15. *Propter hoc magnum superbiæ peccatum, Deus humilis venit.... Jam tandem erubescat homo esse superbus, propter quem factus est humilis Deus;* & Lib. de agone Christiano: *Quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur? Quæ avaritia sanari potest, si paupertate Filii Dei non sanatur? Quæ iracundia sanari potest, si patientiâ Filii Dei non sanatur?* T. 4. p. 87. D. E. T. 6. p. 251. E.

3°. Naturæ nostræ sublimatio, quæ ex intimâ sui cum Verbo conjunctione, ad tam sublime dignitatis fastigium evecta est: *ut quò attollatur altius, non habeat,* aït S. Augustinus, L. de Prædest. SS. c. 15.

4°. Facilis & apertus ad Deum accessus per Christum. I. Joan. 2. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.* Et Hebr. v. 15. *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine, absque peccato.* T. 10. p. 810. F.

5°. denique, bonorum ac malorum temporalium despicientiam nobis exemplo suo Christus commendavit. *Nolite,* aïebat S. Augustinus, Lib. de agone Christiano, c. 11. n. 12. *amare temporalia; quia si benè amarentur, amaret ea homo quem suscepit Filius Dei. Nolite timere contumelias, cruces & mortem; quia si nocerent homini, non ea pateretur homo quem suscepit Filius Dei. Omnia ergo terrena contempsit homo factus Dominus Christus,* inquit idem S. Doctor, Lib. de Ca- T. 6. p. 251.

Ibid. techiſ. rudibus, c. 22. n. 40. *ut contemnenda monſtra-*
p. 288. *ret: & omnia terrena ſuſtinuit mala, quæ ſuſtinenda*
F. *præcipiebat, ut neque in illis quæreretur felicitas, ne-*
que in iſtis infelicitas timeretur.

Quantùm pariter toti Univerſo decoris ac ornamenti attulerit Incarnatio, probat Apoſtolus, Epheſ 1. v. 10. ubi ait omnia per Chriſtum inſtaurata fuiſſe, *quæ in cœlo, & quæ in terra ſunt.*

Conclusio III. Congruum magis fuit Verbum incarnari, quàm Patrem aut Spiritum ſanctum.

Prob. multiplici Patrum ratione: & quidem 1°. cùm per Verbum omnia facta ſint, eique per quandam appropriationem rerum creatio tribuatur, conſentaneum fuit hominem per Verbum reformari ac reparari, à quo conditus fuerat. Ità S. Leo, Serm. 12. de Paſſione Domini.

2°. Verbum eſt Dei ſapientia, & ratio ſubſiſtens ac perſonalis: ergo congruum fuit hominem, qui ſapientia Dei formatus fuerat, ac in tantam ſubinde dementiam lapſus eſt, ut ſimilis factus ſit *jumentis inſipientibus*, ſuæ primævæ rationi ac ſapientiæ per Verbum Dei reſtitui.

3°. Homo factus eſt ad imaginem Dei, quam peccando miſerè deformavit; conſentaneum igitur fuit priora illa imaginis deformatæ lineamenta reparari ab eo, qui naturâ ſuâ eſt imago Dei inviſibilis, ac character ſubſtantiæ ejus.

4°. Incarnatio eſt miſſio quædam Filii, ſecundum id Galat. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* At pater à nullo mitti poteſt, ut diximus in Tract. de Trinitate.

Conclusio IV. Convenienter omnino Myſterium Incarnationis in plenitudine temporis fuit adimpletum.

T. 3. Prob. 1. cum SS. Patribus, 1°. ex dignitate Meſſiæ.
part. 2. *Non enim*, ait S. Auguſt. Tract. 31. in Joan. n. 5. *par-*
p. 22. *vum aliquid venturum fuit... Quanto major Judex ve-*
G. *niebat, tanto præconum longior ſeries præcedebat. Ut* nempe *nativitas, quæ omnia miracula, omnemque intelligentiæ exceſſura erat menſuram, tanto conſtantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio ejus*
T. 2. *antiquior & uberior præceſſerat*, aït S. Leo, Serm. 5.
p. 151. de Nativ. c. 4. ſpes quippe dilata, ardentiùs inflammat hominis deſiderium.

2°. Ex parte hominis multiplex proferri ratio poteſt. Prima eſt ut homo qui ſuperbiendo peccaverat,

profunde humiliatus, & morbi ſui gravitatem pleniùs ſentiret, & medici adventum vividioribus ſuſpiriis ſollicitaret.

Secunda, ut innoteſceret, quàm ſevere peccata puniat Deus, qui, neglectis utcumque tot ſeculorum gemitibus, tamdiu ſuperni roris illapſum diſtulit. Ità paſſim SS. Patres.

At, inquies, ſi Chriſtus citiùs veniſſet, plures fuiſſent ſalvati; ergo.

R. forte econtra plures fuiſſe perituros: unde S. Auguſtinus, Epiſt. 102, aliàs 49. n. 14. docet, *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari Doctrinam ſuam, quando ſciebat & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant credituri*: certe ſi plures ob recentia Chriſti exempla paulo poſt mortem ejus æternam vitam conſecuti eſſent, plures forte ob eorumdem exemplorum diſtantiam miſerâ hâc noſtra ætate, ubi languet fides, & refrixerit caritas, in æternum periiſſent. *T. 1. p. 268.*

QUÆSTIO TERTIA.

De exiſtentia Incarnationis.

QUæſtio hæc tres exigit articulos, pro triplici adverſariorum nobis hic oppugnandorum genere; Judæos dico, Gentiles & Hæreticos. Cùm autem hæretici Teſtamentum utrumque communiter admittant, Judæi vetus tantùm, neutrum Gentiles, jam à limine patet diſparibus plane armis cum triplici hâc phalange dimicandum eſſe, hæreticos aggrediemur in Operis decurſu.

ARTICULUS PRIMUS.

Demonſtratur contra Judæos jamdiu adveniſſe Meſſiam.

MIrâ aviditate inquirebant veteres Judæi, quo tempore adventaret prædictus ille à Prophetis gentis ſuæ reparator Meſſias, horaſque & momenta computabant; at ſuâ pridem delusâ ſpe Gens infelix eo confugit, ut dicat, prædictum quidem in Scripturis adventum Meſſiæ, non autem tempus quo venturus ſit. *Inflata*, inquiunt, *rumpantur eſſe eorum qui periodos temporum computant.* Computabimus tamen, *In Thalmude,*

in codice Sanhedrin. c. 12. Deo dante, ostendemusque perperam expectari adventum ejus qui adveniente Christo advenerit. Sit itaque.

Conclusio I. Invicte contra Judæos demonstratur, jam diu advenisse promissum Messiam.

Argumentum I. ex oraculo Jacobi, Gen. 49.

Jacob Patriarcha, morti proximus, Gen. 49. v. 9. convocatis filiis, annuntians quæ ipsis *in diebus novissimis* eventura erant, Judam sic alloquitur: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum.... Non auferetur sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Unde sic:

Hoc vaticinio tunc venturus promittitur Messias, cùm sceptrum seu suprema potestas ex Judâ defecerit: atqui jamdiu est, ex quo illa defecit in Judâ, imo in tota gente Judaïca. Minor abunde patet ex hodierna conditione Judæorum, qui jam à subversa per Titum Jerosolymâ, extorres, dispersi, errabundi, durâ ubique servitute sub alieno imperio, sine duce, sine templo, sine victimis, sine Sacerdote ac sacrificio premuntur: quam eorum ruinam ac calamitatem prædixerat
C. 3. v. 4. ipsis Osee Propheta his verbis: *Dies multos sedebunt filii Israël sine lege, & sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim.* Quæ verba expendens Rabbi Kimchi, vir doctus æque ac Christianis infensus: *Hi ipsi sunt*, inquit, *dies captivitatis in qua nos versamur hodie, quando nobis neque Rex est, neque Princeps ex Israële; nam sub potestate Gentium sumus, nullum nobis est neque Dei veri, neque idoli colendi instrumentum: ità nos hodie in hoc exilio vivimus omnes filii Israëlis.* Ergo constat jampridem ablatum esse sceptrum de Juda.

Probatur itaque major, nempe Messiam eum ipsum esse, qui sceptro in Juda deficiente venturus sit. Prob. inquam 1°. ex verbis ipsis Jacobi: *Non auferetur... donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium*: vel, ut legitur in hebræo textu, *usquequo veniat Siloh, & erit ei obedientia populorum*: atqui duo isti characteres; *qui mittendus*, aut *venturus est; qui erit expectatio gentium*, Messiæ adeo proprii sunt, ut nemini alteri adaptari possint; 1°. enim Messias per excellentiam *mittendus aut venturus* dicitur in Scripturis: Exod. 4. *Mitte quem missurus es.* Isaïæ 16. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ.* Hinc Joannis Discipuli sollicitè sciscitantur à Christo Matth. 11.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus? 2°. & is est Messias cuï sit Gentium obedientia: *Omnes gentes servient ei*, Psal. 71. *Ipsum gentes deprecabuntur*, Isaïæ 11. *Fluent ad eum omnes populi*, Michææ 4. *Veniet desideratus cunctis gentibus*, Aggæi 2. & Psal. 2. Messias seu Filius Deus sic inducitur loquens: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quæ quidem de Christo dicta esse patet, Lucæ 1. v. 33. *Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur; & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & Regni ejus non erit finis.*

Prob. 2°. suffragiis veterum Judæorum, quos immerito recentiores hâc in parte deserunt. Nomine scilicet *Siloh*, Messiam denotari asserunt. Chaldæi Paraphrastæ, nempe Thargum Onkelosi, Hierosolymitanum, & Jonathanis. Thargum Onkelosi sic habet: *Non auferetur habens principatum à domo Judæ, neque Scriba à filiis filiorum ejus, donec veniat Messias, cujus est regnum, & ei obedient populi*, Thalmud Babylonicum, Tractatu Sanhedrin, c. 11. *Quodnam*, inquit, *nomen Messiæ? Siloh nomen ejus; quia dicitur, Donec veniat Siloh.* Superfluum foret plurimorum aliorum testimonia hîc proferre, quorum autoritatem rejicerent Judæi recentiores.

Conclusio II. Citatum Jacobi vaticinium in Christo adimpletum est.

Prob. 1°. quia in eo impletum fuit vaticinium Jacobi, cuï aptissimè conveniunt omnes illius partes, & de quo prænuntiatas illas fuisse eventus ipse comprobavit: atqui omnes vaticinii Jacobi partes Christo aptissimè conveniunt, & de ipso prænuntiatas fuisse exitus comprobavit.

1°. Verba ista Jacobi, *Juda, te laudabunt fratres tui... adorabunt te filii patris tui;* quæ historice de Juda dicta sunt, prophetico spiritu Christum adumbrabant, & in ipso impleta fuêre, 1°. cùm laudatus est, ut & quotidie laudatur à Christianis, quos loco fratrum se habere declarat, Matth. 12. 2°. cùm ipsi datum est nomen quod est *super omne nomen;* 3°. cùm suprema adoratio ipsi exhibita fuit, juxta istud Psal. 71. *Et adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei*: quod revera in Christo impletum legimus, cùm à Magis seu Regibus etiam in cunis

Philip. adoratus fuit, & quotidie fit, cùm *in nomine Jesu*
2. v. 10. *omne genu flectitur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confitetur, quod Dominus Jesus Christus est in gloria Patris.*

II°. Hæc ejusdem oraculi verba, *Manus tua in cervicibus inimicorum tuorum*, implentur in Christo, quia cervices inimicorum vel cædit, vel sub jugum mittit,
Psal. adeo ut ponat *inimicos suos scabellum pedum suorum.*
109. Unde de se ipse ait Christus Joan. 12. *Nunc judicium est mundi, nunc princeps huius mundi ejicietur foras.* Et de eo Apostolus Coloss. 2. *Expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipsos.*

III°. Verba ista Prophetiæ, *Catulus leonis Juda: ad prœdam, fili mi, ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leœna, quis suscitabit eum?* Verba, inquam, ista, quibus potentia Judæ comparatione leonis commendatur, aptissimè congruunt Christo, de quo dicitur, Apocal. 5. *Vicit leo de Tribu Juda*: nimirum *Ascendit ad prœdam* Christus, cùm ex orci faucibus ac dæmonum tyrannide humanum genus eripuit. *Requiescens accubuit*, quando corpus ejus in sepulchro per tres dies recubuit. Per istud vero, *Quis suscitabit eum*, significabatur eum non alienâ, sed propriâ suâ voluntate à mortuis suscitatum iri: quod & de se dicebat Christus Joan. 12. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud... Ille autem dicebat de templo corporis sui.*

IV°. Verba hæc: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvœ pallium suum. Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores;* verba, inquam, illa metaphorica & figurata Christum adumbrant, & in ipso complementum habuêre: tùm quia seipsum *vitem* appellat, Joan. 15. tùm quia asinâ invectus, juxta Zachariæ vaticinium, Hierosolymam ingressus est; tùm quia in vino seu sanguine, cùm in arâ crucis pendebat, totum corpus suum lavit: tùm denique, quia *speciosus fuit formâ prœ filiis hominum*, ut ait David, Psalm. 44. v. 3. quod quidem de virtutibus ac donis animi præcipuè intelligendum est.

Prob. 2°. quia eo ipso tempore impleri debuit, ac reverâ impletum est Jacobi vaticinium, quo Sceptrum de Juda sublatum, ad alienigenam à Romanis transmissum est, ac tota Judæorum gens, non ampliùs sui ju-

ris, sed Romanis subjecta vitæ ac necis, seu gladii jus amisit, ac nonnisi precario facultatem habuit suis vivendi legibus: atqui quo tempore Christus mundo illuxit, Sceptrum de Juda sublatum fuerat, & ad Herodem alienigenam à Romanis transmissum; gens tota Judaïca sui juris ampliùs non erat, sed Romanis subacta per Pompeium, tributa pendebat, nec jus gladii ampliùs retinuit: fatentur enim ipsimet Judæi, tempore Passionis Christi, sibi non licere quemquam interficere. Denique, nonnisi precario facultatem obtinuit suis ritibus ac legibus Religionem suam exercere; ergo hoc ipso tempore venire debuit, ac reipsâ venit Christus, & Jacobi vaticinium impletum est.

Quod autem Herodes fuerit, Alienigena, sive interim Ascalonita fuerit, sive Idumæus, docent tum Josephus L. 1. de bello Judaïco c. 6. ubi Antipater Herodis genitor vocatur Idumæus; tum antiqui Patres, qui Herodem ex Judæorum confesso Alienigenam fuisse tradunt, ut Justinus dialog. cum Triphone, Origenes Hom. 17. in Genes. Eusebius, & alii omnes.

Nec dicas Idumæos ex Abraham & Isaac ortos esse. Hinc enim quidem orti sunt, sed per Esaü, non per Jacob: porro Esaü & Jacob, tametsi fratres, duorum populorum parentes fuêre: unde Idumæi Judæis extranei fuêre, secundùm id Psal. 107. *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ amici facti sunt.*

Obj. 1°. Per vocem *Schebet*, intelligi non debet sceptrum, seu regia potestas, sed virga afflictionis quâ populus Judaïcus premendus est, donec veniat Messias liberator: ità ut prophetiæ sensus iste sit, Non auferetur, seu non recedet virga doloris à populo Judaïco, donec venerit Messias; ergo nihil ex eo textu concludi potest.

R. nego ant. tùm quia vox hebræa *Schebet* virgam doloris nusquam significat, nisi adjunctum aliquid habeat, quo significatio ista determinetur, ut Psal. 2. *Reges eos in virga ferrea;* & Isaïæ 10. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est.* Porro in textu Jacob tantùm abest ut significatio virgæ per aliquid determinetur ad significandam afflictionem, quin econtra verba ista sequentia, *Et dux de femore ejus,* regnum apertè indicant. Tum quia veritati Historiæ adversatur hæc interpretatio: siquidem à Davide usque ad Sedeciam, per annos ferè 500. Tribus Juda florentissima fuit ac sceptrum obtinuit; post Sedeciam vero ac reditum ex

captivitate, Ducibus à se electis usque ad Herodem alienigenam subdita fuit. Falso igitur supponit objectio, Judæos duro & impotenti dominatu oppressos fuisse usque ad Messiam.

Obj. 2°. Particula ista, *donec veniat*, in vaticinio Jacobi, sic reddi debet, *postquam venerit*; ità ut sensus sit: Post adventum Messiæ, sceptrum in Juda perpetuum erit, nec ab ipso unquam auferetur.

R. neg. ant. 1°. quia in mente veterum Judæorum, Jacob determinat tempus quo venturus est Messias, cujus adventûs signum dat; finem nempe regni Judæ. At semel admissâ istâ Judæorum interpretatione, nulla est temporis adventûs Messiæ determinatio, ut patet: 2°. quia veteribus Judæis tam exploratum fuit, venturum Messiam cùm sceptrum de Juda deficeret, ut cùm in Herode illud defecisse intellexerunt, aliqui Joannem Baptistam, alii vero Vespasianum turpi adulatione Messiam esse arbitrati fuerint. Hinc Gentiles Historici, Suetonius in Vespasiano, cap. 4. Tacitus, Lib. 5 scribunt jam tum Oriente toto veterem ac constantem opinionem percrebuisse, *esse in Fatis ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur*; adeo scilicet constans & pervulgata erat opinio, finem Judaici imperii signum esse imminentis adventûs Messiæ.

Obj. 3°. Si vaticinio Jacobi tam clare Messias designaretur, eo usi essent Christus & Apostoli contra Judæos: atqui non usi sunt.

R. 1°. non omnia Scripturæ veteris, quæ ad Christum pertinent testimonia, aut à Christo, aut ab Apostolis laudata fuisse: satis erat Judæos remittere ad Scripturas: *Scrutamini Scripturas*, dicebat illis Christus, *illæ sunt quæ testimonium perhibent de me*. 2°. Licet vaticinio Jacobi disertè figatur tempus adventûs Messiæ, non tamen æquè disertè per illud ostenditur, Christum illum ipsum esse Messiam, cujus adventum futurum esse prædixerat Jacob, quando sceptrum de Juda defecisset; id sanè certiùs & breviùs probabant innumera Christi miracula.

Joan. 5.

Obj. 4°. Si sceptro apud Judam deficiente venire debuit Messias, Messias venire debuit post Sedeciam; tunc enim defecit sceptrum de Juda, cùm Rex ille captivus ab Nabuchodonosore in Babyloniam ductus est; ergo saltem Christus non est Messias.

R. neg. ant. Ut enim Sedeciæ temporibus non defecerit sceptrum de Juda, tria sufficiunt; 1°. ut sceptri nomine non intelligatur regia tantùm potestas, sed

suprema, cujuscumque generis ea sit; 2°. ut suprema hæc potestas ob Sedeciæ captivitatem non defecerit; 3°. ut semper remanserit penes Tribum Juda: atqui tria hæc constant.

Et quidem 1°. quod sceptri nomine intelligatur potestas, non regia præcise, sed suprema, quæcumque ea sit, patet, tum quia sceptrum, seu imperii virgam gerere dicuntur quicumque supremum principatum habent; tum quia paraphrasis Chaldaica Onkelos textum Jacobi sic vertit: *Non auferetur habens principatum de domo Juda*; Versio Persica: *Non recedet imperium*, seu potestas imperandi *à Judâ*; Targum Jonathatis: *Non cessabunt Reges & præsides ex domo Judæ*; Symmachus: *Non auferetur potestas à Juda*, &c. tum quia Rabbini quique celebriores sceptrum de principatu interpretantur.

2°. nec minus liquet supremam potestatem non defecisse in Sedecia; aliud est enim potestatem extingui & omnino deficere, aliud interrumpi cum certa spe redintegrationis ejus. Sceptrum quidem interruptum est per annos 70. quibus duravit Captivitas Babylonica, seu, ut melius dicam, illis 59. annis, qui à deportatione Sedeciæ Regis usque ad libertatem restitutam effluxerunt, sed tunc ablatum dici non potuit; tum quia breve illud temporis spatium vix interregni rationem habet, si comparetur cum tot ante & post seculis, quibus sui fuêre juris posteri Jacob; tum quia brevem fore captivitatem hanc, seque in patriam suam redituros esse certiores facti erant Judæi ex ipso Dei testimonio, Jeremiæ 25. v. 11. & 29. v. 10.

3°. demùm suprema potestas exhinc penes Tribum Juda remansit, ut statim ostendere conabimur.

Inst. Assamonæi, seu Machabæi non erant de Tribu Juda: atqui Assamonæi per annos 150. & ultra supremam apud Judæos potestatem gessêre; ergo.

Respondent 1°. aliqui cum Genebrardo, Machabæos paterno etiam genere fuisse è Tribu Juda. Sed malè; Mathathias enim Machabæorum parens ortum ducebat à filiis Joiarib qui Sacerdotes erant: porro Sacerdotes erant de Tribu Levi; nec quisquam à Tribu Juda in Sacerdotem assumptus est, ut expresse tradit Apostolus, Hæbr. 7. & 13.

Respondent 2°. alii Machabæos materno genere pertinuisse ad Tribum Juda, quod, inquit, sufficit ut sceptrum jure proprio gerere potuerint. Sed iterum male, tum quia apud Hebræos nulla maternæ originis

ratio habebatur, unde receptum id apud eos, *Matris-familiam non esse familiam;* tum quia alioqui nè in Herodis quidem filiis sceptrum defecisset, hi enim ex Mariamne Assamonæorum filiâ progeniti erant.

R. igitur 3°. dist. Machabæi per annos plures sceptrum gessêre de consensu & per electionem Tribûs Juda, C. motu & jure proprio, N. Quemadmodùm igitur Poloniæ Regnum semper manet apud Polonos, quia ii constanter servant jus sibi Regem eligendi, etsi non raro sibi alienigenam eligant in Regem; sic & apud Tribum Juda sceptrum permansisse dicendum est, posito quod Machabæi nonnisi de ejusdem Tribûs consensu primas in Republica Judaïca partes obtinuerint: atqui rem ità se habuisse constat: 1°. quia id expressè declarat sacer Textus ubi Judæi ad Ionatham confluentes, *Nunc itaque*, inquiunt, I. Machab. 9. 30. *te hodie elegimus.... in principem & ducem ad bellandum bellum nostrum;* 2°. quia Machabæorum tempore Tribus Juda ad reliquos filios Jacob habeat se sicut decem millia ad centum: siquidem ex Libris Esdræ apparet solam Judæ Tribum, cum Tribu Levi, quæ numerosa non erat, & exiguâ aliquâ parte Tribûs Benjamin, aliisque admodùm paucis ex reliquis Tribubus è captivitate in Judæam rediisse: unde hi omnes non jam Hebræi, sed Judæi, quasi sola jam Tribus Juda computaretur, nuncupati fuêre; ergo cùm multitudini præfuerunt Machabæi, nonnisi de Tribu Juda consensu præesse potuerunt. Et id pluribus in locis docet Josephus.

Obj. 5°. Supponit nostra hæc Conclusio sceptrum defecisse in Herode qui fuerit alienigena: atqui Herodes reapsè alienigena non fuit, sed Judæus, ut testatur, qui scire debuit, Nicolaus Damascenus, vir Principis hujus familiaris. Et vero non defuêre è Judæis qui Herodem hunc habuerint pro Messia; unde & *Herodianorum* nomen sortiti sunt: sed qui Messiam è Tribu Juda oriundum noverant, alienigenam non habuissent pro Messia; ergo.

R. neg. min. nec nocent objecta argumenta; non 1. fœdè enim mentitus est Nicolaus Damasc. ut Herodi adularetur, prout observat Josephus Lib. 14. Antiq. c. 15. aliàs 27.

Non 2. tum quia multo probabilius est Herodianorum nomen iis inditum fuisse, qui cum Herode Romanorum assentatore Cæsari tributum pensitandum esse contendebant, prout docet Menochius in c. 22.

Matth. v. 16. tum quia vel ipse Josephus eo venit dementiæ ut in Messiam traduceret Vespasianum, quem tamen sciebat à Judæis ortum non esse.

Inst. Hircanus Summus Pontifex neptem suam Herodi nubendam tradidit: atqui non tradidisset, nisi Herodes fuisset Judæus. Id enim lege divinâ cautum erat; ergo.

R. dist. min. Herodes enim Religione Judæus erat, ac proinde conjugem ad idololatriam flectere non poterat; quâ de causâ vetuerat Deus nè Israëlitæ alienigenis commiscerentur. Quin & quandoque idololatris nupserunt Judeæ mulieres, ut Esther Assuero.

Argumentum II. ex prophetia Danielis, cap. 9.

Cùm Propheta Daniel fusis ad Deum precibus supplex postularet populi à captivitate Babylonicâ liberationem, exauditus à Deo, Gabrielis Archangeli ministerio cognovit, non tantum quo tempore populus liberandus foret à temporali captivitate, sed etiam quo advenire deberet Messias, qui populum suum à captivitate spirituali dæmonis liberum, in libertatem filiorum Dei erat asserturus, notatis ferè singulis adventûs passionis & mortis Christi circumstantiis. En verba prophetiæ, cap. 9. v. 24. & seq. *Tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus sanctorum. Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterùm ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt; & rursus ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ; & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in Templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* In hoc textu quem Agiographi, seu sacri autoris esse non negant Judæi, sic contra eosdem arguimus.

Ut ex eo textu inferri merito possit Messiam jam

dudum adveniſſe, duo ſufficiunt, 1°. ut qui poſt hebdomades 70. venturus dicitur, ſit Meſſias; 2°. ut 70. illæ hebdomades jam pridem defluxerint: atqui utrumque certo certius eſt.

Primum quidem. Illud enim vaticinium de ſolo Meſſiâ intelligi debet, cui ſoli adaptari poſſunt caractères omnes à Daniele delineati: atqui ſoli vero Meſſiæ adaptari poſſunt caracteres à Daniele delineati. Scilicet enim qui venturus à Daniele prædicitur, per excellentiam Chriſtus nominatur; Dux ſeu Princeps; Sanctus ſanctorum; qui peccatum expiaturus eſt; qui eſt juſtitia ſempiterna, quam ſecum eſt adducturus; autor novi fœderis, ſub quo vetera ſacrificia ſunt abroganda; qui occidendus eſt, & poſt cujus mortem templum evertetur: atqui hæc omnia in Chriſto eoque ſolo ad litteram impleta ſunt poſt expletas hebdomades 70. à Daniele deſignatas.

1°. Nominatim Meſſias Chriſtus, ſeu Unctus per excellentiam appellatur, *Poſt ſeptuaginta hebdomades occidetur Chriſtus*: atqui nomen iſtud ſimpliciter & antonomaſtice ſumptum, uni, vero Meſſiæ Liberatori in Scripturis tribuitur; nulli vero ex Principibus, niſi cum aliquo addito, vel domini, vel alicujus alterius attributi: quomodo Cyrus aliquando Chriſtus appellatur, Iſaïæ 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* Porro Meſſias in veteri & novo Teſtamento ſimpliciter Chriſtus dicitur. Pſalm. 2. *Aſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum, adversùs Dominum, & adversùs Chriſtum ejus*; quæ verba de Chriſto Domino explicat S. Petrus, Act. 4. 26. & 27.

2°. Chriſtus Dux ſeu Princeps dicitur. Iſaïæ 55. v. 4. *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.* & Michææ 5. v. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël.*

3°. Dicitur Sanctus per excellentiam, qui peccatum expiaturus eſt. Iſaïæ 61. *Spiritus Domini ſuper me.... ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam.* Rom. 3. v. 24. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu*, &c.

4°. Meſſias ſeu Chriſtus non tantùm juſtus & ſanctus futurus prædicetur, ſed etiam ſanctitas ſeu juſtitia noſtra. Pſal. 71. *Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis.* I. Cor. 1. v. 30. *Ex ipſo autem vos*

estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio.

5°. Christus est autor novi fœderis, Jeremiæ 31. v. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël & Domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum.* Porro dies illi *Rom.* 3. in Christo impleti sunt; *quem proposuit Deus propi-* *v.* 25. *tiationem per fidem in sanguine ipsius; qui delevit quod* *Coloss.* *adversùs nos erat chirographum decreti quod erat con-* 2. *trarium nobis, &c.*

6°. Sacrificia Judaïca Messiæ tempore abroganda erant. Malach. 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestrâ. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Porro Legem & Sacrificia vetera Christus abrogavit. Rom. 10. *Finis Legis Christus, ad justitiam credenti.*

7°. Qui venturus prædicitur, occidendus est, cujus in morte pactum confirmabitur, & deficiet hostia, & tum populus dissipabitur, ac futura est abominatio desolationis: atqui hæc omnia in Christo eventum habuêre. Occisus est à Judæis Act. 5. *Deus patrum nostrorum suscitavit Jesum, quem vos interemistis, suspendentes in ligno.* In ejus morte pactum confirmatum fuit & obsignatum, Heb. 9. v. 15. *Ideo novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum quæ erant sub priori Testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Ideoque jam tunc defecit hostia & sacrificium Legis Mosaïcæ, si non quantùm ad rem & actum, saltem quantùm ad jus: quâ de re legenda Epistola S. Pauli ad Hebræos, cap. 10. istud ut significaret Christus, moriens exclamavit, Joan. 19. v. 30. *Consummatum est.* Post mortem Christi captâ & eversâ Jerosolymâ per Titum populus omnis dispersus est, nullumque ex eo superfuit amplius Reipublicæ Judæorum vestigium; atque impletum fuit istud Osee: *vos* *Osee* 2. *non populus meus, & ego non ero vester.* Tunc vere *v.* 9. contigit abominatio desolationis, cùm omnia Sacra à Gentilibus profanata sunt, Templum exustum, violata Religio. Cùm igitur omnes vaticinii Danielis characteres apprime in Christum cadant, & in ipso ad litteram impleti fuerint, merito asserimus vaticinium illud de Christo esse intelligendum.

Obj. 1°. cum Isaac Orobio, Hispalensi Judæo, pro-

missum quidem Judæis sub conditione Messiæ, adventum intra spatium 70. hebdomadarum, sed sub conditione, ut intra istud spatium resipiscerent, ac seriam agerent pœnitentiam; quam cùm non egerint, nihil mirum si dilatus sit Messiæ adventus.

R. neg. ant. quia nullum est in vaticinio Danielis appositæ conditionis vestigium; ac tantùm abest ut Deus Messiæ adventum distulerit ob non peractam à Judæis pœnitentiam, ut, vel fatentibus Judæis, venturus sit Messias, quo Judæos convertat, *cor lapideum auferat, & cor carneum eis det.* Itaque prædicit quidem Angelus populi peccatoris excidium: sed simul Messiæ adventum, & cruentam ipsius mortem.

Ezech. 11. & 36.

Obj. 2°. Ex Danielis oraculo nihil inferri potest, nisi constet de tempore à quo inchoandæ sint 70. ejus hebdomades: atqui de epocha illa non constat.

R. 1°. neg. maj. constat enim ad minus hebdomadas illas desinere debuisse ante cessationem sacrificii veteris & destructionem templi, sicut ipsa prophetia declarat: atqui non minùs constat & sacrificia vetera, & ipsum in quo offerri debebant templum, jam pridem desiisse; ergo & constat Messiam qui sub cessationis hujus tempus venire debuit, jam pridem venisse.

R. 2°. posse, neque admodum difficulter, prædictarum hebdomadum epocham figi ac determinari: quod ut fiat,

Not. 1°. septuaginta illas hebdomades computari debere *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem*, id est, à promulgatione Edicti, quo Persarum Rex Judæis potestatem fecit instaurandæ Urbis. Ut igitur earum initium certo figatur, inquirendum est, quis Persarum Rex, & quo regni sui anno, Edictum illud in gratiam Judæorum emiserit.

Not. 2°. quatuor à Regibus Persarum data fuisse in gratiam Judæorum edicta. Primum à Cyro, anno imperii sui primo, I. Esdræ, 6. v. 3. Secundum à Dario Hystaspe, quo prius Cyri Edictum confirmatur, ibid. Tertium ab Artaxerxe Longimano, anno Regni ejus septimo, I. Esdr. 7. v. 7. Quartum denique ab eodem Artaxerxe, anno imperii ipsius vigesimo, II. Esdr. c. 2. v. 1. his positis.

Dico 1°. Hebdomades 70. Danielis inchoandæ non videntur, aut ab Edicto Cyri, anno ipsius Regni primo; aut ab Edicto Darii Hystaspis; aut ab eo quod tulit Artaxerxes, anno Regni septimo.

Prob. quia ex dictis, ab eo Edicto inchoandæ sunt

hebdomades 70. Danielis, quod Judæis potestatem fecit iterùm ædificandæ Jerusalem: atqui triplex illud Cyri, Darii & Artaxerxis anno septimo Edictum de solo Templo fuit, non de Urbe ac muris excitandis; ut patet vel ex ipsa lectione cap. 6. & 7. lib. I. Esdræ; ergo.

At, inquies, de Cyro dicitur Isaïæ 45. *Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet non in pretio, neque in muneribus*; ergo.

R. hîc per civitatem, non muros, non turres & alia propugnacula intelligi, sed tuguriola quædam seu domuncula, in quas noctu sese recipere possent, qui Templo ædificando allaborabant. Et vero Esdras, c. 3. Lib. 1. narrans quæ ex Cyri Decreto Judæi fecerant, solius Templi mentionem facit; & c. 4. v. 1. *Audierunt autem hostes Judæ & Benjamin, quia filii captivitatis ædificarent Templum Domino Deo Israël.* Et v. 24. conqueritur Esdras, quod hostium invidiâ intermissum opus illud fuisset, quod permiserat Cyrus. *Tunc* inquit, *intermissum est opus domûs Domini in Jerusalem & non fiebat usque ad annum secundum Darii Regis Persarum.* Opus autem domûs Domini Templum designat, non muros civitatis.

Obj. 2°. Artaxerxes, anno Imperii septimo, omnibus Esdræ petitionibus annuit, I. Esdræ, cap. 7. v. 12. ergo.

R. nihil tunc temporis à Rege petisse Esdram, quod murorum civitatis ædificationem spectaret, sed tantùm ea quæ ad Templum & ad Religionem pertinerent, quod quidem ex una lectione citati capitis manifestum est.

Dico 2°. Septuaginta hebdomades Danielis inchoandæ sunt ab anno 20. Artaxerxis Longimani.

Prob. quia ab illo anno debent inchoari 70. Danielis hebdomades, quo emissum est Edictum *de iterum ædificanda Jerusalem*, & à quo usque ad Christum occisum impletæ probantur septuaginta hebdomades, seu anni 490. atqui anno 20. Artaxerxis emissum est Edictum de iterùm ædificandâ Jerusalem, & ab illo anno ad Christum usque occisum, 70. illæ hebdomades impletæ probantur; ergo.

Prima pars minoris manifesta est ex Lib. II. Esdræ c. 2. integro, præsertim autem v. 8.

Secunda pars evincitur ex doctiorum Chronologorum consensu, qui vix in re tam à temporibus nostris dissitâ de annis aliquot à se dissentiunt, sic tamen ut circa rei substantiam consentiant omnes. Verùm

hæc quæ & operosa forent, & temporis multùm insumerent, &, prout olim experti sumus, è memoria diffluerent facillimè, consulto prætermittimus.

Argumentum III, ex Aggæo & Malachia.

Aggæus de Templo post reditum à Captivitate Babylonicâ constructo, quod cùm insigni Salomonis Templo collatum vilis ac humilis erat casa, sic loquitur cap. 2. *Quis in vobis est derelictus. qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam, & movebuntur omnes gentes; & veniet desideratus cunctis Gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum.... Magna erit gloria domûs istius novissima plus quam primæ.... Et in hoc loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Hoc ipsum confirmat Malachias, c. 3. his verbis: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad Templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus Testamenti, quem vos vultis.*

Unde sic: Major prædicitur futura secundi Templi gloria, quàm primi, eo quod in ipsum venturus esset Messias: atqui nisi Messias jam advenerit, non potuit ex parte adventûs hujus major esse gloria Templi secundi quàm primi. Jam dudum enim secundum illud Templum eo usque solo adæquatum est, & sufsdeque convulsum, ut ex illo non remaneat lapis supra lapidem, prout Christus prædixerat. Neque vero solida ulla remanet spes novi Templi reædificandi. Cùm enim id olim Judæi tentassent instigante Juliano Apostatâ, cui unum hoc erat in votis, ut Christum & Prophetas faceret mendaces, *metuendi globi flammarum prope fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecere locum exustis aliquoties operantibus inaccessum: hocque modo elemento destinatiùs erumpente cessavit incœptum,* quod perficere Julianus *sumptibus cogitabat* immodicis.
Lib. 28. Ità refert Ammianus Marcellinus, vir eò suspectus minus, quod ethnicus erat, & impensus Juliani admirator.

Neque vero diffiteri possunt Judæi, quin in hoc utroque vaticinio de Messia sermo sit. In quem enim alium cadere possint caracteres quibus depingitur? Quis præter ipsum futurus erat Gentium expectatio, pacis autor, & novi fœderis Angelus? Quis *in Templum*

suum venturus, & ad cujus adventum cælum & terra commovenda erant? Unde major templi hujus, ad quod venturus erat, gloria, quàm ex ipsa Messiæ præsentia & majestate? Quæ porro illa pax, quam Templi Dominator allaturus erat? Non terrena certe ac temporalis: nemo etenim ignorat, & Templum hoc secundùm violatum fuisse à Seleuco, Antiocho, Pompeio & Tito; Judæos multis malis oppressos fuisse, atque etiamnum tristem & ignominiosam ubique vitam trahere. Pax ergo illa spiritualis ac cælestis erat futura, quam Angeli nato Messiâ populis annuntiârunt, Lucæ 2. v. 14. *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

Reponunt Judæi majorem illam Templi secundi gloriam referri debere ad majorem ædificiorum Templi pompam, divitias, ornamenta, munera.

Verùm 1°. leviora ista sunt, quàm ut majorem Templo Dei gloriam conciliare dici possint, nec de rebus hujuscemodi caducis tam magnifice loqueretur Deus, ut propterea commoveri debeat cælum & terra; 2°. Deus diserte profitetur se Templi gloriam ex illis rebus infimis non æstimare: *Meum* enim *est argentum*, ait loco citato Aggæi, v. 9. *meum est aurum*: quasi diceret, Ornare possem, si vellem, Templum Salomonis: *Meum* enim *est argentum, meum est aurum*: sed ornabo illud re longè præstantiori, scilicet præsentiâ Filii mei, qui est gloria Israel; 3°. qualiacumque sint dona, quæ Darius, Artaxerxes, Herodes, aliique Principes ad Templi ornatum contulerint, nusquàm æquare, multò minus superare potuerunt splendorem Templi Salomonis, in quo præter innumerabiles divitias, erant Arca fœderis, ignis perpetuus, virga Aaron, oleum sanctum, spiritus prophetiæ, præsentia Dei in Propitiatorio, Urim & Tummin, quæ omnia in secundo Templo defuisse non diffitentur Judæi.

Argumentum IV. ex signis quæ Messiæ adventum comitari aut subsequi debuerunt.

Spectantur illa signa ex parte vel Messiæ, vel Judæorum, vel Gentilium.

Et quidem 1°. Messias nasci debuit ex virgine: Isaïæ 7. v. 14. *Ecce virgo concipiet & pariet filium; & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Id porro impletum legimus, Matth. 1. v. 18.

Quod autem regerunt Judæi, voce hebræâ, *Halma*,

non virginem, sed simpliciter puellam seu juvenculam significari, malæ prorsus est fidei; 1°. quia vox *Halma*, à verbo *Halam*, quod est *abscondere*, derivata, puellam denotat, *quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum vigilantiâ custodita sit*; & hoc sensu sumitur Genes. 24. 42. Exodi 2. 8. Deuter. 22. 19. &c. 2°. quia vocem hanc sic interpretantur, qui Judæis suspecti esse non possunt, 70. Interpretes & paraphrastæ Chaldæi, Onkelos & Jonathan; 3°. quia eo loci Isaïas ut fractam Regis Achaz spem ex divinæ omnipotentiæ intuitu erigat, rem plane stupendam, & cujus nullum hactenus extiterat exemplum, ipsi proponit, futurum nempe, *ut virgo concipiat & pariat filium*; porro si nomine virginis Propheta puellam vel juvenculam simpliciter intellexisset, ex cujus cum viro consortio filius nascatur, quid, quæso, in eo mirum? quid insolitum ac stupendum?

S. Hieron. hic T. 3. p. 7.

2°. Messias nasci debuit in urbe Bethleem, Micheæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit Dominator in Israël*, &c. quod impletum fuisse narrat S. Matth. 2. 2. v. 1. *Cum natus esset Jesus in Bethleem Juda*, &c.

3°. Messias venturus erat intra tempora quatuor nobilissimorum Orbis Imperiorum, hoc est, Assyriorum, Persarum, Macedoniarum & Romanorum. *In diebus autem regnorum illorum*, ait Daniel, c. 2. v. 44. *suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc, & ipsum stabit in æternum*: & rursùs c. 7. *Omnes populi, tribus, linguæ ipsi servient; potestas ejus, potestas æterna quæ non auferetur; & regnum ejus quod non corrumpetur.... Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, & obtinebunt regnum usque in seculum, & seculum seculorum.* Hæc porro non alium designant quàm Messiam. Non alius tunc temporis universa Orbis Imperia jugo suo subjecit; non alius subditos habuit, qui & sancti, & reges dici possent; non alius denique, cujus regnum usque in seculum seculorum esset duraturum: Unde obtinuit communis inter Judæos opinio, Messiam vigente Imperio Idumæorum, seu Romanorum, venturum esse. Sic Lucæ 2. v. 25. Simeon *expectabat consolationem Israël.* Sic illi quos, ibidem v. 38. alloquitur Anna Prophetissa,

expectabant consolationem Israël. Sic ubi prædicare cæpit Joannes Baptista, Judæi sciscitabantur, numquid ipse Christus foret, Joan. 1. v. 15. & 19.

Quin & ad Paganos ipsos hæc eadem persuasio pervasit. Suetonius, in Vespasiano, c. 4. *Percrebuerat*, inquit, *Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eo tempore Judæâ profecti rerum potirentur.* Tacitus pariter, L. 5. Hist. *Pluribus*, inquit, *persuasio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæâ rerum potirentur.*

4°. Messias à Magis adorandus erat. Psal. 71. *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent*, &c. id autem impletum legitur. Matth. 2. 11.

5°. Messias ingressurus erat Jerusalem super asinam, & à populo cum lætitia excipiendus: Zachariæ 9. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: Ecce Rex tuus veniet tibi justus & salvator: ipse pauper & ascendens super asinam.* Et id completum est Matth. 21. v. 7. & seq.

6°. Prædictum erat, fore ut Messias argenteis 30. venderetur; Zachar. 11. *Et appenderunt mercedem meam 30. argenteis*: atqui & istud factum legimus, Matth. 27.

7°. Messias potandus erat felle & aceto; Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto*: & id comprobavit eventus, ibid. v. 34. & 48.

8°. Messias *morte turpissimâ* condemnandus erat, Sap. 2. 13. eique manus & pedes clavis perforari debebant, Psal. 2. *Foderunt manus meas, & pedes meos: diviserunt sibi vestimenta, & super vestem meam miserunt sortem*: hæc autem ad apicem, ac tota, completa sunt in Christo, Matth. 27. v. 35.

9°. Messias cruci affigendus erat, Zach. 12. 10. *Aspicient ad me quem confixerunt*: & id quoque ad amussim contigit Christo, ibid. v. 35.

10°. Moriente Messiâ debuit sol deficere, & terra offundi tenebris: Amos 8. 9. *In die illâ occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*: porro solemnis illa quæ contra naturæ leges eclypsis contigit in plenilunio, ac insoliti terræ motus narrantur à Phlegonte, lib. 13. Olympicorum Chronicorum, &c. Vid. Librum cui titulus, *La Religion Chrétienne autorisée par le témoignage des anciens Auteurs Paiens*, tom. 1. p. 14.

Signa ex parte Judæorum ſunt hæc, quod Meſſiâ ab ipſis crudeliſſimè interempto, Gens tota in pœnam tanti ſceleris diſſipanda fuit, ac triſtiſſimâ ſervitute ubique premenda; itâ prædixerat Daniel cap. 9. v. 26. *Non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo.* Populus ille venturus, ſunt Romani; Dux vero Titus, qui Jeruſalem expugnavit ac funditus diruit, ut vere dixerit Chriſtus: *Non remanebit lapis ſuprà lapidem.* Et hujus quidem prophetiæ complementum triſti experientiâ jam à multis ſeculis ſentiunt Judæi; non à ſeptuaginta tantùm annis, qui terminus fuit captivitatis Babylonicæ, nec â ducentis, quibus duravit ſervitus Ægyptiaca, ſed à 1700. & ampliùs annis: ad quæ ſi miſera Gens vel leviter attenderet, haud dubie intelligeret jam diu adveniſſe Meſſiam, ac fruſtra prorsùs ab ipſis venturum expectari.

Signa ex parte Gentilium ſunt eorumdem converſio, & idololatriæ ruina, Pſal. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Iſaiæ 2. *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas ...: & elevabitur Dominus ſolus in die illâ, & idola penitus conterentur.* Et c. 31. v. 7. *In die illâ abjiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum.* Jam vero negare non poſſunt Judæi, toto pridem terrarum Orbe extinctam eſſe idololatriam; Legem Chriſti ad omnes fere gentes pervaſiſſe; ejus Eccleſiam circumquaque diffundi, atque in conſpectu omnium, velut civitatem ſuprà montem poſitam, quæ abſcondi non poteſt, ſummâ luce præfulgere. Ergo fateantur vel inviti neceſſe eſt, Meſſiam, quem adhuc expectant, jam diu adventaſſe.

Argumentum V. ex teſtimonio Joſephi.

Joſephus vir & Judæus ipſe, & inter Judæos celeberrimus, hæc habet L. 18. Antiq. Judaïc. c. 4. *Fuit autem hoc tempore Jeſus, vir ſapiens; ſi tamen virum illum oportet dicere: erat enim mirabilium operum effector, magiſter hominum qui vera libenter amplectuntur; & plurimos quidem ex Judæis, plurimos etiam ex Gentibus ad ſe pertraxit. Hic erat Chriſtus. Cumque eum à Primoribus gentis ſuæ accuſatum Pilatus ad crucem damnaſſet, ab eo diligendo non abſtinuerunt, qui primum cæ-*

perant: nam post tertium diem redivivus ipse apparuit, cum divini Vates hæc aliaque quamplurima admiranda de eo prædixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus: atqui textus iste, quidquid garriant Osiander, Capellus uterque, & alii quidam intemperantioris critices viri, genuinus est.

Prob. min. 1°. ex Codicum, sive MSS. sive typis editorum consonantiâ; omnes enim verba Josephi citata summo consensu repræsentant.

2°. ex autoritate Veterum, qui testimonium illud commendarunt. Ità Eusebius, L. 3. Demonst. Evang. S. Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Eccles. in Josepho; S. Isidorus Pelusiota, L. 4. Epist. 225. Sozomenus, L. 1. Hist. c. 1. &c.

3°. Josephi diligentia in describendâ domesticâ Judæorum Historiâ, non patitur eum de Jesu Christo siluisse, cujus causâ tot commotiones inter Judæos excitatæ sunt; qui tot suprà memoriam prodigia edidit, ac sectæ tot & tantis persecutionum procellis agitatæ, caput & parens fuit: maximè cùm Josephus Joannis Baptistæ, ac Jacobi quem fratrem Jesu appellat, mentionem cum laude fecerit, quorum tamen & fama & merita non tantæ celebritatis fuêre, ac Christi.

4°. Series Sermonis; aptus & quasi è re natus de Christo dicendi locus, ubi nempe de Pilato loquitur; similitudo styli, & modi loquendi Josepho familiares, hujus testimonii genuinam veritatem demonstrant.

5°. Nec testimonium illud Historiæ Josephi piâ Christianorum fraude assutum fuisse potest; tùm quia fraudis redargui facile potuissent, & ità velut impostores, ad publicam fidei Christianæ ignominiam traduci: tùm quia si tale quid audere voluissent, longe adhuc disertius confinxissent testimonium.

Longe igitur vero similius apparet, istud Josephi testimonium à Judæis, odio in Christum, ex nonnullis ejus codicibus expunctum fuisse, hincque subinde factum, ut nec S. Justinus, nec Tertullianus, nec alii ex antiquis nonnulli, testimonium istud Judæis, quos impugnabant, opposuerint, quod nempe in mendosos illos codices incidissent, quos subinde integros habuêre Eusebius, Hieronymus, & alii. Hanc conjecturam firmat Baronius, ad an. Chr. 34. an. 221. ubi testatur, *in codice pervetusto, in quo Josephi Historiæ è Græco in Hebraicum sermonem translatæ, antiquitus scriptæ sunt, cum Romæ ejus de Christo testimonium requireretur, per summam perfidorum impudentiam, abrasum* Tm. I. pag. 214.

inventum fuisse, adeo ut nulla ad excusandum scelus posset afferri defensio, cum membrana ipsa id exclamare videretur.

Obj. 1°. Autor testimonii quod hic expendimus, asserit Christum non esse hominem appellandum, proinque censet illum verum Deum esse: atqui Josephus nusquam Christum habuit pro Deo; aliàs Christianam Religionem amplexus fuisset.

R. Vel Josephus reipsâ Christum pro vero Deo non habuit; atque oratorio duntaxat more dixit: *Si tamen virum oportet dicere*, qui tot stupenda operatus est; vel si eum tanquam verum Deum agnovit, negavit, ut fecerunt alii plures, quod mente credidit.

Obj. 2°. Verisimile non est, Josephum, sectâ Pharisæum, tam honorifice de Christo locutum fuisse, à quo Pharisæi tam dure exagitati fuerunt.

R. Josephum solâ veritate superatum de Christo tam præclare scripsisse. Neque id mirum: annon enim Philisthæi à Deo Israël obtriti mira de eo locuti sunt, nec tamen recesserunt à cultu Dagon? Annon Marcus Aurelius insignem quam de Quadis reportavit victoriam, Christianorum precibus acceptam retulit? nec tamen Christi fidem amplexus est.

Obj. 3°. in prætenso Josephi testimonio legitur plurimos è Gentilibus Christi doctrinam amplexos fuisse; cùm tamen certum sit, ex Ethnicis unam duntaxat & alteram mulierem, Chananæam & Samaritanam, Christo adhæsisse.

R. Respicere hic Josephum ad eam, quâ vivebat ætatem, an post Christum fere 96. quo certe tempore magna Gentilium multitudo ad Christi fidem adducta jam fuerat. Quin & Christo adhuc vivente, nonne & Centurio & Samaritani ad ejus fidem conversi sunt? Nonne multi è Gentilibus ad eum venerunt ut eum viderent? Joan. 12. v. 20. Unde Origenes, L. 2. contra Celsum: *Quomodo*, inquit, *Judæorum Pontifices, Seniores & Scribæ invidentes ei commoti sunt contra eum, nisi quod turbas persuasas trahebat post se? Ecce mundus totus post eum abit*, aïunt Pharisæi, Joan. 12. v. 19.

T. 2. p. 473. D.

Argumentum VI. ex calamitatibus quibus obruuntur Judæi.

Argumentum illud in hunc modum proponebat sibi Judæus quidam; qui & eo convictus christianam fidem amplexus est.

Vel Christus est Messias, & Filius Dei, prout ipse

crebro asseruit, vel merus & putidus impostor, qui immani blasphemiâ Filium Dei se fecerit. Si 1. plena ei haberi debet fides, ejusque Religio sponte & reverenter amplectenda est. Si 2. melius nihil & sanctiùs moliri potuerunt Patres nostri, quàm ut eum infami patibulo alligarent: atqui tamen indubie peccarunt eum cruci affigendo. Qui enim ab eo tempore crudelia quæque & Jerosolymis, & in Palæstina, & ubique Gentium experti sunt, qui non jam ut olim stillantes super se maledictionis guttas; sed apertos ultionis divinæ fontes ebibunt, qui ubique Gentium invisi sunt & execrandi, hi certe atrox aliquod crimen, criminibus hactenus à se perpetratis longe gravius, necdumque expiatum pœnitentiâ, commisêre: atqui crimen illud à Deicidio in persona Christi perpetrato aliud esse non potest; ergo.

Confirm. 1°. quia Judæi ante Captivitatem Babylonicam in omnium scelerum cæno turpiter se se volverant. Eo usque nimirum idololatriæ, quo vix majus ullum crimen habet Deus Zelotes, mancipati erant, ut *dæmoniis & sculptilibus filios suos & filias suas* immolarent: *In omni colle sublimi, & sub omni ligno frondoso*, coram idolis prosternebat se *meretrix* Jerusalem. *A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti* faciebant *mendacium*; adeo ut non æquarent modo, sed & impietate superarent *gentes quæ in circuitu* ipsorum erant: atqui crimina hæc tanta puniit quidem Deus; sed solùm per annos 70. in Babylonica Captivitate; ergo cùm dura quæque ab octodecim pene seculis perpetiantur, necessum est ut agnoscant se in aliquo quopiam gravius peccasse; non utique in idololatria, à qua tam serio vel ante Christi ævum resipuerant, ut omnes, Machabæorum exemplo, immaniora tormenta subire maluissent, quàm Cæsarum imagines revereri; ergo in morte Christi.

Psal. 105. *Jerem.* 2. & 3. *Ibid.* 8. *Ezech.* 22.

Confirm. 2°. quia qui ubicumque peccantibus Israëlitis pœnas minatur Deus, ibi se eorum, statim ac ipsos impietatis suæ pœnitebit, misertorum esse spondet. *Tu autem*, ait Deus ipse, Jerem. 3. *fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, & ego suscipiam te.* Hinc tritum illud, terque in uno Psalmo repetitum: *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; & de necessitatibus eorum eripuit eos*: atqui jam ab annis 1700. & ampliùs clamant Judæi; nec aliud, quàm quod priores ipsi emisêre, responsum accipiunt, *sanguis ejus super nos & super filios nostros*; ergo.

Psal. 106.

Vide Catechismum Ludovici Granatensis, 4. p. c. 18.

Respondebat Avenione Judæus quidam, populum suum tam severe à Deo puniri, quia eorum unus, Christum intelligebat, filium Dei se, blasphemando fecisset. Verum quam frivola sit ista hæc responsio nemo non sentit: 1°. enim non is est Deus, qui gentem totam ob unius crimen disperdat, cùm Sodomæ toti ob justos decem parciturus esset: 2°. quis crimen severe punitum à Deo insontibus imputari existimet, cùm ob zelum Phinees exarmata olim fuerit vindex Dei manus: porro si Christus se se Dei filium impie blasphemaverit, constat crimen ejus severissime fuisse punitum; ergo non est cur eâ de causâ gentem totam affligat. *Absit à te*, aiebat Abraham, *ut occidas justum cum impio... non est hoc tuum, qui judicas omnem terram*. Genes. 18. 25.

Solvuntur Objectiones Judæorum.

Obj. 1°. Ille nondum venit, cujus adventûs signa in Scripturis expressa nondum impleta sunt: atqui signa adventûs Messiæ nondum impleta leguntur. 1°. enim Elias præcedere debuit adventum Messiæ, Malach, 4 v. 5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini*. 2°. Isaïæ 2. Messias venturus designatur *in novissimis diebus*; at nondum advenerunt novissimi dies, seu finis dierum. 3°. In diebus
Psal. Messiæ, *Orietur justitia, & abundantia pacis*; at loco
71. pacis & abundantiæ illius, quâ frui deberent Judæi, si Messias venisset, durissimâ servitute exules ubique premuntur. 4°. de Messia dicitur Psal. 2. *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*: idque vi armorum, Psal. 44. v. 6. *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent*: at Christus noster nec debellator fuit, nec Gentes omnes imperio suo subjecit. 5°. Ezechielis 40. magnifica extat descriptio Templi quod à Messia restaurandum est: at constat nondum restauratum esse Templum illud. 6°. Ezechielis 38. & 39. Messias Gog & Magog debellaturus dicitur: at isti nondum apparuerunt; ergo nondum venit Messias.

R. neg. min. Ad 1. Elias, qui Messiam præcedere debuit, ad litteram non est Elias Thesbites, sed figurate & analogice est Joannes Baptista, qui venire debuit *in spiritu & virtute Eliæ*: unde Christus Matth.
Luc. 2. 17. *Elias jam venit, & non cognoverunt eum... Tunc Disci-*
Mat. 11. *puli intellexerunt, quia de Joanne Baptista dixisset eis.*

Quod si ad litteram Elias Thesbites accipi debeat, non de primo, sed de secundo Messiæ adventu intelligendus est Malachias: à quo *dies Domini* dicitur *magnus & horribilis*, quia in majestate gloriæ suæ veniet Christus judicare vivos & mortuos.

Ad 2. *novissimi dies* in quibus Messias venturus dicitur, non mundi finem significant, sed illud præfixum à Deo tempus quo venire debet Messias, quod temporis plenitudinem appellat S. Paulus Galat. 4. v. 4. Et vero Genes. 49. annuntiat Jacob filiis suis, quæ iisdem *in novissimis diebus* ventura essent; & ex his tamen multa sunt quæ non multo post contigêre, ut fatentur omnes, & ex sola capitis lectione constat.

Ad 3. Pax & abundantia quam Messias est adlaturus, spiritualis duntaxat est, non terrena & mundana, quæ vix unquam cum justitiâ ibidem promissâ habitat. Neque id nos latere voluit Christus: *Nolite arbitrari*, aïebat, Matth. 10. *quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium.*

Ad 4. Christus Gentes imperio suo subjecit, non temporali quidem & caducâ dominatione, sed spirituali & æternâ, fidem interius suadendo, moresque in melius reformando; quo pariter sensu Messias bellator futurus dicitur, non illo carnali Judæorum sensu, qui Messiam Ducem armis & opibus potentem expectabant, à quo in plenam libertatem asserendi forent, & ab hostibus suis liberandi; sed spirituali modo bellator & victor futurus erat, quia de infidelitate, de errore, de dæmone, imo & de ipsamet morte plenam reportaturus erat victoriam.

Ad 5. Ezechiel, interprete S. Hieronymo, non loquitur de Templo Hierosolymitano denuo instaurando, sed de templo spiritali Ecclesiæ, cujus figura extitit Templum Salomonis: hujus autem templi, seu Ecclesiæ perfecta instauratio in Cælis futura est, cùm ab omnibus hostibus liberata Ecclesia æternùm triumphabit. Quod si de Templo materiali Prophetam intelligere placuerit, verba Ezechielis referenda erunt ad restaurationem secundi Templi sub Zorobabele; quæ interpretatio Judæis non favet.

Ad 6. Gratis omnino fingitur Messiam debellaturum esse Gog & Magog, & Ezechielem, c. 38. de Messia loqui: loquitur enim de iis Regibus, qui post Captivitatem Babylonicam Judæos novis calamitatibus oppresserunt, quales fuêre Reges Syriæ, & populi Asiæ minoris, sic dicti à Gyge Lydorum Rege: vel ab Hiera-

poli in Aſia minore, quæ dicta eſt *Magog*, teſte Plinio, L. 3 c. 28.

Obj. 2°. Verus Meſſias debuit, 1°. extinguere cultum idolorum; 2°. à Synagoga, quæ vera erat ſui temporis Eccleſia, recipi & probari: atqui neutrum contigit Chriſto.

R. ad 1. diſt. maj. Verus Meſſias debuit paulatim ac per gradus idolorum cultum extinguere, C. ſimul & uno eodemque momento. N. Eſt quippe illa divinæ Providentiæ lex, ut non niſi per quoſdam gradus ad finem perveniat: *Diſponit omnia ſuaviter, & attingit à fine uſque ad finem fortiter*: unde non unico momento, ſed ſeptem dierum ſpatio mundum creavit. Porro ſenſim corruere famoſa hæc, quæ toti mundo jura dare videbantur, deorum templa, ut Apollinis Delphici, Dianæ Epheſiæ, &c.

Ad 2. diſt. Meſſias debuit recipi ab Eccleſia nova quæ tunc formabatur, C. ab Eccleſia veteri, ſeu à Synagoga, N. Imo ſi Chriſto ut Meſſiæ credidiſſent Judæi, jam ei credere non poſſent Chriſtiani, quia ſæpius à Prophetis prædictum erat Judæos durâ cervice & incircumciſis cordibus, vero Meſſiæ haud quaquam credituros eſſe.

ARTICULUS SECUNDUS.

An contra Gentiles probari posſit Chriſtum eſſe Mesſiam.

PRofligatis Judæis, è re noſtra eſt, ut Gentiles adoriamur.

Conclusio. Veniſſe Meſſiam, eumque non alium eſſe à Jeſu Nazareno, Chriſtianæ Religionis autore, Paganiſmi conſequenter everſore, demonſtrari poteſt.

Prob. 1°. ex Prophetiis hunc in modum: Chriſtus ipſemet eſt Meſſias, ſi Prophetarum, qui de Chriſto apud Judæos vaticinati ſunt, præſagia Jeſu Chriſto longe fuerint antiquiora, divino afflata Spiritu & in Jeſu Naz. completa. Neque enim ſumme bonus eſſet & ſumme verax, qui per prædictiones in Pſeudomeſſia completas mundum omnem decipi permiſiſſet, & decipientibus toto niſu faviſſet. Atqui 1°. Prophetarum qui de Chriſto vaticinati ſunt oracula, ſunt longe antiquiora. Ea enim oracula Chriſto longe antiquiora ſunt, quorum anteriorem Chriſto vetuſtatem invicte teſtantur Judæi, in eo quod Chriſtianis favent teſtes minime

suspecti; quæque Gentilium manibus, pluribus ante Christum seculis trita, toto Orbe celebrabantur: atqui Librorum, quibus oracula hæc continentur, vetustatem testantur Judæi, non ii tantum qui tunc vivebant, cùm omni persecutionum impetu quatiebatur Christiana Religio, sed & ii quoque, qui nunc, eâ nimirum ætate vivunt, quâ ipsorum Religionem ubique derelictam, Prophetiarum ope adoriuntur & profligant Christiani; ergo.

Neque minus constat Judæorum libros, Gentilium manibus tritos fuisse pluribus ante Christum seculis: qui enim Libri, 250. circiter ante Christum annis, Ægyptiorum Regum cura ex Hebræo in Græcam, linguam translati sunt, hi certe diu ante Christum, publici Gentilium juris facti sunt: atqui Judæorum Libri 250. circiter ante Christum annis ex Hebræo in Græcum versi sunt; cùm scilicet Demetrius Phalæreus, Regiæ bibliothecæ præfectus, Ptolemæo Philadelpho autor fuit, ut Hebræorum volumina accitis ex unaquaque Tribu sex viris Senioribus ex Hebraica lingua in Græcam converti curaret; uti narrat Josephus Lib. 12. Antiq. c. 2. & S. Augustinus L. 18. de Civ. Dei c. 42. Merito igitur aiebat idem S. Doctor: *Codicem portat Judæus, unde credat Christianus.*

2°. Vaticinia de quibus agitur, Spiritûs sancti afflantis effectus sunt manifesti. Quippe vel Spiritui sancto attribui debent, vel dæmonibus, vel homini: atqui 1°. non dæmonibus. His enim adscribi non possunt vaticinia quibus unum id propositum est, ut imperium Satanæ diruant: atqui vaticiniis Prophetarum de Christo id unum propositum est, ut diruant imperium Satanæ, subversisque throni ejus fundamentis novam eisdem Religionem implantent, tam castitatis, humilitatis, justitiæ ac temperantiæ, ceterarumque virtutum adjutricem, quàm vitiorum omnium promotrix fuerit Ethnica superstitio; ergo, &c. Argumentum hoc subindicat ipse Christus, cùm ait Satanam adversùs Satanam divisum non esse, alioqui subversum iri regnum ejus; 2°. non hominibus. Qui enim fieri potuisset, ut tot Vates, tam diversæ ætatis, indolis, ingenii, quorum pars ignobiles erant, altera nobiles; pars rudes sermone, pars facundi, tot, sibi solis relicti, varia, quæ à causis naturalibus suspensa non erant, & secum male cohærere videbantur de Messiæ duplici origine, partu, vitæ genere, contumeliis, gloriâ, morte, ac Religione pronuntiassent; quæ tamen

omnia fortuito casu in unum simul hominem convenissent, & in eo ad amussim fuissent completa? Hæc qui deglutiunt, ne mysteriis credant, mysterium quibuscumque Christianæ mysteriis difficilius adoptant. Ergo dicendum cum Apostolo, quod olim *Patribus* *Heb.* *nostris* non Prophetæ sed *Deus in Prophetis locutus est.*

3°. demum oracula hæc in Christo jam completa sunt. Oracula enim quæ Messiam attinent, spectant aut ad ortum ejus, aut ad vitam, aut ad mortem, aut ad tempus quod mortem sequi debuit: sed quæ de his prædicta sunt à sacris Vatibus in Christo Jesu completa sunt; uti paulo ante strictim probatum est, & fusè probat Ill. Huetius; ergo.

Prob. 2°. eadem conclusio nostra ex miraculis: Ille est vere Messias, qui se Messiam dixit, & dictum suum confirmavit, tum suis, tum discipulorum miraculis, quæ vera & sancta fuêre, non præstigiæ, non humanarum virium effectus, non ope dæmonum, sed digito Dei perpetrata: atqui Christus & se Messiam dixit, &c. Major & minor seorsim probanda veniunt.

Prob. itaque major. Vel enim qui se Messiam dicit, idque evidentibus confirmat prodigiis, est vere Messias; vel Deus non est Deus. Namque, ut jam diximus, ille non est Deus, cui bonitas & sapientia desunt: sed qui permittit ut alius se Messiam dicat, & dictum suum veris & undecumque sanctis miraculis confirmet, huic bonitas & sapientia desunt. Ei enim desunt bonitas & sapientia, qui amplectendi erroris necessitatem imponit: atqui in hypothesi præsenti imponeret Deus erroris amplectendi necessitatem. Ibi namque est necessitas amplectendi erroris, ubi error, quod notandum, hominibus sanâ, purâ & candidâ mente præditis nequaquam manifestus, iis adstruitur mediis, quorum falsitatem detegere homo non potest, quæque sunt via præstantior, quâ voluntatem suam Deus reserare valeat: atqui tunc error puris, candidisque mentibus impervius, iis adstrueretur mediis quorum falsitatem detegere homo non potest; imo mediis quibus Deus voluntatem suam insigniter reserat, & olim reseravit, cùm Israëliticam gentem è Pharaonis servitute vindicavit: ergo stat eum, qui Messiam se dixit, & veris miraculis dictum suum confirmavit vere esse Messiam. Itaque jam

Prob. min. per partes, & quidem 1°. Christus Messiam se dixit. Joan. 4. 25. *Dicit* Christo *mulier* Sama-

ritana; *Scio quia Messias venit. Dicit ei Jesus: Ego sum qui loquor tecum.* Idem habes Matth. 26. 63.

II°. dictum miraculis & quidem veris confirmavit. Veri enim nominis miracula dicuntur opera externa & manifesta, quæ totius naturæ vires superant: atqui innumera hujusmodi opera edidit Christus, prout ab Apostolis ejus relata sunt: Miracula enim quæ varii & in ceteris diversi, Christianæ Religionis hostes vera fatentur & inconcussa, Christo autori jure meritoque tribuuntur: atqui talia sunt Christi miracula. Judæi enim Gentiles & postea Mahumetani, quanquam Religione, moribus & instituto dispares, unanimi tamen impetu adversùs Christianam Religionem debacchantur: atqui tamen ii omnes Christo miracula sua asserunt: Judæi quidem Joan. 7. 31. *Christus cum venerit, numquid plura signa faciet?* neque opera hæc negabant Judæi posteriores, teste Tertulliano L. contra Judæos, c. 9. quin & de iis sermonem habent in Talmud. eadem quoque asseruerunt Gentiles, cùm Romani stupenda hæc prodigia publicis Commentariis adscripserint, ut testatur Justinus Martyr apolog. 2. Idem demum confitentur Mahumetani post Pseudoprophetam suum in Alcorano, Azoára, 5. 11. 13. 29. & 31.

Muet. propos. 6. c. 39. p. 420.

III°. Miracula Christi præstigias inter censeri non possunt. Præstigias enim dicimus illusiones, quibus res aliter exhibentur ac revera sint: atqui opera Christi hujusmodi fucos excludebant; nec quis fuit unquam ab artibus præstigiatorum alienus magis, quam Christus Salvator. Scilicet enim præstigiatores amant tenebras, & odere lucem, turpe sectantur lucrum, inanemque honoris fumum captant, dæmonis imperio gloriæque mancipati, ab eo habent quidquid habent: atqui nullius horum vel minima suspicio in Christum cadit.

Nam 1°. quæ locutus est Christus, *palàm locutus* est, & *in occulto nihil* fecit, ut ipse ait Joan. 18. Ideoque & miracula sua non semel, sed quotidie, non coram personis aliquot sibi addictis, sed coram infinitâ hominum sibi plerumque infensorum multitudine.

2°. Nec turpe lucrum aut inanem gloriæ larvam sectatus est, ità pauper ut non haberet ubi reclinaret caput; ità humilis ut Herodis Principumque aulam non frequentaverit, & ab iis recesserit, qui eum Regem facere moliebantur.

3°. Nec persuasit Christus vera esse quæ vera non

erant, nec persuadere potuit, adeoque nec potuit populis fucum facere. Ecquì vero persuadere potuisset, cæco, cujus congenitam cæcitatem noverat urbs amplissima, se eidem restituisse visum? Lazaro jam fœtenti redditam vitam? leprosis, sibi jam liberum esse ut ceteris permixti viverent? & hæc si vivus persuaserit, quomodo mortuus suadere potuit? Quâ arte est factum, ut homo impostor, nec proin à mortuis redivivus, quingentis hominibus persuaserit se ab iis tangi, cum iisdem loqui, ac comedere? An fingere potuerunt Apostoli se loqui variis linguis, qui vix scite, ut plebeii solent, vernaculâ loquerentur? an opinari se nomine Jesu curare morbos, quos tamen non curabant; ergo falli non potuerunt Apostoli: Sed nec penes eos fuit fallere, præsertim cùm non plebem stolidam, sed sapientes mundi, philosophos, & perspicacioris ingenii quoscumque fefellisse dicendi sint. Et vero quâ tandem ratione opus mere humanum, Deo perinde ac hominibus adversum, tam feliciter totis suis partibus constitisset? Numquid è tot testibus, qui non semper idem sentiebant in ceteris, ne unus quidem vi fractus tormentorum, initam doli conspirationem, unanimemque mendacis turmæ dolum aperuisset? Numquid eo singuli devenissent furoris, ut ubique exules & ejecti, præsentibus oppressi malis, instantibusque vitæ alterius pœnis territi, resurrectionem Christi tanquam spei suæ basim proprio sanguine obsignarent? ac demum si hæc omnia nihil habent miraculi, quo factum est miraculo, ut Religionem quæ vix miraculis adstrui poterat, nimirum libidinibus adversam, præconceptis ubique Gentium opinionibus directe contrariam, potentibus seculi despectam, dicam verbo, *Judæis* quidem *scandalum*, *Gentibus autem stultitiam*, viri scientiâ, judiciique maturitate celebres, amplexi sint, & pro ipsa famam, opes, amicos, conjuges, dulces natos, ac ipsum cruorem devoverint? Isthæc cui miracula non sunt, grande ipsemet est miraculum.

IV°. Christus ope dæmonum miracula sua non edidit. Ea enim prodigia dæmonum ope non edidit Christus, quibus opprimebantur dæmones, eorumque impotentia prodibat in lucem; neque enim quis, præsertim si Deum zelotem æmulatur, inimico suo arma contra se subministrat: atqui per miracula Christi opprimebantur dæmones. Iis quippe subvertebatur idololatria, ferebatur pietatis & justitiæ imperium, abigebantur è corporibus Spiritus nequam, atque ad

Christi vocem, imo & ad signum crucis discedebant trepidi; ergo superest ut eadem miracula digito Dei peracta sint, &c.

Narrant quidem Judæi, Helenæ Adiabenorum Reginæ temporibus extitisse in Hierosolymitano templo lapidem, cui olim Arca imponi consueverat; in quo exaratum erat propriis elementis nomen Dei; cujus ea vis erat, ut quisquis illud didicisset, cujuscunque potens esset prodigii. Addunt veritos Sapientes, ne quis eâ facultate abuteretur, canes æreos portæ custodes apposuisse, qui tum sagaciter fuerant fabricati, ut si quis mandato memoriæ nomine exire pararet, magnis canum latratibus territus, sacri nominis oblivisceretur: Jesum porro, quem hæc non latebant, nomen descripsisse in membrana, quam, vulnere sibi facto, cruri insuit, ità ut oblitum nomen, sicut contingebat ceteris, extractâ & lectâ membranâ, postmodum didicerit, & ejus ope stupenda, quæ de eo narrantur, prodigia operatus sit. *Huet. p. 422. n. 5.*

At graviter premi necesse est, qui talibus somniis causam suam firmat. Afferant, quæso, nobis Judæi narrationis hujus testes. Quis mirifici hujus lapidis, nominisque eo descripti meminit? Quis æneos canes latrantes recensuit? An Libri sacri? An Josephus qui minima quæque templi tam accurate delineavit? Quis sacri nominis insculpendi autor fuit? quis sculptor? An Salomon aut ejus jussu artifices? quâ vero ratione isti & ille tantum neglexêre munus, nec unquam inclaruêre miraculis? Adde quod Helena Monobazi uxor, & Izatæ mater non nisi sub Claudio Hierosolymam venit: quâ igitur ratione uti potuit Christus lapide, qui in templo non nisi post ejus mortem positus est; vel potius qui merum est animi ultro citroque errantis commentum?

Prob. 3°. ex mirabili Religionis Christi propagatione, sed paucis, quia pluribus non licet. Christus est Messias, divinaque ab eo sancita est Religio, si hanc Deus ipse vi suâ omnipotente propagaverit: atqui Deus ipse.... Vel enim Christianæ Religionis propagatio divinum est opus, vel humanum: atqui.... Opus enim dicimus humanum, quod per humana media finem suum assequitur, atqui hæc propagandæ Religioni Christi defuêre. Media enim humana sunt, 1°. ex parte Doctorum, existimata Autoris nobilitas & scientia, ejusque sequacium ars & facundia; 2°. ex parte Doctrinæ, non modo species plausibilis, sed & cum

auditorum moribus, institutis, imo & præjudiciis convenientia; 3°. ex parte Principum, tum honores & emolumenta iis constituta, qui novam doctrinam amplexi fuerint; tum in rebelles minæ, verbera cruciatus, &c. atqui hæc omnia à Doctrina Christi vel abfuerunt, vel quod, cùm de populis agitur, idem est, abesse visa sunt.

1°. enim Christus faber & fabri filius habebatur, rudisque litterarum, quas non didicerat. Neque major fuit Apostolorum ejus splendor, qui plebeii erant, imperiti vixque idonei qui obvia quæque & communia caperent.

2°. Christi Doctrina nedum plausibili specie alliceret, ac veluti traheret invitos, eâ se facie exhibet, quæ statim carnis oculos offendat. Hîc credendum quod non capias, faciendum quod exhorret natura, damnandum quidquid pene approbaverat Gentilitas, &c.

3° Nec honoribus sollicitati sunt, qui Christi militiæ nomen dederunt, nec emolumentis allecti. Tormenta, cruciatus, carceres, exilia, exquisita, quæcumque genera mortis, en quæ per annos trecentos & amplius, fuere Christianismi amplectendi invitamenta. Verùm de his quæ fusius evolvere non datur, adeundi Religionis nostræ vindices.

Prob. 4°. ex silentio oraculorum, quæ quidem, & id impendiò animadverti velim, non dico cum devotis quibusdam, *simul & semel ubique terrarum* defecisse, sed defecisse pro gradu incrementi Religionis, ità ut ubicumque sedem locabat Christi Religio, illic generatim loquendo deficerent oracula, prout tradit Eusebius jam in ipso Præparationis Evangelicæ titulo. Sic itaque argumentor.

Ut ex oraculorum silentio rite colligatur veram esse Christi Religionem, Christum proin verum esse Messiam, tria sufficiunt. 1°. ut Paganorum oracula, non Pithiarum, Sacerdotumve fraudis effectus fuerint, sed ipsorum dæmonum responsa; 2°. ut ea vere & de facto cessaverint, prout in oraculorum locis pedem figebat Religio Christi; 3°. ut quæ ea abegit Religio, vera necessario fuerit, non mendax, quæ mendaci succederet: atqui tria hæc constant.

Et quidem 1°. etsi falsa apud Ethnicos cudi potuerunt oracula, quemadmodum falsæ nonnunquam apud Judæos extiterunt prophetiæ, & apocrypha quandoque apud Christianos finguntur miracula; constat tamen ex veteribus oraculis innumera fuisse, quæ ab

uno dæmone proficisci possent. Hujus generis fuêre, tum ea quæ dormientibus in Æsculapii Templo reddebantur in somnis, & ex quibus discebant ægri, quo sibi utendum esset remedio; ut à certa infirmitate, ab ipso ut plurimum dæmone immissa, liberarentur; tum quæ respondebant petitionibus in chartâ debitè signatâ*, contentis, prout evenit, seu illi Ciliciæ Præfecto, *Cachetée.
qui cùm in hujusmodi chartâ oraculum Mopsi, cujus fidem habebat suspectam, interrogasset, albumne an nigrum bovem immolaret, id ab eo per servum suum responsi tulit, *Nigrum*; seu Trajano, qui Heliopolis Deum tentaturus, *primum misit signatos codicillos ad quos sibi rescribi vellet. Deus jussit afferri chartam, eamque assignari puram, & mitti.... Id cum maximâ admiratione Trajanus accepit, quod ipse quoque puris,* id est in quibus nihil scripserat, *tabellis cum Deo egisset*; *Macrob. l. 1. Saturn. c. 22.*
tum (ut sexcenta id genus prætermittam) quibus certo in loco aperiebatur quid in alio procul dissito fieret; prout expertus est Crœsus, cujus legatis ab Apolline Delphico responsum est, Crœsum hoc ipso instanti testudinem cum agno Sardis coquere: quod ob ingentem locorum distantiam nonnisi à spiritu admodum mobili resciri potuit.

2°. Nec minùs constat oracula hæc, quæ per duo aut minùs annorum millia perduraverant, conticuisse *Baltus, p. 172.*
prout in oraculorum locis firmabatur Religio Christiana. Nempe silentium hoc ex æquo adstruunt Gentiles & Christiani. Sic Porphirius queritur deos iratos, ex quo venit Christus, nihil respondere. Sic Plutarchus, qui & ipse Apollinis Sacerdos erat, Librum scripsit de Oraculorum defectu. Sic Apostata Julianus deorum suorum silentium confessus est, idque tantum respondere potuit, quod falsum erat, sacros etiam Vates defecisse. Concinunt Lucanus, Juvenalis, Strabo, &c. Idem exultanter agnoverunt, Gentilibusque ut rem toto Orbe notam exprobraverunt Christianæ Religionis vindices, Justinus, Lactantius, Arnobius, Cyprianus, Tertullianus, Chrysostomus, Cyprianus, Lib. de Idolorum vanitate. *Hi ergo spiritus*, inquit, *sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant..... Oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt..... Hi tamen adjurati per Deum verum nobis statim cedunt & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostrâ voce & oratione occultè flagellis cædi.... unde veniant,*

& quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri. Idem & confidenter magis tradit Tertullianus in Apolog. c. 23. *Edatur*, inquit, * *hic aliquis sub tribunalibus vestris, quem dæmone agi constet, jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. .... Ista ipsa virgo cœlestis pluviarum pollicitatrix; iste ipse Æsculapius medicinarum demonstrator .... nisi se dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes, ibidem illius Christiani procacissimi sanguinem fundite. Quid hâc probatione fidelius?* &c. Athanasius, L. de Incarn. Verbi, exertè scribit, muta per signum Crucis fieri oracula, Gentilesque provocat, ut id experimento comperire velint. Chrysostomus celebrem refert historiam Babylæ Martyris, qui Daphniticum Apollinem præsentiâ suâ mutum effecit, ita ut Julianus, quo Dei hujus linguam solveret, Babylæ importuni vicini, reliquias alios jusserit transferri.

Euseb. l. 4. Præpar. Evang. c. 15.

3°. Quæ oracula dæmonum abegit Religio, vera esse debuit; alioqui enim defuisset quæcumque erroris detegendi via. Ideo enim Gentiles, licet oracula, & ex iis quædam seu forte prædictionum, seu curationum miracula haberent, vere tamen in Deum rei fuerunt, quia facile & certe judicare poterant cuncta hæc à dæmonibus proficisci; sive eo quod eadem oracula res nefarias præciperent, putà ut *alii filios, filias alii, alii denique semetipsos dæmonum sacrificiis devoverent*; seu quod *adulteria, corruptelas, aliaque id genus incesta flagitia, sic tanquam debitum aliquod in Deorum suorum cultu* exercenda esse docerent; seu quod falsa multa impiaque dogmata propalarent, putà *fato & inexorabili necessitate* fieri quidquid fit ab homine; quo semel admisso *nec improbis deinceps aut impiis, omniumque adeo scelerum turpitudine laborantibus succensendum erit; nec virtutis amatoribus laudis quidpiam honorisque tribuendum*: atqui nihil erat unde Religionis Christianæ error detegi posset. Hæc enim vel ipsam mali speciem excludit, & ad omne virtutum genus inclinat. Non imperat cædem amicorum, quæ inimicorum sanguini, bonis etiam & famæ parcit. Non blanditur adulteriis, quæ nec solutæ virginis intuitum liberiorem concedit. Nescit fatum, quæ liberam ignis vel aquæ electionem commendat; ergo, &c.*

Ibid. l. 6. c. 6.

Hæreticos Incarnationis subversores, Nestorium præcipue & Eutychetem suo loco impugnabimus.

* Vide opus inscriptum: „Rèponse à l'Histoire des Oracles de M. de Fontenel-le,

QUÆSTIO QUARTA.

De necessitate Incarnationis.

NEcessarium, aliud est absolute ac simpliciter, quod ità necessarium est, ut quâcumque factâ hypothesi aliter esse non possit; & sic necesse est Deum existere: aliud vero ex hypothesi duntaxat. Jam vere Incarnationis necessitas spectari potest in hypothesi, vel creationis mundi, vel lapsûs humani generis in peccatum, vel reparationis ipsius à lapsu, vel accuratæ & condignæ satisfactionis Deo pro peccatis exclvendæ. De his sit

Conclusio I. Incarnatio Verbi necessaria non fuit ex hypothesi creationis mundi. Ità vulgo Theologi contra Raymundum Lullium, Wiclefum, & alios quosdam.

Prob. 1°. quia tam potuisset mundus æternùm subsistere absque Incarnatione, quam revera per quatuor annorum millia sine illâ permansit. Nullâ enim toto illo tempore mundus sibi debitâ perfectione caruit; 2°. quia fere communis est Theologorum sententia, quod si Adam non peccasset, Christus non venisset; ergo Incarnatio necessaria non fuit ex hypothesi creationis Universi.

Obj. 1°. Agens perfectissimum qualis Deus est, id semper facit quod est optimum: ergo. Prob. ant. ex S. Augustino, Lib. de quantitate animæ, c. 33. ubi aït, *Justitiam summi Dei factam esse, ut non modo sint omnia, sed etiam ità sint ut omnino melius esse non possint.* T. 1. p. 436. B.
Et L. 3. de libero arbit. c. 5. *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Ibid. p. 615. B.

R. dist. maj. Agens perfectissimum, quod ex necessitate agit, ut Deus intus generans Filium, semper facit quod est optimum, C. quod libere agit extra se, subdist. semper facit id quod est optimum, relative ad finem quem sibi præfixit, C. absolute & in omni genere, N. Aliàs non tantùm libertas, sed & omnipotentia Deo adimeretur, quæ tota in quolibet opere supponeretur exhausta. Quemadmodum ergo potuit Deus nihil extra se moliri, quia liber; ità & potuit, quos voluit perfectionis majoris vel minoris gradu creaturæ suæ impertiri, ad finem, quem intendit, sem-

per idoneos, quia & liber & ſapientiſſimus. Unde cùm Auguſtinus affirmare videtur, Deum id operari ſemper quod eſt optimum, atque id tantum poſſe, quod vult; exponi debet, vel quia Deus ſine ullo defectu ſeu imperfectione, aut imprudentiâ operatur: idque appoſite dictum eſt contra Manichæos, qui Deum malum mali autorem admittebant, vel quia quæ operatur Deus, ſemper optima ſunt ad finem quem intendit. *Gen.* I.*v.*31. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.*

Obj. 2°. Demus aliquid eſſe in rebus creatis, quod reſpondeat dignitati actionis Opificis quæ infinita eſt; atqui ſola Verbi incarnatio huic infinitæ Dei perfectioni reſpondere poteſt; ergo.

R. nego maj. Cauſa etenim effectu ſuo nobilior quidem eſt, non vero effectus causâ; aut ſaltem effectus cauſæ ſuæ perfectionem ac nobilitatem non adæquat. *L.* II. *de Civ. c.* 22. *T.* 7. *p.* 288. E.F. Quapropter ex Auguſtino, *Deus ità magnus eſt in magnis, ut minor non ſit in parvis; quæ parva non ſuâ granditate, nam nulla eſt, ſed artificis ſapientiâ metienda ſunt.*

Inſtabis. Qui gloriam ſuam in omnibus tanquam finem intendit, ille gloriam naturæ ſuæ proportionatam, id eſt infinitam, proponere ſibi debet: atqui Deus gloriam ſuam in omnibus tanquam finem ſibi proponit; ex ſolâ autem Incarnatione gloriam infinitam percipere poteſt; ergo.

R. neg. maj. qui enim à ſe ipſo gloriam eſſentialem ſibique omnino ſufficientem habet, gloriâ externâ non indiget, ſecundum id Pſaltis: *Bonorum meorum non eges*: atqui Deus ex ſe ipſo gloriam habet eſſentialem &c. Merito igitur S. Auguſtinus, L. 13. Confeſſ. c. 4. *T.* I. *q.* 226.D. *Quid tibi deeſſet ad bonum quod tu tibi es, etiam ſi iſta vel omnino nulla eſſent, vel informia remanerent, quæ non ex indigentia feciſti, ſed ex plenitudine bonitatis tuæ?*

Conclusio II. Ex hypotheſi lapsûs humani generis in peccatum, neceſſaria non fuit Incarnatio neceſſitate abſolutâ & ſimplici, ſed ex quâdam duntaxat congruitate.

Prob. 1. pars: quia certum eſt ex Scripturis, opus redemptionis humanæ plane gratuitum eſſe. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret.* Rom. 3. *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* ad Titum 3. v. 5. *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Unde ſic: At illud opus nullâ neceſſitatis lege abſolu-

te tenetur Deus, quod plane gratuitum eſt, ac purum miſericordiæ ipſius beneficium: atqui tale eſt opus humanæ redemptionis; potuiſſet enim Deus (neque idcirco arguendus, ſed adhuc laudandus) hominem propriâ ſua culpa lapſum in maſſa perditionis relinquere; ergo.

Prob. 2°. his momentis: 1°. Omne opus externum Deo liberum eſt: atqui Incarnatio eſt opus externum. 2°. Nulla major in Deo eſſe potuit neceſſitas redimendi homines lapſos, quàm Angelos rebelles: atqui 2. *Petri.*2.
iſtos à lapſu non erexit; *ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Quapropter ſa- *Sap.*
piens merito dixit: *Quis tibi imputabit, ſi perierint* 12.
nationes quas tu feciſti? Auguſtinus, Lib. de nat. & grat. c. 5. *Univerſa maſſa pœnas debet, & ſi omnibus* *T.* 10.
debitum damnationis ſupplicium redderetur, non inju- *p.*129.
ſte procul dubio redderetur. Quantas igitur Deo gratias B.
referre, quo memoris animi impetu in amorem illius ferri nos oportet, qui *Angelos non apprehendit, ſed ſe-* *Hebr.*
men Abrahæ; noſque merito paſſionis ſuæ ac mortis, 2.*v.*16.
æternæ beatitudinis conſortes eſſe voluit, *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* *Rom.*8.

Prob. 2. pars; 1°. quia divinam miſericordiam ac ſuaviſſimam decebat benignitatem, ut quod opus formaverat, ac invidia diaboli fuerat confractum reformaret. Unde David: *Miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum,* & Apoſt. Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus ignoras?*

2°. quia congruum maxime videtur, ut divinæ perfectionis omnes exterius ſplendeſcant ac celebrentur; & ſicut divina juſtitia in Chriſtum ſponſorem noſtrum ſe totam exeruit, ita & miſericordia in nos ſe ſe totam effunderet: atqui utrumque præſtat lapſi humani generis reparatio; ergo.

Dices: Ex S. Anſelmo L. *Cur Deus homo,* c. 10. *Si-* *Pag.*8.
cut in Deo quamlibet parvum inconveniens ſequitur im- *Col.* 1.
poſſibilitas: ità quamlibet parvum rationem, ſi majo- C.
ri non vincitur, comitatur neceſſitas: atqui inconveniens erat ac incongruum, lapſum hominem à Deo non reparari; ergo neceſſe fuit neceſſitate naturæ, ſeu abſolutâ, Deum incarnari ad hominem reparandum.

R. effatum S. Anſelmi non incommodè intelligi de eo, quod poſitivè vel contrariè Deo indecens eſt, non autem de eo quod negativè tantùm inconveniens eſt. Porro hominem lapſum non reparari, nec poſitivè,

nec contrariè indecens est; nullum enim inde dedecus, aut malum Deo accedit: sed indecens est negativè, quia ommitteret id facere quod est quidem conveniens ac congruum, sed ad quod faciendum nullâ necessitatis lege tenetur.

Conclusio III. Incarnatio non fuit absolutè necessaria ex hypothesi reparationis generis humani, bene vere ex hypothesi condignæ pro peccato satisfactionis.

T. 1. p. 536. A. Prob. I. pars, 1°. ex Patribus. S. Athanasius, Orat. 2. aliàs 3. contra Arianos: *Etiam*, inquit, *sine ullo Salvatoris adventu poterat Deus tantummodo dicere, atque ità solvere maledictionem. Verùm attendere oportet quid sit hominibus utile, non autem quid in omnibus possit Deus.* T. 6. p. 251. B S. Augustinus Lib. de Agone Christiano, c. 11. *Sunt*, inquit, *stulti qui dicunt: non poterat aliter sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, & nasceretur de feminâ, & à peccatoribus omnia illa pateretur? Quibus dicimus, Poterat omnino.* T. 1. p. 357. A. B. S. Gregorius Nazianzenus, Orat. 9. *Hæc Salvator fecit; idque cum voluntate sola nobis, utpote Deus, salutem afferre posset, quemadmodum & universam rerum machinam solo jussu atque imperio procreavit.*

Prob. 2°. quia, ut bene S. Thomas, potuit Deus peccatum gratuito dimittere; potuit dimidiam satisfactionem acceptare; potuit hominis gratiâ cumulati acceptare opera, quibus pro toto genere humano, licet non ad strictos juris apices satisfaceret.

T. 1. p. 830. G. Prob. II. pars, ex SS. Patribus. S. Augustinus, Serm. 174. *Non liberaretur humanum genus*, ait, *nisi Sermo Dei dignaretur esse humanus.* T. 5. part. 1. n. 684. D. E. S. Cyrillus Alexand. Dialogo de Incarnatione Unigeniti: *Apprehendit Deus semen Abrahæ; ità enim & non aliter, genus ad perniciem devolutum instaurandum erat.* T. 1. p. 243 c. 2. S. Leo Magnus, Serm. 1. de passione Domini: *Talibus*, ait, *vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per hanc opem non possemus absolvi*; ergo ne Patres vel sibi, vel aliis Patribus oppositis censeantur: dicendum est hominem aliâ & non aliâ quàm Incarnationis viâ reparari potuisse; aliâ quidem absolutè; non aliâ vero ex hypothesi condignæ satisfactionis; quod ex proximè dicendis innotescet.



QUÆSTIO QUINTA.

De satisfactione & merito Christi.

TOtam de satisfactione Christi disputationem revocamus ad ejus necessitatem, veritatem & perfectionem.

ARTICULUS PRIMUS.

De necessitate satisfactionis Christi.

SAtisfactio, quæ generatim est debiti cujuscumque solutio, in præsenti definiri solet, *Redditio voluntaria honoris & reverentiæ æquivalentis, ex propriis, & aliàs indebitis, ad compensandam injuriam alicui per peccatum illatam.*

Dicitur 1°. *Redditio,* quia est actus justitiæ ad alterum, ac debitum quoddam connotat: unde distinguitur à gratuita donatione.

Dicitur 2°. *voluntaria*, tum quia est actus virtutis, qui liber esse debet; tum quia satisfactio de qua hîc loquimur, consistit in restitutione honoris: honor autem est in honorante, & voluntariam respectu alterius submissionem importat; tum denique, quia distinguitur à redditione involuntariâ, quæ non tam est satisfactio, quàm satispassio, qualis reperitur in damnatis.

Dicitur 3°. *æquivalentis,* id est ejusdem valoris cum debito: satisfactio quippe est actus justitiæ, quæ, ut sit accurata, perfectam æqualitatem statuere debet.

Dicitur 4°. *ex propriis*; qui enim satisfacit, jus plenum habere debet in id quod personæ læsæ tradit.

Dicitur 5°. *& aliàs indebitis;* qui enim id reddit quod jam alio ex titulo debet, utique non satisfacit. Nec obstat quod quis in sacris Ordinibus constitutus, licet aliquo fruatur beneficio, nihilominus Officio suo satisfaciat, si semel in die Horas Canonicas recitet; quia talis obligatio non ex jure naturali nascitur, sed tantùm positivo Ecclesiastico, quod gravius non imponit onus.

Dicitur 6°. *ad compensandam injuriam, &c.* & sic distinguitur satisfactio, tum à restitutione, quæ proprie damnum in rebus injuste ablatis illatum compensat; tum à merito, quod neque merentem ab ullo debito exonerat; nec offensæ condonationem intendit præcisè: sed mercedis aut præmii consecutionem. Jam

quæritur an satisfactio hæc ab Homine Deo præstanda fuerit, seu, quod idem est, an non potuerit à pura creatura condigne præstari. Sit

CONCLUSIO. Pura creatura non potest Deo condignè satisfacere, pro suo vel alieno peccato mortali.

T. 6. Prob. 1°. ex Patribus. Sanctus Augustinus, Enchi-
p. 237. ridii c. 108. *Neque*, inquit, *per ipsum liberaremur*
C. *unum Mediatorem Dei hominem Jesum Christum, nisi*
T. 1. p. *esset & Deus*. Sanctus Basilius homiliâ in Psalm. 48. ad
179. E. hæc verba, *Frater non redimit*, &c. *Neque igitur*, in-
T. 1. p. quit, *fratrem in redemptionem quære*, *sed aliquem qui*
180. D. *tuam excedat naturam*: *neque hominem nudum*, *sed hominem Deum Jesum Christum*, QUI SOLUS *pro nobis omnibus Deo dare potest placationem*. S. Cyrillus Alex.
T. 5. Epist. 1. ad Valerianum Episcopum: *Quo pacto*, in-
p. 1. quit, *unus pro omnibus pretium exolveret*, *si illa pas-*
p. 163. *sio puri cujuspiam hominis fuisse putatur?* S. Leo,
D. Serm. 1. de Nativitate: *Nisi esset Deus*, *non afferret*
T. 1. *remedium*; *nisi esset homo*, *non præberet exemplum*.
p. 144. Idem docent alii.

c. 2. Prob. 2°. Theologicâ ratione. Scilicet ex jam dictis, ad condignam satisfactionem potissimùm requiritur, ut sit æquivalens, & ut fiat ex propriis, & aliàs indebitis: atqui puri hominis satisfactio nec potest esse æquivalens, nec fieri ex propriis & aliàs indebitis.

1°. Non potest esse æquivalens: namque ut satisfactio sit æquivalens, necesse est ut tanti sit meriti ac valoris in ordine satisfactionis, quanti demeriti fuit offensa in genere offensæ: satisfactio enim est actus justitiæ, cujus est æqualitatem plenam statuere inter personam offensam & personam satisfacientem: atqui satisfactio puri hominis, quibuscumque tandem gratiæ donis instructus sit, tanti meriti esse non potest, quanti demeriti fuit offensa. Namque offensa Dei infinitam quandam gravitatem contrahit ex infinita Dei majestate quæ læditur; contra vero, valor operis satisfactorii moraliter æstimatur ex ipsa persona satisfaciente: atqui nulla actio moraliter & omni sensu finita, qualis esset puri hominis satisfactio, attingere, & multo minùs plenè adæquare potest offensam objective infinitam; ergo.

Nec dicas, opus satisfactorium non minùs infinitum dici debere objective & extrinsece, quia circa Deum tendit, quam peccatum ipsum. Namque dispar est ratio operis satisfactorii, & offensæ; in eo quod satisfactio nullatenus valorem suum mutuetur ab objecto,

seu personâ offensâ, (imo & hinc habet quod factu difficilior sit) contra vero, gravitas offensæ tota repetitur ex persona cui illata est injuria, eaque major vel minor æstimatur, pro majori vel minori dignitate personæ offensæ.

2°. Puri hominis satisfactio non potest esse ex propriis. Quidquid enim habemus, sive in ordine naturæ, sive gratiæ, Deo acceptum referre debemus. Unde Apostolus II. Cor. 3. *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est;* & I. Cor. 4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti?*

3°. Nec esse potest ex indebitis; tum quia, qui nihil habet nisi quod Dei sit, nihil habet quod Deo debitum non sit: tum quia nulla est hominis actio quam Deus religionis, obedientiæ aut etiam justitiæ titulo exigere non possit.

Atque hinc inferes, purum hominem nequidem pro veniali peccato suo, vel alieno, condigne Deo satisfacere posse. Satisfactio quippe illa neque esset ex propriis, quia gratuitam gratiam supponeret; neque consequenter ex indebitis. Non esset quoque æquivalens: quanquam enim per veniale peccatum homo non avertitur à Deo tanquam ab ultimo suo fine, cui voluntas habitu adhæret, inest tamen illi peccato veræ offensæ ratio, quâ ex parte objective ac secundùm quid infinita est, ad cujus proinde æquivalentem compensationem necessaria est persona infinite perfecta, qualis est solus Deus.

Obj. 1°. Ille Deo condigne satisfacere potest, qui tantùm boni potest Deo reddere, quantùm ipsi mali per peccatum intulit: atqui id posset homo purus, gratiâ sanctificante uberiori præditus. Siquidem homo per auxilium gratiæ elicere potest actum perfectæ contritionis: atqui per actum hunc tantùm Deo refertur boni, quantùm ipsi per offensam illatum fuerat mali. Sicut enim per peccatum homo à Deo avertitur, & convertitur ad creaturam, ità per contritionem perfectam avertitur à creatura, & ad Deum convertitur; conversio autem ad Deum tanti valoris est ac meriti, quanti demeriti est aversio à Deo.

R. dist. maj. Qui potest tantùm boni referre ex propriis, & indebitis, C. secùs, N. Porro totum humanæ contritionis bonum esset primitùs à gratia Dei, ac proinde nec ex propriis, nec ex indebitis: atque hinc convellitur tota objectio.

Inst. Potest homo purus per actum contritionis perfectæ mereri vitam æternam; ergo & de condigno satisfacere.

R. neg. conseq. Disparitas est, 1°. quia ceteris paribus plùs ad satisfaciendum, quàm ad merendum requiritur. In merito enim tantùm attenditur proportio rei ad rem, hoc est, actûs meritorii ad præmium; talis autem proportio reperitur inter actus perfectæ contritionis & vitam æternam: at in satisfactione potissimùm spectatur proportio personæ offensæ cum personâ satisfaciente, quæ proportio nulla esse potest Deum inter & hominem purum; 2°. quod in merito necesse sit ut interveniat liberalis Dei promissio, quâ ex misericordiâ obstrinxit se, ut operibus ex caritate elicitis æternam vitam rependeret; *Non enim sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam.* Verùm in condigna satisfactione nihil ex liberalitate, nihil gratis remittitur, sed totum debitum accuratè atque ex stricta justitia persolvitur.

Rom. 6.

ARTICULUS SECUNDUS.

De veritate Satisfactionis Christi.

Habenda nobis hic res cum Socinianis, quorum error ne incautis illudat, quædam sunt observanda.

Not. itaque 1°. aliquem posse alteri satisfacere, vel *propriè* cùm ex stricta justitia solvit pretium æquivalens, ac proin omne debitum contractum extinguit; vel *impropriè* & *metaphoricè*, cùm per læsæ partis acceptilationem gratuito relaxationem debiti obtinet, aut conditiones sibi à superiore impositas, etsi satisfactioni proportionatæ impares, adimplet.

Not. 2°. posse aliquem alterius servatorem esse duobus modis: nimirum aut præmio, consilio & exemplo, aut merito, opere & efficaciâ.

Not. 3°. duplici sensu intelligi posse Christum pro nobis mortuum fuisse; 1°. utiliter pro nobis, id est, pro bono & commodo nostro; 2°. subrogatione seu substitutione, id est, vice ac loco nostro, tanquam sponsorem nostrum, qui debitum nostrum in se transtulit.

Jam Sociniani agnoscunt Christum simpliciter pro nobis satisfecisse; sed metaphoricâ & impropriâ satisfactione, quia adimplevit ea, quæ à Deo Patre imposita fuerant ad salutem nostram, gratis obtinendo ve-

niam nostrorum delictorum: non autem propriâ & stricte sumptâ satisfactione, ac soluto ad rigorem juris pretio pro redemptione nostra. Eum quoque Servatorem esse confitentur, sed consilio, exemplo; non merito, non opere & efficaciâ. Mortuum etiam pro nobis, hoc est, bono nostro tradunt; sed non loco nostro per veram in nostri locum substitutionem. Aliud prorsus sentit Ecclesia. Unde fit

Conclusio. Christus pro nobis vere ac propriè divinæ justitiæ satisfecit.

Prob. 1° ex iis Scripturæ locis, in quibus Christum sanguinem suum in pretium pro nobis tradidisse dicitur. I. Cor. 6. *Empti estis pretio magno*; Ephes. 1. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum.* Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto Legis; factus pro nobis maledictum*: id est maledictionem seu punitionem nobis debitam in se transtulit. I. Petri 1. 18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis... sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi.* Denique Matth. 20. v. 28. *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*; Græcè, *pretium pro multis*: ideo impositum illi Jesu nomen: *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum.* Ex iis sic: Ille proprie merito & opere, non exemplo tantùm ac consilio pro nobis satisfecit, qui verùm ac proprium pretium solvit, quo redempti ac liberati sumus: atqui Christus verum ac proprium pretium pro nobis solvit, proprium scilicet sanguinem, quo redempti & liberati sumus. Sicut enim in auro & argento, cujus comparationem affert S. Petrus, vera inest ratio pretii ac valoris respectu rei venalis, ità in sanguine Christi vera pretii ratio est agnoscenda, respectu humanæ redemptionis; ergo.

Matth. 1. v. 31.

Dices: Vox *redemptio*, sæpius in Scripturis sumitur pro simplici liberatione quæ fit gratis, nullo intercedente pretio. Sic Exodi 15. v. 13. dicitur *Deus in misericordia redemisse populum* ex captivitate Ægyptiorum. Sic Moses, Act. 7. v. 35. dicitur à Deo missus *redemptor*; & tamen certum est Moysen nullam proprie satisfactionem Deo pro Israëlitis exhibuisse.

Confirm. quia ubi est redemptio propriè dicta, ibi solvitur pretium ei qui captivos detinet: atqui dæmoni qui captivos detinebat homines, nec solutum est, nec solvi potuit pretium; ergo.

R. ex eo quod vox, *redemptio*, in aliquibus Scripturæ locis metaphoricè usurpetur, non sequi hanc in omnibus sic intelligendam esse; sicut nec ex eo quod vox *Leo* metaphoricè sumitur, cùm Christus appellatur *Leo de Tribu Juda*, sequitur eam in aliis textibus metaphoricè usurpari. Itaque vocis sensus ex subjecta materia & circumstantiis pensari debet: atqui & materia & circumstantiæ omnes redemptionem, cùm agitur de Christo, proprie intelligi postulant. Agitur enim de redemptione factâ pretio, quod pretium quodcumque ut aurum & argentum excedit. Agitur de redemptione vi cujus homo è captivitate eruitur, non per vim & plagas, ut olim ex Ægypto Israelitæ, ac proinde per pretium æquivalens. Agitur demùm de redemptione simpliciter dictâ: atqui fatente vel ipso Socino: *Redimere aliquem nihil aliud propriè significat, quàm captivum è manibus illius qui illum detinet, dato pretio liberare.* *L. 2. de servatore.*

Nec nocet confirmatio ab adversariis adducta. Neque enim reus, qui poenam luere tenetur, hanc aut carceris custodi, aut carnifici debet, sed Judici, qui bonum publicum curare debet, & poenæ timore arcere malos. Non est solvendum pretium peccatis, sed pro peccatis: non dæmoni, qui executor est mandatorum Dei, sed ipsi Deo, qui Judex est supremus, nec peccatum impunitum omnino pati potest.

Prob. 2°. eadem nostra conclusio, ex iis Scripturæ locis ubi Christus pro nobis, seu in locum nostrî, per veram substitutionem passus esse dicitur, & peccata nostra portasse. I. Petri 3. *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, justus pro injustis, ut nos offerret Deo.* Galat. 3. *Christus non redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum: quia scriptum est, Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Isaïæ 53. abjectio Christi, ejusque pro nobis subrogatio ac satisfactio sic describitur: *Non est species ei, neque decor.... Verè languores nostros ille tulit, & dolores nostros ipse portavit.... Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum; & livore ejus sanati sumus.... Posuit Dominus in eo iniquitates omnium nostrûm.... Dominus voluit conterere eum in infirmitate, &c.* Unde sic:

Ille vere pro nobis satisfecit & loco nostrî subrogatus est, qui cùm peccatum nullum fecisset, nostra tamen peccata tulit, quoad poenam scilicet, qui propter illa peccata, pro quibus utique vadem se præstitit,

vulneratus est, attritus, factus maledictum, morti traditus, ut hâc morte suâ nos sanaret ac liberaret: atqui talis est Christus. Minor solâ textuum lectione indiget.

Major autem aperta est ex usu ac communi stylo Scripturæ, quo constat, eum dici portare peccata qui pro peccatis plectitur, ut, Levit. 5. v. 1. 19. v. 8. 20. v. 17. 24. v. 13. Num. 14. v. 33. Cùm igitur Christus nullum peccatum fecerit, propter quod puniri debuerit, sequitur illum punitum fuisse propter nostra peccata, pro quibus se sponsorem fecit: sed qui pœnas alteri debitas in se recipit & transfert in alterius locum, merito subrogatus & pro illo satisfacere dicitur; ergo.

S. Petrus ad hunc Isaïæ locum haud dubie respexit cap. 2. Epistolæ suæ I. v. 24. ubi de Christo ait: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, ut peccatis mortui, justitiæ vivamus; cujus livore sanati estis.* Clariora hæc sunt, quàm ut explicatione indigeant.

Respondent tamen Sociniani, per phrasim istam *peccata portare, ferre*, idem significari ac *peccata auferre.* Siquidem Exodi 34. v. 7. de Deo dicitur: *Qui portas iniquitatem & scelera atque peccata.* Porro Deus non portat peccata, pœnas pro iis sustinendo, sed ea duntaxat auferendo; ergo à pari.

Confirm. quia teste Matthæo citatum Isaïæ vaticinium impletum est in Christo, quando ægros sanabat & varios morbos curabat: *Vespere autem facto*, inquit 6. 8.
S. Matth. *obtulerunt ei multos dæmonia habentes, &* v. 16.
ejiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curavit, ut adimpleretur quod dictum est per Isaïam Prophetam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit. Ut igitur morbos portasse dicitur, non in se illos transferendo, sed à nobis auferendo, eodem sensu peccata nostra portasse dicitur ab Isaïa & S. Petro, ea à nobis auferendo, non in se portando.

Refelluntur: quia non quolibet modo peccata portâsse dicitur Christus, sed per *attritionem*, per *vulnerationem & conjectionem in eum iniquitatum nostrarum;* quod certe dici non posset, nisi peccati pœnam in se suscepisset. Unde S. Petrus aït eum portasse illa *peccata in corpore suo super lignum;* id est, patiendo & moriendo pro nobis: atqui nullibi usquam de Deo non incarnato dixit Scriptura, *attritum illum fuisse, vulneratum, percussum propter peccata nostra, aut eum victimam factum pro nobis;* ergo longe aliter intelli-

genda est cùm de Christo loquitur, aliter cùm de Deo.

Ad confirm. dico Isaïæ Prophetiam in Christo morbos sanante impletam fuisse partialiter, non adæquate, utique enim ut morbos curaret Christus, haud necesse fuit ut infirmaretur: atqui è contra ut nos ab *iniquitatibus & sceleribus* nostris mundaret, debuit propter eadem vulnerari, percuti, atteri; ergo aliter morbos, aliter peccata nostra tulit. Quanquam & infirmitates corporis curando, curabat & morbos animi, ex quibus ille nasci consueverunt.

Obj. 1° Illi nulla potest fieri satisfactio, qui peccata gratis omnino remittit: atqui Deus sæpissimè dicitur in Scripturis gratìs condonare peccata, Matth. 18. v. 23. Ephes. 4. v. 32. &c.

R. dist. min. Deus gratìs condonat homini, C. sponsori hominis Christo, N. in Incarnatione misericordia & judicium obviant sibi. Gratìs condonat Deus, simul & acerbissimè plectit. Condonat homini, qui de se præstandæ satisfactioni impar est. At Filium suum, qui hominis vadem se fecit, plectit séverissimè. Duo hæc exertè tradit S. Paulus Rom. 3. his verbis: *Justificati gratìs per gratiam ipsius; per redemptionem quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem justitiæ suæ propter redemptionem delictorum.* Attende precor, *gratia;* en gratuita respectu nostri peccatorum remissio: *per redemptionem Christi;* en satisfactio à Christo facta, & exercitium divinæ justitiæ respectu ejusdem Christi.

Inst. 1°. Ut debitum gratis remitti dicatur, necesse est obligationem sola creditoris liberalitate solvi: atqui juxta responsionem nostram peccatum non ex sola liberalitate Dei remittitur, sed ex justitia severissimè in Christo punitur.

R. dist. maj. Ut débitum remitti dicatur gratis ex omni parte, necesse est, &c. C. ut gratis remitti dicatur ex parte nocentis solius, N. Porro S. Paulus in textu mox citato sic docet debitum nocenti gratis remissum esse, ut doceat simul illud per propitiatorium Christi sanguinem demissum fuisse.

Inst. 2°. Si Christus pro nobis abunde satisfecit, inanes sunt & superfluæ nostræ actiones satisfactoriæ; aut si necessariæ sunt, quâ ratione gratis remitti dicitur peccatum, & concedi vita æterna?

R. Neg. ant. & dico ex Christi satisfactione minime sequi aut inanes esse nostras actiones satisfactorias,

aut si necessariæ illæ sunt gratis non remitti peccata. Non 1. quia licet Christus omne pretium pro nobis solverit, ejus tamen merita (sic provide ordinante Deo) nobis non applicantur, nisi per bona nostra opera ex gratia Christi elicita: *Qui enim creavit te sine te,* inquit S. Augustinus, *non salvabit te sine te.* Quo sensu dicebat Apostolus, Coloss. 1. v. 24. *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne meâ.* Non 2. tùm quia gratia per quam remittitur peccatum, gratuita est; alioquin non esset gratia; tùm quia bona nostra opera nihil meriti habent à Christo sejuncta. Hinc etsi gloria & vita æterna tanquam merces ex justitia bonis nostris operibus concedatur, gratis tamen nonnunquam dari dicitur, in radice nimirum, quia gratia, per quam obtinetur, gratuita est, ac meritum nostrarum actionum à Christo est, in quo, & per quem vitam æternam assequimur.

Obj. 2°. Impossibilis est satisfactio respectu ipsius Christi; ergo. Prob. ant. 1°. quia injustum est innocentem plecti pro reo; talis enim substitutio unius pro alio, expresse à Deo improbatur; Deut. 24. v. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus; sed unusquisque pro peccato suo morietur.* & Ezech. c. 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur;* 2°. quia cùm Christus fuerit factus sub Lege, debuit pro se eam Legi obedientiam, quam in redemptionem nostram impendisse dicitur: hinc Matth. 3. v. 15. dicit sibi *implendam esse omnem justitiam*, ac venisse se non ut legem solveret, sed ut impleret: sed qui pro se debet aliquid, non potest pro alio illud ipsum solvere.

R. ad 1. neg. ant. ad 1. 2. dist. Injustum est plecti pro reo innocentem invitum, transeat: innocentem qui sponte pro reo vadem se constituerit, N. porro *oblatus est* pro nobis Christus, *quia ipse voluit. Nemo* inquit, *tollit* animam meam *à me*, &c.

Dixi, *transeat*: nec satis dixi: neque enim verum est substitutionem omnem & peccati alieni imputationem per Deum factam damnari. Nonne Exodi 20. v. 5. dicitur, *Deus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem*, & Threnorum 5. v. 7. *Patres nostri peccaverunt, & non sunt; & nos iniquitates eorum portavimus.* Nonne multa sunt in Scripturis hujus substitutionis & imputationis exempla? Ob factum Chami, execrationi subjicitur Canaan, Gen. 19. 26. ob factum Davidis, pereunt septuaginta hominum millia, II. Regum 24. v. 15. Quin & Matth.

23. v. 37. Christus Judæis interminatur pœnas eorum delictorum, quæ à suis majoribus tam longo ante tempore patrata fuerunt. Cùm igitur Deut. 24. Deus prohibet ne occidantur patres pro filiis, &c. legem hanc imponit Judicibus, ne forte cùm audirent Deum visitare peccata patrum in filiis, id sibi quoque licere arbitraretur; verùm legem hanc sibi non imponit Deus, qui potest unius pœnam in alium transferre, quia omnes peccatores sumus.

Ad 2. 2. neg. ant. seu nego Christum pro se debuisse Legi obedientiam: nihil enim ille peccaverat, ut pro se quidquam solveret. Et certe non alio titulo debuit Legi obedientiam, quàm quo debuit homo fieri; obedientia enim Legi debita fundatur in subjectione creaturæ ad Creatorem: atqui non pro se Verbum caro factum est, sed pro nobis; igitur nec pro se legem implevit, sed pro bono nostro, pro expiatione nostrorum delictorum.

Dici etiam posset, personam quidem privatam non posse pro alio solvere quod ipsa debet; at hoc posse personam publicam: ità Rex pro se & pro populo suo fœdera sancit. Christus autem est persona publica, & pro omni humano genere Deo devota: & ità si quid Deo debet propter suam naturam humanam, potest illud tùm pro se, tùm pro aliis solvere, licet diverso titulo: pro se solvit obedientiam, titulo subjectionis naturæ humanæ; pro aliis vero reddit, titulo redemptionis & satisfactionis pro alienis peccatis.

ARTICULUS III.

De perfectione satisfactionis Christi.

DUplex hìc emergit controversia. Prima cum Calvinianis, qui Christi satisfactionem adeo perfectam fuisse docent, nullus ut jam privatæ hominum satisfactioni locus supersit: etsi interim eandem Christi satisfactionem negent superabundantem fuisse, ne si quid in ea residui ac superexcedentis faterentur, Indulgentiarum doctrinam ipsis adeo invisam admittere cogerentur: de quo utroque capite dicemus in Tract. de Sacramento Pœnitentiæ. Secunda controversia est inter Catholicos, qui disputant inter se, an Christi satisfactio, licet de se perfecta, fuerit ad strictos juris apices, ac proin an fuerit ex propriis, ex indebitis, ad

alterum, &c. quæ, ut & alia quædam quæ ex æquo admittunt omnes, expediantur, sit

CONCLUSIO I. Satisfactio fuit voluntaria.

Prob. Qui oblatus est quia ipse voluit; qui animam suam posuit à se ipso, hujus satisfactio prorsùs voluntaria fuit: atqui Christus Isaiæ 53. 7. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. 10. 17. *Ego pono animam meam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso.*

Objectiones quæ hic proponi possent, discutiemus ubi de libertate Christi.

CONCLUSIO II. Satisfactio Christi fuit ad alterum.

Prob. Satisfactio Christi vel spectatur in ordine ad Patrem & Spiritum S. vel in ordine ad Verbum: atqui sub utroque respectu sufficiens ei competit *altereitas.* Et quidem 1°. quatenus ad Patrem & Spiritum S. refertur, est vere ad alterum, ut nemo ambigit, cùm alia sit Patris, alia Filii, alia Spiritûs S. persona; 2°. est & ad alterum, quatenus ad Filium terminatur: qui enim prout satisfecit, distinguebatur à Filio cui satisfecit, ille satis fuit alter à Filio: atqui Christus prout satisfecit, distinguebatur à Filio cui satisfecit. Christus enim ut humanâ naturâ constans distinguebatur à Filio, prout naturâ divinâ constanti: atqui Christus ut humanâ naturâ constans satisfecit Filio ut naturâ divinâ constanti. Filii enim hypostasis non satisfecit, sed tantùm nobilitavit actiones quibus Christus ut naturâ humanâ constans satisfecit; ergo.

Prob. 2°. Ut qui satisfacit, alter sit ab eo cui satisfacit, sufficit ut utriusque distincta sint jura & dominia, ac persona virtualiter duplex: atqui in Christo duplex est virtualiter persona, quatenus una Verbi hypostasis idem præstat quod duæ. Diversa item sunt dominia, quia diversæ sunt actiones, ut & voluntates, prout probavimus conclusione 3. & 4. ergo minor indubia est.

Prob. itaque major, nempe quod ea distinctio, dominiorum quidem realis, virtualis autem personarum, ad alternitatem sufficiat. Nam 1°. posset in Republica Magistratus supremus, qui ex ærario publico aliquam pecuniæ summam extraxisset in usus communes, ab omnibus postmodum pro rata portione ærario restituendam, posset, inquam, ut privatus debitam à se pecuniæ partem solvendo, sibi ut Reipublicæ Principi satisfacere: atqui ideo Magistratus ille, quatenus privatus, sibi quatenus homini publico satisfaceret, quia duplicem tunc virtualiter personam, duplexque nomen

sustineret; ergo ut quis sibi etiam satisfaciendo, alteri satisfacere censeatur, sufficit ut personam gerat virtualiter duplicem.

2°. Si Christus per impossibile peccasset, per blasphemiam, prout, nec sinè blasphemia, deliravit Calvinus, vere Deum totum offendisset; quippe qui trium personarum jus violasset injuriosè: atqui inter quos concipitur injuria, potest esse & justitia, ac proinde satisfactio; ergo.

Confirm. Si creatæ duæ naturæ supposito eidem unitæ forent, aliaque aliam mutilaret, ageret injustè; ergo ad justè vel injuste agendum sufficit absolutè naturarum distinctio.

Obj. Ex concessis ad satisfactionem requiruntur diversa dominia: atqui Christus non habet dominium à Verbi dominio distinctum. Siquidem dominium distinctum bona supponit distincta: atqui bona Christi à bonis Verbi distincta non sunt. Bona enim Christi satisfacientis sunt præcipue valor operum, quorum oblatione satisfecit Deo: atqui valor ille totus est Verbi, cui exhibenda est satisfactio. Valor quippe infinitus nisi à Verbo esse nequit; ergo.

R. ad 1. & 2. neg. min. Christus enim ut sic, dicit Filium Dei prout terminat naturam humanam, ejusque actiones dignificat: atqui Filius Dei ut naturam humanam terminans, in ea se subjiciens, ejusque actiones dignificans, habet aliquid quod nec habet Verbum nude sumptum, nec habere potest; ergo.

Ad 3. dist. minor. Valor ille totus est Verbi, cui exhibenda est satisfactio, nec est Verbi sub eo respectu sub quo ipsi exhibenda est satisfactio, C. & est Verbi sub eodem respectu, N. Siquidem valor ille est Verbi prout in humanitate se se exinanientis, humanasque actiones dignificantis: atqui non satisfit Verbo vel prout se exinanienti, vel prout actiones humanas dignificanti, bene vero quatenus simul cum Patre & Spiritu sancto naturam divinam terminat. Verbo enim, sicut & Patri, satisfit sub eo respectu sub quo offensum est: atqui Verbum non est offensum, ut humanam naturam terminans, sed ut Deus præcisè; ergo verè perfecta est quæ Verbo fit satisfactio, utpote quæ ei exhibeatur sub omni respectu, sub quo potest & debet exhiberi.

Conclusio III. Satisfactio Christi fuit ex bonis ejusdem Christi vere propriis.

Prob. Satisfacere ex propriis est satisfacere per ali-

quid quod sub solo satisfacientis dominio constitutum sit: atqui Christus per aliquid sub solo sui ipsius dominio constitutum satisfecit. Siquidem satisfactio Christi duo importavit, 1°. submissionem Verbi incarnati se se deprimentis; 2°. actiones satisfactorias humanitatis, prout ipsâ Verbi personalitate dignificatas: atqui & hæc Verbi incarnati submissio, & satisfactoriæ humanitatis operationes prout à Verbo dignificatæ, Christi solius, prout à ceteris personis distincti, propriæ erant.

Et quidem 1°. submissio Verbi ejusdem solius propria erat. Eatenus enim Verbum se submittebat, quatenus semetipsum exinaniebat formam servi accipiens, atque semetipsum humiliabat, factus obediens usque ad mortem: atqui hæc exinanitio Verbi, ejusdemque humiliatio, est aliquid eidem Verbo maxime proprium. Quod enim necessario supponit Incarnationem, quæ solius est Verbi, soli Verbo proprium est: atqui exinanitio isthæc & humiliatio necessario supponit Incarnationem; cùm repugnet personam divinam aliter quàm per Incarnationem humiliationi obnoxiam esse posse; ergo. *Philipp.* 2.

2°. Actiones satisfactoriæ Christi prout à Verbo dignificatæ, eidem quoque Christo propriæ erant. Quippe eò solùm actiones Hominis Dei, ejusque humanitas à Verbo dignificantur, quod ei uniuntur hypostatice: atqui humanitas, & quidquid actionis ab ipsa profluit, Verbo soli unitur hypostatice, non ceteris personis; quia solum Verbum caro factum est; ergo.

Obj. 1°. Ille non satisfecit ex propriis, qui satisfecit per actiones quæ erant sub dominio creditoris, id est, illius cui facienda erat satisfactio, Dei nimirum, seu totius Trinitatis: atqui universæ Christi actiones erant sub dominio creditoris, nempe Dei; erant, inquam, tum secundùm esse physicum, id est, quatenus extra nihil positæ; tum secundùm esse morale, seu quatenus liberæ; ergo.

R. dist. min. Actiones Christi materialiter & secundùm entitatem spectatæ, erant sub dominio totius Trinitatis, C. spectatæ quoad pretium & valorem, subd. quo ad valorem, prout derivatum à *principio quo*, C. quoad valorem omnem, eum etiam qui derivatus erat à *principio quod*, seu personâ Verbi, N. Itaque constat 1°. actiones Christi secundùm entitatem physicam spectatas, sub communi totius Trinitatis dominio fuis-

se; quia, utpote opera ad extra, erant à Deo conservante & concurrente. Constat 2°. easdem actiones, aliquem habuisse valorem qui totius erat Trinitatis: hujus erat generis valor derivatus tum à *principio quo* substantiali primario, nempe naturâ divinâ; tum à *principio quo* substantiali secundario, nimirum naturâ humanâ; tum à *principio quo* accidentali, seu gratiâ: unde non potuit Christus per hujusmodi valorem, sive infinitum, prout erat, quatenus à principio quo substantiali primario dimanabat, seu finitum, prout ab aliis duobus principiis derivabatur, satisfacere. At potuit satisfacere per valorem derivatum à *principio quod*, seu ab ipsa Verbi personalitate; quia valor ille non magis erat sub Patris & Spiritûs S. dominio, quàm ipsa Verbi personalitas, quæ Dominum suprà se nullum agnoscit. Porro, cùm de actione satisfactoriâ sermo est, non tam spectatur entitas illius, quæ se habet ut materia, quàm valor, qui se habet ut forma. Sic qui alteri nummos centum debet, potest, acceptâ ab eo marmoris glebâ, quam in elegantem statuam transformet, eidem satisfacere: quia rei quam accepit, valorem indidit quem non receperat.

Inst. Valor infinitus actionum Christi erat ab ipsa divinitate prout unitâ humanitati mediante Verbo: atqui divinitas est totius Trinitatis; ergo & à tota Trinitate erat valor ille.

R. dist. maj. Valor aliquis actionum Christi erat à Trinitate, C. valor omnis, N. Certissime enim cum Ysamberto contra Vasquem credimus, actiones Christi certum habuisse valorem à persona Verbi prout virtualiter distinctâ à divinitate. Et vero actiones Christi inde specialem accipiunt valorem, unde ejus humanitas specialem sortitur sanctitatem: atqui Christi humanitas specialem aliquam sortitur sanctitatem à persona Verbi, prout hæc distincta est ab essentia. Quod enim præcise & formaliter est sanctum, illud utique subjectum cui intime unitur, sanctificare debet: atqui personalitas Verbi præcise & formaliter est sancta; ideoque adoratione latriæ absolutâ colitur & adoratur, secundùm illud Præfationis Missæ de SS. Trinitate: *Ut .... & in personis proprietas, & in essentiâ unitas, & in majestate adoretur æqualitas*; ergo.

Obj. 2°. Christus satisfecit in quantùm homo: sed quidquid habet homo, est sub dominio Dei; ergo.

R. dist. Satisfecit in quantùm homo Deus, C. in quantùm homo duntaxat, N. Porro homo Deus ali-

quid habere debuit sibi proprium, nimirum valorem qui à personalitate sibi propriâ & independenti profluebat.

Conclusio IV. Satisfactio Christi fuit ex indebitis.

Prob. Nemo ea debet, quorum singulare adeo dominium habet, ut hæc sibi sint propria, non alterius: atqui actiones quibus satisfecit Christus, ità singulari ipsius dominio suberant, ut ipsi omnino propriæ forent. Neque verò, ut statim probatum est, Christus non satisfecit per actiones suas quoad entitatem spectatas, sed prout illæ valoris erant infiniti: atqui valor ille solius Christi proprius erat. Is enim valor vel spectatur ut radicalis, prout nempe in actionibus Christi satisfactoriis ipsa Verbi divini hypostasis includitur, vel ut derivatus, prout Christi actiones exercentur à supposito divino: atqui utroque sensu valor iste Christi proprius erat; cùm & Verbi hypostasis, quæ se se in forma servi humiliavit; & quidquid ab eadem hypostasi derivatur, ità pertineat ad Christum, ut nec ad Patrem, nec ad Spiritum S. pertineat; ergo.

Obj. 1°. Ille non satisfecit ex indebitis, qui omnes suas actiones debebat Deo, saltem titulo gratitudinis: atqui Christus, &c.

R. dist. min. Christus actiones suas Deo debebat ex titulo gratitudinis; debebat, inquam, quoad entitatem, C. debebat quâ parte valoris erant infiniti, subd. debebat improprie, quia nonnisi propter Deum operari poterat, sicut Deus quidquid ad extra facit, propter se ipsum operari debet, quia propter alium finem ultimum operari non potest, C. debebat proprie, N. Itaque id solum toti Trinitati debebat Christus, quod ab ea acceperat: atqui à tota Trinitate acceperat Christus actionum suarum entitatem, valorem vero à solâ Verbi personâ; ergo.

Inst. Deus pro beneficio infinito pretium infinitum exigere potest: atqui Deus, seu tota Trinitas, beneficium infinitum contulit Christo. Siquidem unio hypostatica Verbi cum humanitate est beneficium infinitum: atqui tota Trinitas unionis hujus beneficium contulit Christo. Hæc enim unio est opus ad extra; ac proin à tota Trinitate; ergo.

R. 1°. neg. min. Unio enim hypostatica, licet sit unio rei secundùm se infinitæ, nimirum Verbi, non est tamen penes recipiendi modum infinita. Sicut visio beatifica, etsi beneficium sit rei secundùm se infinitæ, non tamen est infinita participative, quia Deus non

videtur modo infinito. Et vero beneficium nihil est aliud quàm bonum alicui factum: atqui tametsi res data sit infinitâ simpliciter, haud tamen quod inde exurgit bonum est simpliciter infinitum; ergo proinde unio hypostatica in genere beneficii non habet æqualem cum Christi satisfactione infinitatem. In satisfactione enim attenditur tota dignitas personæ se se offerentis: atqui persona illa simpliciter est infinita, non item unionis hypostaticæ beneficium; ergo non potuit Deus pro beneficio illo pretium infinitum exigere.

R. 2°. neg. min. aliâ de causâ, quia nimirum etsi humanitas Christi est à tota Trinitate, unio tamen hypostatica in solum Verbum refundi potest. Solum enim Verbum terminat humanitatem: atqui unio hypostatica in illa humanitatis sustentatione consistit; ergo eadem unio solius Verbi proxime & immediate beneficium est. Est quidem à tota Trinitate remote, quia nisi creata fuisset humanitas, non potuisset uniri Verbo: verum remota hæc operatio gratitudinem infinitam non exigit. Sic quæ Regi nubit, etsi à Sacerdote, posito quod is sit matrimonii minister, habet quod nubat, haud tamen Sacerdoti supremam Reginæ dignitatem debet, nec ei proinde gratias regiæ dignitati pares rependere tenetur.

Obj. 2°. Ea satisfactio Deo debita erat, de qua Deus pro nutu disponere poterat; atqui de Christi satisfactione.... De iis enim actionibus pro nutu disponere poterat Deus, quas religionis titulo exigere poterat; atqui poterat Deus Christi actiones, mortem v. g. exigere titulo religionis, sicut ad Abraham filii sui mortem exegit: ut nempe sic profiteretur Christus Deum vitæ & mortis dominum esse; ergo.

R. ad 1. neg. min. Ideo quippe tota Trinitas de hominum actionibus disponere potest, quia eæ secundùm se totas sunt opus Trinitatis, quod proinde sub quocumque spectetur respectu, singulari Dei dominio subjacet: atqui Christi actiones non sunt totæ & sub omni respectu opus Trinitatis. Non enim sunt Trinitatis opus cùm spectantur formaliter, prout à Verbo personaliter sanctificatæ; ergo.

Ad 2. dist. Poterat Deus actiones Christi materialiter & entitative sumptas exigere, C. formaliter & prout valoris erant infiniti, N. sic enim nihil SS. Trinitati debent, sed soli Verbo, non præcise ut est secunda Trinitatis persona, cui, sicut & Patri & Spiritui S. satisfit, sed prout est terminans naturam huma-

nam, & per suas in ipsa demissiones satisfaciens.

Conclusio V. Satisfactio Christi fuit intrinsece æquivalens, imo & superabundans. Ità vulgo Thomistæ, quibus concinunt S. Bonaventura, Alensis, aliique contra Medinam, qui peccatum hominis vult magis infinitum fuisse, quàm Christi satisfactionem.

Prob. 1°. Vel satisfactio Christi fuit æquivalens intrinsece, seu ex natura sua; vel extrinsece solùm quatenus Deus ipsâ, licet offensæ multùm impari, contentus esse voluit, uti Modinæ placet: atqui posterior hæc opinio nec fidei consentanea satis, nec pia nec probabilis videtur, ut bene notat Suarez in 3. p. disp. 4. sect. 4. Et quidem 1°. non satis congruit fidei. Sic enim habet Apostolus Rom. 5. 12. & seq. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, per peccatum mors.... Sed non sicut delictum ità & donum; si enim unius delicto mortui sunt, multo magis gratia Dei in plures abundavit..... Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia.* Unde sic; ex Apostolo Christi satisfactio majorem vim habet ad reparandum genus humanum, quàm Adæ noxa ad ipsum perdendum: atqui Adæ noxa vim perdendo humano generi sufficientem & condignam, si ità loqui fas est, ex propria sua indignitate habuit, non autem ex intrinseca Dei constitutione, per quam suppleverit Deus in Adæ delicto, id quod eidem ad mundi totius damnationem necessarium fuisset; ergo à pari non ex intrinseca Dei constitutione, sed ex ipsa rei naturâ habuit satisfactio Christi vim redemptioni humanæ parem, &c.

Concinit id Isaïæ 40. *Dimissa est iniquitas illius, Jerusalem; suscepit de manu Domini duplicia pro peccatis suis*: atqui si valor operum Domini esset ab extrinseco, minus proprie diceretur Deo duplicia solvisse; cùm ne simplum quidem rependisset.

Confirm. 2°. ex Apost. Heb. 4. ubi sic: *Impossibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata; ideo ingrediens mundum,* Christus *dixit*: *Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Ex iis sic arguimus: Ex S. Paulo, impossibile erat ut veteribus sacrificiis deleretur peccatum: atqui si Christi redemptio ex sola Dei constitutione valorem delendis hominum peccatis parem habuit, jam corruit illa hæc Apostoli ratiocinatio; quia revera possibile fuit ut Deus vetera sacrificia acceptaret sicut & Christi sacrificium, licet de se hominum redemptioni impar, acceptavit; & acceptando par fecit & æquivalens; ergo.

Prob. 2°. ex Clementina *Unigenitus* 2. *De pœnitent. & remiss.* ubi hæc tradit Summus Pontifex: Christus *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse.* Addit hinc comparatum Ecclesiæ fuisse thesaurum infinitum, de cujus diminutione propter infinita Christi merita formidandum non sit: atqui hic Clemens V. Infinitatem satisfactionum Christi, non à gratuita Dei supplentis acceptatione, sed à sola unione hypostaticâ repetit; ergo.

Et certe eo loci Pontifex tribuit aliquid Christi satisfactioni, quod nullius puri hominis satisfactioni competere possit: fundat enim valorem ejus in unione hypostatica, quæ excluditur à quocumque puro homine: atqui si supposuisset Christi satisfactionem nonnisi à Dei acceptatione suam habuisse condignitatem, jam nihil tribuisset Christo singulare; quandoquidem, ut adversarii volunt, poterat Deus puri hominis, justi tamen, actiones ad satisfactionem acceptare.

Prob. 4°. ratione theologicâ, eâque duplici. I. de fide est satisfactionem Christi fuisse superabundantem: atqui si Christi opera non habent ex se æqualem pro peccatis satisfaciendi valorem, jam non satis concipitur quomodo Christi satisfactio plena fuerit, nedum superabundans. Quod enim valorem habet à principio nullum valorem influente, nec superabundans est, nec plenum in genere valoris: atqui per adversarios satisfactio Christi valorem tantum habet à Dei acceptatione, quæ, utpote eidem satisfactioni extrinseca, nullum in eam valorem influere potest; ergo.

II. Illius satisfactio fuit intrinsece æquivalens, qui injuriam Deo illatam honore ad minimum, & quidem intrinsecùs æquali compensavit: atqui Christus.... Si quidem honos, qui principative & intrinsece infinitus est, ad minimum æqualis est offensæ, quæ nonnisi objective est infinita: atqui honos Deo per Christum exhibitus..... Vel enim honor ille spectatur radicaliter, vel prout est derivatus: atqui utroque eo sensu infinitus est.

Et quidem 1°. si spectetur radicaliter. Ille enim honos dicitur radicalis, qui est à persona, non tantùm prout actiones suas, sed & prout se ipsam offert in pretium: atqui hujusmodi honos necessario est intrinsece infinitus, cùm persona quæ se se ipsam offert in pretium, est intrinsece infinita. Talis porro est perso-

na Verbi, quæ & dubio procul infinita est, & se ipsam Patri obtulit, juxta citatos pluries Scripturæ textus: *Humiliavit semetipsum, tradidit semetipsum, exinanivit, factus est obediens, oblatus est, &c.*

2°. Honos, qui derivatus dicitur, est etiam infinitus. Scilicet enim honos, seu operum valor, qui necessario sequitur conditionem principii à quo profluit, infinitus est, si principium à quo profluit, sit infinitum: atqui valor derivatus necessario sequitur... Neque enim limitatur, vel à Verbo ipso, cùm Verbum nec id velit, nec velle possit, ut quæ à principio infinito profluunt, ab eodem non dignificentur infinite; vel ab ipsa humanitate licet finita. Quippe tunc tantùm aliquid à subjecto limitatur, cùm vel producitur ab eo in genere causæ materialis, (id est, quasi educitur è materia subjecti;) vel in eo recipitur ut accidens physicum: atqui neutro sensu limitari potest valor operum Christi ab humanitate ipsius: cùm valor non sit aliquid physici, quod producatur à creatura, vel in ea recipiatur physice; seu morale aliquid, quod unice pendet à principio humanitatem terminante, adeoque & actiones ejus dignificante; ergo.

Obj. 1°. Valor radicalis quem admittimus, supponit demissionem personæ Verbi ipsius: atqui Verbum se se submittere non potuit; humiliatio enim quævis personæ divinæ repugnat; ergo.

R. dist. min. Non potuit se submittere seorsum ab humanitate, C. in humanitate, N. namque ex Apost. Christus, *cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum:* atqui istud, *semetipsum,* non dicit suam humanitatem, suum corpus, suam animam, sed personam suam in humanitate subsistentem; ergo. *Phil.* 2.

Inst. Si persona Dei non se submiserit per se solam, sed ratione humanitatis, jam satisfactio fuit impar offensæ; ergo. Prob. subsump. Ut satisfactio sit æqualis offensæ, debet esse à Deo ut tantam habente dignitem prout est satisfaciens, quantam habet dignitatem prout est offensus: atqui satisfactio quæ fit à Verbo per humanitatem, non tantam habet dignitatem, quantam habet Deus prout est offensus: neque enim tanti est Deus ut homo, quanti Deus reduplicative ut Deus; ergo.

R. ad 1. neg. subsump. ad 2. neg. maj. ad sensum objectionis: nam debet quidem satisfactio esse à persona quæ edat actiones tanti valoris, quantæ indignitatis est offensa, non autem tanti valoris, quanti

est persona læsa: alioqui ad reparationem injuriæ secundùm entitatem finitæ requireretur in satisfaciente valor physice infinitus. In hoc igitur peccat tota hæc argumentatio, quod Deum satisfacientem cum Deo offenso comparans, ex una parte Deum & satisfactionem Deo minorem explicitè repræsentet, ex alia vero parte Deum offensum ità repræsentet, ut peccatum per quod offensus est, distinctè non exprimat; quod si clare exprimeret, jam corrueret difficultas. Sicut enim persona ex utraque parte ejusdem est dignitatis, ità satisfactio hinc tantæ est ad minus dignitatis, quantæ illinc est indignitatis malitia culpæ. Et certè Deus satisfacit ut Deus & homo, porro Deus ut Deus & homo nihil habet infra Deum ut Deum; ergo.

Obj. 2°. Si valor operum Christi esset intrinsecè infinitus, excederet potentiam Dei in præmiando: atqui non excedit. Minor patet, quía infinitum excedi non potest. Prob. itaque major. Illud divinam excedit omnipotentiam, cui Deus nullum æquale præmium rependere potest: atqui Deus valori operum qui infinitus sit, nullum æquale præmium rependere potest. Visio enim beatifica, cum gratiis quibuscumque eidem annexis, non sunt aliquid valori infinito par, cùm omnia hæc subjectivè finita sint; ergo.

R. ad 1. neg. maj. ad 2. dist. maj. Illud excederet omnipotentiam Dei, cui Deus non potest rependere præmium æquale, ad quod ordinem dicat satisfactio Christi, C. æquale, hoc est tanti valoris, subd. cui non potest illud Deus rependere ex impotentia, C. ex defectu capacitatis creaturæ, N. Sic distinctâ min. neg. conseq. Itaque nihil potest Deus rependere creaturæ, quod tanti sit valoris ac satisfactio Christi; verùm id non oritur ex impotentia, quasi sit aliquis ulterior præmii terminus, satisfactioni Christi æquivalens, quem Deus non possit attingere; sed ex defectu capacitatis in creatura, quæ infinitum in se recipere non potest. Et vero alia est ratio satisfactionis, alia præmii. Satisfactio est aliquid morale desumptum ab habitudine ad personam increatam, ideoque simpliciter infinitum, cùm persona est infinita: at vero præmium est res physica & creata; quod autem physicè creatum est, infinitum esse nequit.

Conclusio VI. Satisfactio Christi pactum supponit.

Prob. Illius satisfactio pactum supponit, quam qui acceptat, de jure suo cedit; ubi enim quis de jure suo cedit acceptando, necessario non acceptat; ac proinde

non nisi consequenter ad pactum suum acceptat: atqui Deus satisfactionem Christi acceptando de jure suo cessit. Siquidem Deus à Christo pœnas pro peccato alieno repetens, exercuit justitiæ vindicativæ actum circa personam quam poterat non plectere; non exercuit vero circa eam, quam, utpotè peccatricem plectere potuisset: unde Christus languores nostros tulisse dicitur Isaïæ 53. sed qui justitiæ vindicativæ actum, seu pœnas ubi debitas in alterum transfert, cedit jure suo. Vel enim cedit jure, vel tenetur ad hanc justitiæ seu pœnarum translationem: atqui nullus Judex pœnas sonti debitas in alium à sonte transferre tenetur: ut quotidianis humanæ justitiæ pœnis compertum est; ergo.

Confirm, 1°. non magis compensationem hanc tenetur Deus admittere, quàm quilibet homo rem suam pretio æquivalenti sibi oblato tenetur in alium transferre: atqui nemo tenetur rem suam.... Idque patet satis superque ex historia Nabot, qui vineam suam, etsi meliori fundo compensandam, denegavit Regi Achab; ergo.

Confirm. 2°. Tanta est Dei libertas in remissione peccati, quanta Christi in ordinatione satisfactionis: atqui in hypothesi nostræ contrariâ Deus non æquè circa peccati remissionem liber fuisset, ac Christus circa ordinationem satisfactionis. Qui enim peccati remissam necessario indulsit, dum Christus satisfactionem non præstabat necessario, ille non tam liber fuisset.... atqui 1°. Deus ex hypothesi necessario veniam concessisset peccatori, quandoquidem oblatam sibi satisfactionem acceptasset necessario; 2°. Christus neque necessario satisfecit, neque satisfactionem suam ordinavit necessario, cùm pro aliis satisfecerit pro nutu, pro aliis nequaquam, putà pro dæmonibus; ergo.

Obj. cum Vasque disp. 5. cap. 6. Christus strictè satisfecit pro *Anteris*, id est Patriarchis qui ante Incarnationem vixerunt; ii enim omnes *fide* salutem consecuti sunt, ut docet Apostolus Hebr. 11. atqui si requiratur pactum, Christus non satisfecit pro Anteris. Christus enim, id est Homo-Deus nullum pro iis pactum cum Deo inire potuit, utpote nondum existens; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 2. dist. ant. Christus utpote nondum existens, nullum cum Deo pro Anterorum salute pactum inire potuit actu, C. non potuit in præsentia Dei, N. Tam enim ad pactum, de quo nunc a-

gitur, satisfuit prævisus ut certo futurus Christi consensus, quàm ad Patriarcharum redemptionem satisfuerit mors ejus infallibiliter futura: atqui ad redemptionem.... atque hinc Apocal. 13. dicitur *Agnus occisus ab origine mundi;* quatenus sanguis ab eo postmodum in cruce effusus, gratias antiquis Patribus concessas promeruit; ergo.

Obj. 2°. Satisfactio Christi fuit de rigore justitiæ: atqui jam talis non fuit, si potuit non acceptari. Ea enim satisfactio non est de rigore justitiæ, quam qui ratam habet, rigide & severe non se gessit: sed qui Christi satisfactionem ratam habuit Deus, non se gessit rigidè. Non enim gerit se rigidè, qui jure suo gratìs cedit: sed Deus benignè acceptans, quod poterat non acceptare, gratìs cessit jure suo; ergo.

R. ad 1. neg. min. Eatenus enim per pactum minui potest strictæ justitiæ rigor, quatenus pactum illud intrinsecum est, seu ipsam ingreditur substantiam pretii; quod, etsi de se impar & insufficiens, per acceptationem mercedi proportionatam facit: atqui pactum Dei cum Christo non est satisfactioni Christi intrinsecum, seu non supplet in meritis Christi aliquid quod ipsis desit, cùm ea superabundent; sed est mere extrinsecum, quatenus importat tantùm conventionem de acceptando pretio rei in præmium rependendæ condignissimo; ergo.

Ad 2. R. 1°. transeat major: cùm enim satisfactionis condignitas à persona satisfaciente deducatur, non ab ea cui fit satis, meliùs diceretur: ea satisfactio non fuit rigorosæ justitiæ, quàm qui solvit, non id omne solvit quod debebat.

R. 2°. dist. maj. Ea satisfactio non fuit rigorosæ justitiæ, quam qui ratam habuit non se gessit rigorosè adversùs eum qui satisfaciebat, id est supplevit in ejus meritis aliquid iisdem deficiens, C. non se gessit rigorose adversus eos pro quibus sibi satisfiebat, hoc est acceptavit personam quam poterat non acceptare, N. Porro in eo solùm Deus haud rigorose se gessit, quod cùm sontes plectere posset, insontis personam eorum loco acceptavit.

ARTICULUS QUARTUS.

De merito Christi.

QUæstioni de Christi satisfactione affinis est altera de merito ipsius. Est autem meritum generatim,

Operis dignitas ac valor in ordine ad præmium. Duplex distinguitur, unum de condigno, quod est opus bonum cui ex justitia merces debetur: aliud de congruo, & illud est, cui ex quâdam duntaxât decentiâ & congruitate præmium debetur.

In actionibus quibus Christus Deo pro nobis satisfecit, distingui debent entitas, valor, satisfactio & meritum. Entitas physica actionis est efficienter seu elicitive ab humana naturâ; valor à persona Verbi unitâ cum humanitate; satisfactio est ab homine Deo, solvente quod divinæ justitiæ debebamus; meritum à Christo, cui Deus justam mercedem retribuit. Ad meritum, ut alibi fusiùs dicam, requiritur status viatoris, sanctitas in operante, libertas in opere, & promissio in remunerante. His præsuppositis, quæritur, 1°. an Christus meritus fuerit; 2°. quando; 3°. per quos actus; 4°. quibus personis; 5°. quæ quidem meritus fuerit.

Conclusio I. Christus vere meritus est per eas ipsas actiones, per quas Deo pro nobis satisfecit.

Prob. 1°. iis omnibus Scripturæ testimoniis, quibus hactenus demonstratum est Christum pro nobis satisfecisse.

Prob. 2°. quia nulla ex conditionibus mox recensitis ad merendum Christo defuit. Non status viatoris qui ad terminum tendit. Jerem. 14. 2. dicitur Christus *viator*, & Lucæ 24. *Oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam*: Gloria igitur terminus & præmium fuit, ad quod tendebat Christus, dum erat in via, seu dum mortalem vitam degebat. Non sanctitas. Lucæ 1. *Quod nascitur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Non operis dignitas. *Empti estis pretio magno.* I. Cor. 6. Non libertas in opere Isaïæ 53. *Oblatus est quia voluit.* Non promissio in remunerante. Psalm. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Isaïæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.*

Prob. 3°. ex Concilio Trid. Sess. 6. cap. 7. ubi Christus appellatur nostræ justificationis causa meritoria. *T.* 14. *Concil.* *p.* 759.

Dices: Christus etiam dum degebat in terris comprehensor erat; ergo tanquam viator mereri non potuit.

R. Christum simul & comprehensorem & viatorem fuisse: comprehensor fuit tanquam Deo intuitive fruens; viator tanquam nondum adeptus accidentalem

nominis gloriam, quam post suam à mortuis suscitationem obtinuit.

Conclusio II. Christus meruit à primo conceptionis instanti, ad extremum vitæ suæ.

Prob. ex Hebr. 10. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi, Ecce venio....ut faciam, Deus, voluntatem tuam... in qua voluntate*, pergit Apostolus, v. 11. *sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel*: atqui per ingressum in mundum, intelligi debet primum illud instans, quo persona Verbi in utero Virginis humanitati hypostaticè conjuncta fuit. Siquidem in hoc primo instanti, filius Dei *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*: atqui exinanitio hæc meritoria fuit; cùm Christus vel in ipso primo conceptionis suæ instanti cognitione ac libertate præditus adeoque & meriti capax fuerit, utpote jam vir & maturus, juxta illud Jeremiæ 31. 22. *Fœmina circumdabit virum.*

Obj. 1°. Christus meritus est per vulnus, quo ipsius latus post mortem apertum est, siquidem ex eo vulnere nostra Sacramenta eorumque vim & efficaciam fluxisse asserunt SS. Leo, Ambrosius &c. Ergo Christus etiam post mortem meritus est.

R. neg. ant. Non enim meruit Christus præcise per vulnus quod non sensit, sed per acceptationem ejus antea à se libere factam. Neque ex eo vulnere Sacramentorum nostrorum vis fluxit efficienter, sed repræsentative, quatenus mirabilis illa sanguinis & aquæ effusio repræsentavit munditiem nostram, atque etiam efficaciam Sacramentorum novæ Legis. Sic etiam Rom. 4. v. 25. Christus traditus esse dicitur propter *delicta nostra*, & resurrexisse *propter justificationem nostram*: non quod ejus resurrectio causa fuerit meritoria nostræ justificationis, sed quia repræsentabat nostram resurrectionem spiritualem ad vitam gratiæ.

Obj. 2°. Christus sedens in cælo quotidie *interpellat*, seu orat *pro nobis*, ex Rom. 8. v. 34. ergo meretur.

R. neg. conseq. Christus enim à morte redivivus orando nihil de novo meretur, sed tantùm merita sua Patri æterno pro nobis offert, nobisque applicat in finem salutis æternæ.

Conclusio III. Christus meruit per omnes actus amoris Dei, quos ex scientia infusa, non vero per eos quos ex beatifica visione eliciebat. Pariter meruit per actus obedientiæ; humilitatis, ceterarumque virtutum moralium.

Prob. 1. pars: Meruit Christus per actus liberos, bonos, Deo gratos & acceptos: atqui tales erant actus dilectionis Dei ex scientia infusa, imo ipsa caritas est principium & forma omnis meriti.

Prob. 2. pars: Amor ex beatifica visione profluens, nec liber est, nec est à viatore, sed à comprehensore: atqui ad meritum requiritur libertas & conditio viatoris; ergo.

Tertia pars ex mox dictis sequitur. Actus quippe illi obedientiæ, humilitatis, Legis observantiæ, &c. boni erant & liberi: quanquam enim, supposito mandato Patris de subeunda morte, non potuerit Filius non obtemperare; quia tamen mandatum illud, quod, ut infrà dicemus, conditionatum erat, libere Filius acceptavit, idcirco meritoria fuit ejus obedientia.

Conclusio IV. Christus sibi meruit gloriam corporis, nominis exaltationem, adorationem Gentium, Ecclesiæ suæ splendorem, diffusionem, &c.

Prob. ex Scriptura. Luc. 24. v. 26. generatim de Christo dicitur: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam?* Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum... Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.*

Gloriam hanc à Patre postulabat Christus, Joan. 17. v. 4. *Ego*, aïebat, *te clarificavi super terram: opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate quam habui priùs quàm mundus esset, apud te.*

Nec dicas gloriam corporis, ac nominis exaltationem Christo debitam fuisse titulo unionis hypostaticæ, seu Filii Dei naturalis. Nam 1°. gloria hæc non statim concessa, sed quasi suspensa fuit, ob officium Redemptoris quod implere Christus debebat, nec implere potuisset, nisi doloribus ac ipsi etiam morti fuisset obnoxius. 2°. Voluit Christus proprii sanguinis pretio mereri, quod sibi jure nativitatis debitum erat.

Non tamen proprie Christus meruit gratiam & gloriam, quâ statim à primo conceptionis instanti anima ipsius cumulata fuit. Ratio est, quia hæc Christo fuêre principium meriti; porro principium meriti non cadit sub meritum.

Conclusio V. Christus ea omnia gratiæ cælestis do-

na, quæ vel antecedunt vel subsequuntur justificationem, nobis abunde promeritus est.

Prob. ex Ephes. 1. 3. *qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati.* Et v. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum secundum divitias gratiæ ejus.* Hæc apud omnes adeo indubitata sunt, ut fusiori probatione non indigeant.

Quæres 1°. an gratia primo parenti, & Angelis in creatione concessa, fuerit ex meritis Christi.

R. negative: quia decretum Incarnationis posterius fuit & Adami lapsu, & Angelorum creatione: quapropter gratia illis in primo ortu concessa fuit ex pura Dei liberalitate, nec usquam Christus Angelorum, sicut hominum Servator dictus fuit: Hebr. 2. v. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Quæres 2°. an Christus ad inferos descendens impios omnes liberaverit; an eos solùm qui in veteri Testamento sancti extitêre.

R. Solos pios liberatos fuisse, non alios secundùm id Ecclesiast. 24. 45. *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & illuminabo omnes sperantes in Domino.*

QUÆSTIO SEXTA.

De causa Incarnationis.

CIrca efficientem Incarnationis causam nulla hic movetur quæstio: certum enim est Incarnationem, prout est opus Dei externum, opus esse totius SS. Trinitatis; quantùm vero ad terminationem humanitatis, esse à sola personalitate Verbi, humanæ personalitatis vices supplente. Itaque de causâ duntaxat finali seu motivâ Incarnationis, & de causâ ejusdem meritoriâ hic nobis agendum.

ARTICULUS PRIMUS.

De causa finali Incarnationis.

TOta quæ hic movetur quæstio, in eo est an Adamo non peccante venturus fuisset Christus. Ubi observa non inquiri, utrùm in alio rerum ordine, ac virtute alterius decreti, venisset Christus, si Adam aut

ejus posteri non peccassent; quis enim id certo scire potest? Quæstio igitur in eo tota est, utrùm in præsenti rerum ordine, ac virtute præsentis decreti, redemptio humani generis ità sit motivum totale Incarnationis, ut si Adam non peccasset, nec homo redimendus foret à peccato, Christus non venisset. Affirmat S. Thomas, & cum ipso major pars Theologorum. Negant Scotus cum suis, Albertus magnus, Catharinus, Suarez, Ysambertus. Hi omnes docent, Deum ante res omnes destinasse Filii sui Incarnationem faciendam eo meliori modo quo expediret bono Universi, maxime vero humani generis; ac consequenter, etiam Adamo non peccante venturum Christum, non quidem in carne passibili, & tanquam redemptorem, sed in carne impassibili, tanquam doctorem, rectorem ac pastorem hominum: post peccatum vero eundem venturum in carne passibili, & tanquam mediatorem. Sit

Conclusio. Motivum totale Incarnationis fuit humani generis redemptio: unde si Adam non peccasset, Christus non venisset.

Prob. 1°. ex Scripturis, quæ non aliud assignant Incarnationis motivum. Lucæ 19. *Venit Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* Galat. 4. *Misit Deus filium suum... ut eos, qui sub lege erant, redimeret.* I. Joan. 3. *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera diaboli.* Si *in* hoc apparuit; ergo hoc sublato non apparuisset.

Prob. 2°. ex SS. Patribus; e Græcis, S. Irenæus, *Pag.*
L. 5. c. 14. *Si non haberet caro salvari. nequaquam Ver-* 310.
bum Dei caro factum esset. S. Athanasius, Orat. contra *v.* 1.
Arianos. *Verbum nequaquam homo factus esset, nisi* *T.* 1. *p.*
causa fuisset hominum necessitas. S. Greg. Naz. Orat. 54. D.
36. *Quæ*, inquit, *humanitatis à Deo propter nos susce-* *T.* 1. *p.*
ptæ causa extitit, profecto ut nobis salus pararetur. 578.
Quid enim aliud causæ afferri possit? B. C.

E Latinis, S. Ambrosius L. de Incarnatione, c. 6. *T.* 1.
Quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro, quæ pecca- *p.* 716.
verat, per se redimeretur? S. Augustinus serm. 174. a- B. C.
liàs 8. de verbis Apost. *Si homo non periisset, filius* *T.* 5. *p.*
hominis non venisset. Et Serm. 175. *Nulla causa fuit* 831. B.
veniendi Christo Domino, nisi peccatores salvos facere. *Ib. p.*
Tolle morbos, tolle vulnera; nulla est causa medicinæ: 835. C.
si venit de cœlo magnus medicus, magnus per totum orbem jacebat ægrotus: atqui in his omnibus conclusio nostra diserte docetur; ergo.

Ad cumulum accedit hæc publica Ecclefiæ totius in Symbolo Nicæno professio: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus est.*

Obj. 1°. Qui ante omnes creaturas intentus est & à Deo prædestinatus, non fuit decretus propter peccatum creaturæ, quæ jam tum decreta non erat: atqui Christus... Prob. min. 1°. ex Prov. 8. v. 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; 2. Coloff. 1. v. 15. de Christo dicitur, *Qui est primogenitus omnis creaturæ*; ergo.

R. ad 1. neg. min. ad 1. 2. dist. Christus dicitur *initium viarum Domini*, ratione suæ æternæ generationis, C. ratione Nativitatis temporalis, jam decretæ, N. alioqui enim dicendum foret Christum etiam quoad humanitatem suam actu extitisse ante creatum mundum: eodem enim capite v. 25. Sapientia de se ipsa aït; *Ante colles ego parturiebar... Quando præparabat cœlos, aderam: cum eo eram cuncta componens, &c.* id autem nemo admiserit. Ceterùm observat Eusebius, Lib. 3. Ecclesiasticæ Theologiæ, c. 2. mendum irrepsisse in textum 70. Interpretum incuriâ exscriptoris, qui loco, ἔκτησε, per eta, ac significat, *possedit*, posuit ἔκτισε, per ïota, & significat, *creavit*. Sic ex hebræo emendant S. Hieronymus, Epist. 139. S. Basilius, L. 2. & S. Gregorius Nyssenus, L. 1. contra Eunomium; S. Epiphanius, heresi 69. n. 25.

Ad 2. dist. Christus dicitur *primogenitus omnis creaturæ*, ratione divinitatis, C. humanitatis, subdist. primogenitus honore ac dignitate, C. tempore & ordine, N. Prima solutio est S. Ambrosii L. 1. de fide c.

T. 2. p. 435. A. 7. *Primogenitus*, inquit, *non primo creatus; & genitus pro natura, & primus pro perpetuitate credatur*, quia nemo ante illum genitus. Secunda solutio est S.

T. 5. p. 1070. Hieronymi, in caput 1. Ep. ad Coloff. *Primogenitus*, inquit, *secundum assumpti hominis formam, non tempore, sed honore*; juxta illud Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israël.* Nempe Scriptura solet viros merito præcellentes aut singulari dilectione charos, primogenitos nuncupare. Ità de Davide dicit Deus, Psalm. 88. v. 28. *Primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ.*

Inst. Qui caput est non hominum modo, sed & Angelorum, primogenitus est creaturarum etiam in ordine decreti: atqui Christus est caput.... Prob. min.

ex Ephes. 1. ubi sic: *Omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam*, unde Coloss. 1. dicitur pacificasse *per sanguinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*; ergo.

R. Christum caput quidem esse tùm hominum tùm Angelorum, at diversâ ratione. Caput est hominum, & ratione gratiæ essentialis, quam ipsis impertitur eos redimendo, & ratione præcellentiæ & autoritatis; Angelorum vero caput est, ratione præcellentiæ ac potestatis quam in eos exercet, ratione etiam influxûs gratiæ, non quidem essentialis, quam non ex meritis Christi, sed ex unâ Dei liberalitate habuerunt, sed gratiæ accidentalis: quæ consistit tùm in revelatione multorum mysteriorum, ac præsertim Incarnationis, tùm in gaudio quodam accidentali quo fruuntur illi ex salute nostrâ per Christum factâ. Unde

Ad 1. ex c. 1. Ephes. dist. Christus est caput supra omnem Ecclesiam hominum, quantùm ad influxum gratiæ essentialis, supposito peccato & decreto reparationis humanæ, C. est caput supra Ecclesiam Angelorum, subdist. quantùm ad influxum gratiæ accidentalis, C. essentialis, N. *Nusquam enim* Christus *Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Ad 2. ex c. 1. ad Coloss. dico Christum pacificasse & instaurasse ea quæ in Cælis & in terris sunt, tùm quia ruinas Angelorum ex hominibus supplevit, tùm quia nos Angelis reconciliavit, justificans nos à peccato ratione cujus illis infensi eramus, & illi nobis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De causa meritoria Incarnationis.

SEnsus quæstionis est an Incarnationem meruerint seu ipsa Christi humanitas in priori ad suam cum Verbo unionem; seu suspiriis suis veteres Patriarchæ, seu ipsa B. Virgo. Quâ de re sit

Conclusio I. Nec humanitas Christi in priori naturæ instanti ad unionem, nec Christus ipse hypostaticam unionem meruit.

Prob. Quod divinæ liberalitati unice tribuitur, non est meriti præmium: atqui Incarnatio in Scripturis unice tribuitur divinæ liberalitati. Joan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Ad Titum. 3. v. 4. *Benignitas & humanitas apparuit Sal-*

vatoris nostri Dei; non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.

T. 10. p. 109. Prob. 2°. ex Augustino L. de prædest. SS. cap. 15. ubi sic: *Respondeatur, quæso. Ille homo, ut à Verbo in unitatem personæ assumptus Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod ejus bonum qualecumque, præcessit? Quid egit ante, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* quæ verba thesim nostram docent & probant.

Prob. 3°. ratione: & quidem 1°. humanitas in priori ad unionem, unionem hanc mereri non potuit. Tum quia unio hypostatica est res infiniti pretii; atqui nulla humanitatis opera, utpote finita, rem infiniti pretii condigne mereri potuissent: tum quia ad meritum requiritur tempus merendi; atqui humanitas, ut quæ Verbo in primo formationis suæ instanti unita fuerit, nullum tempus merendi; ergo.

2°. Christum per opera unionem subsequentia haud eam meruisse constat: 1°. quia, ut ait S. Thomas, principium omnis meriti non cadit sub meritum; aliàs, idem esset meritum & præmium, causa & effectus; adeoque idem seipso prius & posterius: atqui unio hypostatica in Christo est principium & radix omnis meriti; 2°. quod supponit aliquid jam existens, non est causa meritoria ut existat: atqui actus meritorius unionis hypostaticæ, illam jam supponeret. Ut enim actus aliquis sit meritorius unionis hypostaticæ, debet esse infiniti valoris: atqui valor ille infinitus non habetur nisi ex hypostatica unione; ergo illam supponeret.

Obj, Apocal. 5. de Christo dicitur, *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divinitatem*: sed qui meruit divinitatem, meruit unionem hypostaticam.

Confirm. ex Psal. 44. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*: atqui unctio illa est ipsamet unio divinitatis cum humanitate.

R. ad 1. neg. min. & dico divinitatem eo loci usurpari pro manifestatione divinitatis; hoc est, pro gloria æterna quæ ex cultu hominum in Deum resultat, de qua dicit S. Paulus, Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum.... propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.*

Ad 2. sensus est, Christum unctum fuisse gratiâ & divinitate ut diligeret justitiam; ità ut dilectio justitiæ sit finis unctionis, non ipsius causa meritoria. Par-

ticula ergo *propterea*, ibi idem significat, ac *in hunc finem, ad hoc;* nec præteritum tempus spectat, sed futurum.

Conclusio II. Patriarchæ, ceterique veteris Testamenti Patres non meruerunt de condigno substantiam Incarnationis: aliquas tamen ejus circumstantias de congruo meruisse videntur.

Prob. 1. pars, tum quia omne meritum humanum ex Christo vim & efficaciam trahit: quod autem Christum supponit, Christum non meretur; tum quia quodcumque meritum puræ creaturæ ex quâcumque gratiâ supernaturali elicitum, non satis est proportionatum cum unione hypostaticâ: hæc enim infiniti pretii ac valoris est, omne autem meritum humanum est finitum.

Prob. 2. pars: Abraham enim suâ promptâ obedientiâ hanc gratiam meruit, ut ex semine suo Messias nasceretur, Gen. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Daniel quoque suis desideriis meruit contrahi tempus adventûs Messiæ, de quo suprà. Meritum porro illud de congruo duntaxat fuit, non de condigno; quia nullum inter Deum & homines pactum intercessit.

Conclusio III. Beata Virgo de condigno meruit illum sanctitatis gradum, quo posito electa est in matrem Dei: ipsam vero maternitatem non meruit de condigno, imo nec de congruo rigoroso.

Prob. 1. pars ex judicio Ecclesiæ, quæ post Patres, præcipue vero Hieronymum, Epist. 22. Ambrosium, Lib. de Virgin. & alios, publicis in precibus declarat B. Virginem meruisse, ut *dignum filii Dei habitaculum fieret.*

Et vero conditiones ad meritum de condigno hic omnes congruunt: sanctitas in operante, in opere dignitas & libertas, in remunerante promissio.

Prob. 2. pars: ad meritum de condigno requiritur & promissio ex parte remunerantis, & in opere condignitas cum præmio: atqui 1°. non promissa est B. Virgini divina maternitas; cùm, Angelo tantam sibi dignitatem annuntiante, turbata fuerit Maria, timueritque ne tam insignis favor cum emisso ab ipsa castitatis voto conciliari non posset; 2°. ne B. Virginis opera ex suapte naturâ divinæ maternitatis condigna erant. Ea enim ejusdem cum ceteris justorum operibus conditionis erant quoad substantiam, etsi quoad gradum longe perfectiora; ergo licet ad præmium in

eadem ſpecie majus ordinarentur, non tamen ad præmium divinæ maternitatis, quæ in alio eſt ordine.

Et vero dignitas matris Dei tantæ eſt excellentiæ, ut quodammodo accedat ad ordinem unionis hypoſtaticæ, & aliquam ex infinito, quod concepit & peperit bono, infinitatem habeat, uti docet S. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. ad 4. atque hinc, prout notat idem S. Doctor 2. 2. q. 103. a. 4. ad 2. Virgini Deiparæ debetur excellentior cultus, quàm alteri cuicumque Sancto.

Prob. 3. pars: Meritum de congruo ſtricte ſumptum illud dicitur, quod vel ex ſe ſuâque propriâ bonitate, vel ex intentione agentis, ad aliquod bonum obtinendum refertur; atqui tale non fuit beatæ Virginis meritum reſpectu maternitatis Dei: tùm quia pietatis actus per quos meruit, ejuſdem erant cum noſtris ſpecie; neque ii quicumque ſint, ad Dei maternitatem promerendam referuntur; tùm quia id repugnaſſet humilitati beatæ Virginis, quæ de ſe demiſſe aiebat Luc. 1. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.*

Si tamen meritum de congruo latiori ſenſu accipiatur, pro eo ſcilicet quod habet quamdam coaptationem ad bonum ad quod ordinatur, dici non immerito poteſt, B. Virginem de congruo ſuam meruiſſe maternitatem. Ratio eſt, quia hoc ſenſu mereri, nihil aliud eſt, quàm ad eum gratiæ ac ſanctitatis gradum pervenire, quo poſito B. Virgo in matrem Dei eligatur: porro ex dictis, Concluſione 1. B. Virgo ad eum gratiæ ac ſanctitatis gradum evecta eſt, quo poſito in Dei matrem electa fuit: unde Lucæ 1. *Inveniſti gratiam apud Deum, ecce concipies & paries filium.*

Obj. 1°. Antiqui Patriarchæ, ceterique Patres veteris Teſtamenti, de congruo aliquas Incarnationis circumſtantias meruerunt; quidni ergo & B. Virgo, cujus longe ſuperius ac excellentius fuit meritum?

R. diſt. ant. Meruerunt de congruo proprie, vel improprie ſumpto, C. proprie, ſubdiſt. quando preces ſuas, & vota ad tales circumſtantias referebant, C. quando non referebant, N. Diſt. conſeq. ergo B. Virgo de congruo ſuam maternitatem promeruit, improprio, ac latiori ſenſu mox expoſito, C. proprio ac ſtricto, N. quia pia B. Virginis opera, neque ex ſe, neque ex ſpeciali ipſius directione ad illam maternitatem dirigebantur.

Obj. 2°. SS. Patres paulo ante deſignati, aſſerunt B. Virginem ſuis bonis operibus dignam fuiſſe quæ mater Dei evaderet.

R. dist. dignam fuisse quæ mater Dei evaderet, id est, meruisse eum sanctitatis gradum, quo supposito congruè in matrem Dei electa fuit, C. id est, actiones B. Virginis, vel ex se propriâque suâ naturâ, vel ex speciali ejus directione ac intentione, ordinatas fuisse ad hoc ut mater Dei fieret, N.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De natura Incarnationis.

INcarnationis quidditas seu natura duobus potissimùm articulis continetur, duplici naturâ, & unâ in Christo Domino personâ. Nitide totum istud mysterium exponit Symbolum, quod Athanasianum dicitur. *Est ergo fides recta*, inquit, *ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus Dei filius, Deus & homo est..... Qui licet Deus sit, & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ.*

Summa igitur mysterii nostri, est unio hypostatica, seu personalis, naturæ divinæ & humanæ in unâ Dei personâ: hujus autem in præsenti investigandæ sunt veritas, essentia & proprietates.

ARTICULUS PRIMUS.

De veritate Unionis hypostaticæ in duplici natura.

ARticulum hunc tres in Sectiones partiemur. Prima expendet quæstionem juris, an nimirum utriusque in Christo naturæ unio vere sit hypostatica. Secunda multiplicem facti circa Nestorium inflictaque ei anathemata quæstionem indagabit. Tertia naturarum distinctionem scrutabitur.

SECTIO PRIMA.

An unio utriusque in Christo naturæ sit verè hypostatica.

Not. 1°. unionem generatim esse nexum extremorum, quæ in eo unum sunt, in quo uniuntur.

Not. 2°. quæstionem hìc nec esse de unione essentiali duarum rerum, quæ ex se ad unam tertiam rei naturam totalem constituendam ordinentur, qualis est

unio corporis & animæ ad constituendum hominem; nec de unione morali, seu affectûs, quæ in animorum consensione posita est, qualis est unio inter amicos; nec de unione per meram assistentiam, qualis occurrit in Angelis, quando corpora assumunt; nec de unione quod efficaciam generalem, per quam omnia in Deo sunt, & ab eo moventur; nec de unione mysticâ seu morali gratiæ, qualis est unio Fidelium cum Christo; nec de unione per solam assistentiam singularem, qualis est unio Christi cum Sanctis, & Dei in Templo; nec demum de unione essentiali personarum SS. Trinitatis in una numerica essentia. Ratio est quia ex una parte constat, nec Verbo essentiale esse, ut cum humanâ naturâ uniatur, & vicissim; ex alia vero ceteras unionum species nihil habere, quod grande Incarnationis Mysterium redoleat.

Quæstio igitur est de unione hypostaticâ seu personali utriusque naturæ, divinæ, & humanæ, in unâ Verbi personâ. In eâ autem solvendâ promiscue usurpabimus voces, *subsistentiæ*, *hypostasis*, *suppositi*, & *personæ*, quæ postrema vox nihil addit suprà suppositum, præter naturæ rationalis dignitatem.

Not. denique, duas hic extreme oppositas hæreses debellandas esse, Nestorianam, & Eutychianam. Nestorius, Constantinopolitanus Antistes, ut duas distinctas in Christo naturas agnovit, ità & duas personas, duos Christos, & moralem seu accidentalem duntaxat inter utramque naturam unionem, ex quo sequitur B. Virginem esse quidem Christiparam, sed non Deiparam. Eutyches vero Presbyter & Archymandrita seu Abbas celeberrimi Monasterii CP. unam post unionem naturam, sicut unam personam admisit. Sit contra priorem.

Conclusio. Una est in Christo persona, proindeque Beata Virgo vere Dei genitrix est ac dicitur.

Prob. 1°. ex Scripturis: Ibi unica est persona, ubi unus & idem est Deus simul & homo, ubi Deus vere homo factus est, & homo vere Deus, ubi demum quæ propria sunt hominis recte Deo attribuuntur, & vice versâ. Patet ista propositio, quia si duplex esset Christus, in eo distinguerentur Deus & homo, nec Deus de homine, nec homo de Deo dici posset. Omnis enim unius de alio prædicatio fundatur in aliqua identitate. Sic dicitur: Homo est mortalis, quia homo est suppositum terminans naturam mortalem: non dicitur autem, Homo est vestis, licet dicatur: Homo est vesti-

tus, quia non idem est hominis ac vestis suppositum. At 1°. unus & idem Christus est simul Deus & homo. Siquidem Psalm. 109. quem de Messia Rabbini ipsi explicant, hæc legere est: *Dixit Dominus Domino meo... ex utero ante luciferum genui te.* Ibidem vero Christus dicitur, *Sacerdos in æternum*, &c. utpote qui semetipsum in victimam offerat pro peccatis, uti fuse probat Apostolus totâ ad Hebræos Epistolâ. Philipp. 2. *Qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Unde sic disputo. Ille idem simul est Deus & homo, cui divina simul & humana natura competit: atqui Christo.... Nam 1°. ei divina natura tribuitur, quem Reges ut Dominum salutant, qui ex Patris utero, id est essentiâ ante luciferum, seu ante secula genitus est, qui demum est per antonomasiam filius Dei: atqui talis est Christus ex textibus modo citatis; 2°. eidem competit natura humana. Qui enim est Sacerdos, adeoque se se subjiciens, qui apparuit in forma servi, qui denique est filius hominis, dum etiam est filius Dei vivi, huic certe natura humana competit: atqui ex iisdem textibus Christus est Sacerdos, &c. ergo.

2°. Deus vere homo factus est, secundùm id Joan. 1. 14. *Verbum caro factum est.* Is enim vere factus est homo, qui substantialiter unitus est carni: atqui Deus, cùm caro factus est, substantialiter unitus est carni. Neque enim ei unitus est vel per conversionem suî in ipsam, ut infrà probabimus contra Eutychem, vel per moralem tantum unionem, qualis est inter amicos, quæ quantacumque fingatur, nunquam unus dicitur esse alter; cùm tamen Deus dicatur Homo, & filius hominis, Filius Dei; ergo per unionem substantialem, seu hypostaticam. Unde S. Thomas, postquam Christi plagas tetigit, exclamavit, eundem Christum sibi præsentem, ac proinde hominem alloquens: *Tu es Deus meus.*

3°. Quæ hominis propria sunt Deo, & vicissim quæ Dei propria sunt, homini attribuuntur. Si quidem esse ante Abraham, & nasci pluribus post Abraham seculis; esse unum cum Deo Patre, & esse Patre minorem; esse in cælo naturaliter, & naturaliter in terra, sunt hominis Dei & proprietates: atqui tamen diversa hæc vera sunt in Christo: 1°. enim Joan. 8. ait Christus ipse: *Antequam Abraham fieret, ego sum*, & tamen natus erat de Virgine, Matth. & Luc. 1. 2°. Joan.

10. *Ego & Pater unum sumus*; & tamen *Pater major me est.* 3°. Joan. 3. *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo*; & is tamen hominis filius actu erat & loquebatur in terra.

Prob. 2°. Si duplex sit in Christo persona, jam B. Virgo non est Deipara, sed solùm Christipara: atqui tamen... Ea enim vere est Dei mater, quæ concepit & peperit Deum: atqui B. Virgo. Prob. min. ex Scripturis. Isaïæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Lucæ 1. 5. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere.* Rom. 1. *Quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo. qui factus est ei ex semine David secundum carnem*; ergo B. Virgo, quæ Dei filium genuit, vere Dei mater est ac dicitur: non quidem hoc sensu quod vel divinitatem ipsam, vel Deum nudum genuerit; sed quod eum genuit, qui simul & Deus & homo est, propter intimam & hypostaticam unionem utriusque naturæ, &c.

Prob. 3°. ex Conciliis & publicis fidei professionibus: 1°. enim in Symbolo Apostolico legimus, *Credo... & in Jesum Christum filium ejus unicum Dominum nostrum; qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine*: atqui si duplex esset in Christo persona, jam non idem qui Deus est & Dominus noster, natus esset ex Maria Virgine.

2°. Nicænum Symbolum, postquam declaravit, Christum esse *Deum de Deo, lumen de lumine, Patri consubstantialem*, statim addit: *Qui propter nos homines....incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine. & homo factus est.* Idem ergo Christi suppositum Filius Dei est, & Filius Mariæ; ergo una est in Christo persona duplici constans naturâ.

T. 3. Concl. p. 480. D. 3°. Concilium Ephesinum, an. 431. ex professo idem dogma adversùs Nestorium definivit, & Anathematismos S. Cyrilli probavit, quorum primus est: *Si quis non confitetur, Emmanuelem vere Deum esse, & ob id sanctam Virginem Deiparam (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum secundum carnem) anathema sit.* Idem statuunt Concilia Chalcedonense an. 451. Constantinopolitanum II. an. 553.

Prob. 4°. ratione theologicâ: Si duæ sunt in Christo personæ, divina una, humana altera, quænam, quæso, pro nobis passa est, & mortua? quænam pro

nobis satisfecit, à peccato & damnatione nos redemit, Sacramenta instituit, &c. An divina? sed hæc nec pati, nec mori, nec pro nobis satisfacere potest. An humana? Verùm cùm finita sit, pretium infiniti valoris Deo pro nobis offerre non potest; nec Sacramenta instituere, cùm incapax sit illis impertiendi vim gratiæ productivam; ergo ex Nestorii nefando errore, uno ictu ruit Incarnatio Verbi, ejus pro nobis satisfactio, humani generis redemptio, institutio & efficacia Sacramentorum; uno verbo universa Religio Christiana funditùs labefactatur: unde Nestorius, à Patribus Ephesinis in sententia depositionis, *novus Judas* appellatur.

Obj. 1°. Christus corpus suum, seu humanitatem appellat templum, Joan. 2. *Solvite templum hoc*: atqui inter templum, & Deum qui in templo habitat, hypostatica non intercedit conjunctio; ergo.

R. dist. maj. Christus humanitatem appellat templum singulari ratione, C. vulgari sensu, N. sic S. Petrus Ep. 2. cap. 1. de anima sua quasi quæ existat in tabernaculo loquitur: atqui non ideo dici potest S. Petri animam corpori ejus haud hypostaticè, sed tantùm moraliter unitam fuisse; ergo nec id de Christo dici potest.

Inst. 1°. Si Christus carni hypostaticè unitus fuerit, jam Deus simul & mortalis ac passibilis fuit: atqui non potest Deus esse mortalis; ergo.

R. Deus quidem non homo factus, impassibilis est & immortalis, sed homo factus, ratione humanitatis quam in unitatem personæ assumpsit, verè passus est ac mortuus: *Verbum enim caro factum est*, & ut sic, languores nostros verè portavit.

Inst. 2°. Si Dei Filius passus ac mortuus dici potest; dici pariter poterit, Divinitas passa, & mortua: atqui, &c.

R. neg. maj. Istæ quippe denominationes in suppositum ipsum, seu personam Verbi ex duabus naturis constantem cadunt, non vero in ipsam divinam naturam. *Passus est Deus*, ait Vigilius Tapsensis in Africa Episcopus, Lib. 2. contra Eutychem, *in unione personæ, non est passus in proprietate naturæ.* *Bib. PP. T. 8. p. 727. D.*

Obj. 2°. Si unica esset in Christo persona, meritò dici posset *unum de Trinitate esse passum*: atqui id dici non potest, judice Hormisdâ S. Pontifice, qui propositionem hanc velut erroneam damnavit in Monachis Scythiæ.

R. neg. min. Vera enim & orthodoxa eſt propoſitio, quam Hormiſdas tantùm ut novam ac diſſidiorum cauſam ſilentio premendam eſſe judicavit, repreſsâ Monachorum Scythiæ pertinaciâ, qui hanc loquendi formam definitioni Concilii Chalcedonenſis neceſſario adji-
T. 5. ciendam eſſe contendebant, quaſi abſque tali additio-
Con. p. ne, manca illa & imperfecta foret. Ceterùm hanc lo-
370. E. quendi rationem Eccleſia ſuo judicio probavit in V.
& p. generali Concilio, Can. 4. & 5. Probavit & S. P. Joan-
571. nes II. in Ep. ad Juſtinianum, in qua & Imperatorem
B. C. laudat qui eam tuebatur, & Acoemetas monachos con-
T. 4. tra ſentientes condemnat.
Conc. p. Obj. 3°. Quæ divinitatem non genuit, Dei geni-
1740. trix dici non poteſt: atqui B. Virgo divinitatem non genuit; aliàs ipſa Dea foret.

R. neg. maj. Satis enim eſt ut B. Virgo eum genuerit, qui Dei filius eſt, ac verus Deus: quemadmodum ut in humanis mulier dicatur hominis mater, ſatis eſt quod eum generet, qui homo eſt, tametſi præcipuam hominis partem, animam ſcilicet rotionalem, ipſa non generet.

Obj. 4°. E SS. Patribus alii, ut Baſilius, Chriſtum vocant *hominem Deiferum*; alii, ut Athanaſius, *hominem Deificatum*; atqui homo Deifer non eſt Deus, &c.

R. has & ſimiles loquendi rationes ſtudioſè à Theodoro Mopſueſteno in cauſæ ſuæ defenſionem collectas fuiſſe: at fruſtra profecto. Ut enim recte reſpon-
Bibl. det Leontius Biſantinus, L. 3. contra Neſtorianos,
PP. T. non de verbis, ſed de ſententiis ac verborum ſenſu
9. *p.* quæſtio movenda eſt; iiſdem enim vocibus, & Neſto-
693. A. rii impietas, & veritas fidei exprimi poteſt; ſola igitur loquentis mens, ſtatus controverſiæ, temporis ac perſonarum circumſtantiæ accuratè penſandæ ſunt, ac verus & genuinus Sanctorum illorum ſenſus apparebit. Unde 1°. recte S. Baſilius carnem Chriſti *Deiferam* appellat, quia reipſa caro Dei propria eſt, propter unionem hypoſtaticam inter humanitatem & Deum ipſum; 2°. Chriſtus non immerito *Deifer*, *homo Deificatus*, ſeu *Deificus* dici poteſt, ob eandem hypoſtaticam unionem inter divinam & humanam naturam. In Neſtorio quidem has loquendi rationes jure merito reprehendebat S. Cyrillus, ob pravum ipſius ſenſum, unionis ſcilicet duntaxat accidentalis inter utramque in Chriſto naturam: at in viris Catholicis, nec ſuſpectis, omni vitio ac ſuſpicione erroris carebant.

SECTIO SECUNDA.

De cenſura Neſtorii.

Tria duntaxat, eaque breviter, hîc expendemus: 1°. an canonice damnatus fuerit Neſtorius; 2°. an Joannes Antiochenus ceterique Orientales, non tantùm perſonæ, ſed errori Neſtorii adhæſerint; 3°. an S. Cyrillus Neſtorium ſummo ardore impugnans, in alium errorem lapſus fuerit. Ante tamen quædam de perſona Neſtorii prænotanda ſunt.

Neſtorius Germanicâ oriundus oppidulo Syriæ, monaſticam vitam profeſſus eſt in Laura ſancti Eupreprii propè Antiochiam; cùmque diu ſe exercuiſſet, atque parum* in liberalibus diſciplinis profeciſſet, factus eſt ex Monacho Presbyter à Theodoro Epiſcopo. Socios habuit in Monaſterio, Joannem poſteà Epiſcopum Antiochenum, & Theodoretum Cyrenſem; Præceptorem vero Theodorum Mopſueſtenum, cujus errorem circa Chriſtum avidiùs combibit. Pucherrimâ & maximâ voce præditus ille erat, dicendi facundiâ celebris, moribus in ſpeciem auſteris, fucatâ modeſtiâ ac pietate, unde ad Sedem CP. poſt Siſinnii mortem an. 428. evectus eſt. Non diù poſt conceptum errorem evomere cæpit, primo aliorum arte ac miniſterio, tum ſuis & Sermonibus & Quaternionibus. De novo graſſante errore Cæleſtinum pro more monuit Cyrillus Alexandrinus: monuit & Neſtorium, tùm S. Pontifex, tùm Cyrillus ipſe: at cùm nihil profeciſſent, coacta eſt anno 431. Epheſina Synodus, quæ Neſtorium ejuſque errorem anathemate percutit, eumque ab Epiſcopatu depoſitum, in exilium amandat Imperator, ubi exeſâ à vermibus linguâ miſerè periit. Neſtorii partes acriter juvit Joannes Antiochenus, qui eo etiam audaciæ proceſſit in Epheſino ſuo Concilio, ut Cyrillum Alexand. & Memnonem Antiochenum ſententiâ excommunicationis percuſſerit. De his fit

* *Theodoret. T. 4. p. 244. B. C.*

CONCLUSIO I. Neſtorius legitimè ac canonicè ab Epheſinâ Synodo damnatus ac depoſitus fuit. Eſt contra Albertinum, Ægidium Gaillard, & alios quoſdam Calviniſtas.

Prob. quia conditiones ad canonicam damnationis & depoſitionis ſententiam iſtæ requiruntur: criminis notitia & probatio; teſtium fides non ſuſpecta; diligens & accuratum examen; diluendi objecti criminis plena reo conceſſa facultas; legitima in Judicibus autoritas; in reo pertinacia: atqui omnes iſtæ conditio-

nes in sententiâ contra Nestorium à Concilio Ephesino pronuntiatâ reperiuntur, ut constat ex Actis ejusdem Concilii.

1°. Publica & omnibus nota erat impietas Nestorii, ad quam infremuerat universa plebs Constantinopolitana, seu cùm ore primùm Anastasii Presbyteris, seu cùm suo apertè declaravit B. Virginem Deiparam non esse.

2°. Testes fuêre quotquot utrumque concionantem audierunt: testis S. Cyrillus; testes ducenti Episcopi Ephesi congregati.

3°. Iidem summâ diligentiâ singula Nestorii Scripta excusserunt, factâ eorum cum Symbolo Nicæno, ac SS. Patrum sententiis comparatione.

Act. 1. 4°. Plena criminis diluendi facultas Nestorio con-
Concilii cessa, qui tertio à Patribus Concilii honestè invitatus
Ephes. ut se Concilio sisteret, contumaciter recusavit, nequi-
T. 3. dem in conspectum suum admissis Concilii Legatis. Et
Conc. tamen plures, quàm decem dierum, induciæ, quas
p. 508. S. Pontifex Cælestinus præscripserat ipsi concessæ: Sy-
& seq. nodus enim quæ indicta fuerat ad diem Pentecostes,
Ib. p. septimam Junii, dilata est Patrum indulgentiâ ad diem
453. 22. ejusdem mensis, ut ipsi resipiscendi locus, & Jo-
456. anni Antiocheno adventandi tempus daretur.
460. 5°. Episcopis, qui Judices sedebant, plena & legitima fuit sententiæ ferendæ autoritas; cum ipsis datum
Act. 20. fuerit *regere Ecclesiam Dei*, ac fidei depositum serva-
v. 28. re. Magna igitur fuit in Nestorio animi pertinacia, qui tot Episcoporum, etiam in variis ante generalem Ephesinam Synodis congregatorum, judicio acquiescere noluit. Constat enim plures ante Ephesinam habitas in causâ Nestorii particulares Synodos: Romæ quatuor, totidem Alexandriæ, Constantinopoli quatuor; duas saltem Orientalibus, priorem Antiochiæ ante pacem Ecclesiarum, posteriorem Berœæ. Jure igitur suo Ephesina Synodus hanc depositionis sententiam ad Nestorium transmisit cum hac Epigraphe. *San-*
Ibid. *cta Synodus....* Nestorio novo Judæ. *Agnosce te, pro-*
p. 549. *pter impias prædicationes tuas & adversum Canones*
A. *contumaciam, vigesimo secundo die mensis Junii præsentis, juxta Ecclesiasticorum Sanctionum decreta à sancta Synodo depositum, atque ab omni Ecclesiastico gradu alienum esse.*

Obj. 1°. Quo tempore pronuntiata fuit in Nestorium sententia, Synodus Ephesina verè œcumenica non erat: nondum enim advenerant Legati Cælestini

S. Pontificis; aberat Joannes Antiochenus cum suis, aberat & ipsemet Nestorius: nonnulli ex parte ipsius Episcopi contestati jam fuerant, se tanquam irritum habituros quidquid in absentia Joannis & aliorum Orientalium adversus Nestorium actum fuisset. Ergo tunc canonica non fuit lata in Nestorium depositionis sententia.

R. 1°. neg. ant. Legitimè convocata fuerat Synodus, ac canonicè celebrata, vocatis qui vocandi erant. Aderant Episcopi ducenti; S. Pontifex Cælestinus suas & totius Occidentis vices Cyrillo Alexandrino commiserat: suam uterque sententiam synodicè jam pronuntiaverat, Cælestinus Romæ, Cyrillus Alexandriæ; ter vocatus Nestorius, venire recusavit; aliunde reus ille erat, qui fidei suæ rationem coram Synodo reddere tenebatur: Joannes vero Antiochenus, plus æquo in Nestorium propensus, diu expectatus, de industria moras nectebat, ut amico faveret. *Tanta enim dilatione,* ait Synodus, in Relatione ad Cælestinum, *malitiosè usus est, cùm ipsum anteverterint, qui longè majori viarum intercapedine distarent.* Inter Episcopos autem quos Joannes secum adduxerat, ex quibus Conciliabulum suum Ephesinum composuit, *alii erant extorres, otiosi, Ecclesiisque carentes: alii ante multos annos ob graves culpas à suis Metropolitanis depositi: cum ipsis etiam Pelagiani & Cœlestiani, &c.* Denique Legati summi Pontificis subinde rata habuerunt, quæcumque actu in Nestorium fuerant. Ergo plena & integra stat sua Synodo Ephesinæ autoritas. *Act. 5. Concilii Ephes. T. 3. Conc. p. 659. E. Ibid. p. 663. A. B.*

R. 2°. neg. conseq. Quasi canonica non foret sententia, quæ ab alia, quàm ab œcumenica Synodo pronuntiaretur? aut Ecclesiæ dispersæ consensus non sufficeret, ad inconcussam alicujus sententiæ autoritatem?

Obj. 2°. Idem simul judices, testes & accusatores esse non possunt: atqui Cyrillus, Theodotus, Ancyranus, & Acacius Melitensis in Concilio Ephesino judices, testes & accusatores fuerunt.

R. Cyrillum proprie nec testem nec accusatorem fuisse erroris Nestorii. Plebs ipsa universa CP. contra impietatem reclamavit & insurrexit: Monachi ejusdem Urbis novitate doctrinæ turbati, supplici Libello ab Imperatoribus Synodum postulant, cujus autoritate error proscribatur; non alias autem partes hîc egit Cyrillus, quàm peritissimi Doctoris ac fidei defensoris eximii. *Cum fides tam insigniter lœdatur*, aït in Epistola ad Nestorium, *totque passim sint infecti, qui* *T. 3. Conc. p. 425. Ibid.*

p. 313. C. D. *tandem tacere hîc liquet? An non ante Tribunal Christi sistemur? An intempestivi silentii rationem reddituri sumus?*

Addit ibidem, turbas excitatas fuisse, non quidem à se, sed ab Homiliis ipsius Nestorii, quæ non sine grandi Fidelium scandalo ubique circumferebantur, & ipsimet summo Pontifici Cælestino innotuerant. Si quid vero alii duo Episcopi mox appellati, contra Nestorium protulerunt, non ut accusatorum personam sustinerent, protulerunt, sed (quod Judicibus semper licitum fuit) ad confirmationem sui, quod ferebant, judicii.

Obj. 3°. Immerito erroris circa Incarnationem damnatus est Nestorius, qui B. Virginem Deiparam fateri non renuebat, modo Dea non diceretur. Serm. 5. n. 4.
Apud. Mar. Mercat. part. 2. p. 30. Ib. p. 86. Ib. p. 88. n. 22. *Si quis*, inquit.... *hâc voce, Theotocos, gaudet, apud me nulla est de voce invidia, tantum nè Virginem faciat Deam.* Et Serm. 12. n. 7. *Damna eos*, inquit, *qui dicunt, secundum Apollinaris & Ariani sensum, Dei Genitricem, & ego unà tecum clamo*, Θεοτοκον... *Quæ peperit, propter unitatem dicatur Dei genitrix.*

R. dist. maj. B. Virginem Deiparam confitebatur subdolo & hæretico sensu, ob unionem duntaxat accidentalem & moralem utriusque naturæ in Christo, in quo tanquam in templo divinitatem inhabitare sentiebat, C. sensu catholico, N. Suum hunc sensum ipsemet Nestorius aperit Ep. 1. ad Cælestinum:
T. 3. Conc. p. 351. A. *Ferri*, inquit, *potest hoc vocabulum* (Θεοτόκος) *propter ipsam considerationem, & quod solùm nominetur de Virgine hoc verbum, propter inseparabile templum Dei Verbi ex ipsa, non quia ipsa mater sit Dei Verbi; nemo enim antiquiorem se parit.* Aperta hæc sunt, non involuta. Inde est quod Synodus V. oecumenica, collat. 8. canon. 6. observat Nestorium abusivè, non verè dicere Mariam Dei genitricem esse.

Conclusio II. Joannes Antiochenus cum suis Orientalibus, personæ duntaxat Nestorii, non ejus errori adhæsit.

Prob. 1°. enim non adhæsit ante Concilium. Siquidem in Epistola quam ad Nestorium scripsit, hortatur eum ut & vocem & sensum *Deiparæ* admittat tanquam à Patribus usurpatum, & mysterio divinæ dispensationis exprimendo idoneum maximè. *Si enim*, inquit, *mens tua eadem sapit & sentit, quæ SS. Patres, Ecclesiæque Doctores sentiunt & sapiunt... quorsum vereris*

pium sensum convenienti voci Theotocos publicare? Hæc certe verba hominis non sunt errori Nestorii adhærentis.

2°. Non adhæsit in Concilio. In tota scilicet Actorum Conciliabuli Ephesini serie, ne verbum quidem extat de approbata Nestorii doctrina: atque Sixtus S. Pontifex in Epistola, quam post initam pacem scripsit ad Cyrillum, expresse aït: *Non se exuli vestro sanctus frater noster Joannes addiderat, non ejus est blasphemâ prædicatione deceptus: nam quantùm rerum exitus docet, suspendit sententiam suam, non negavit.* Idem tradit S. Cyrillus in Epistola ad Valerianum Episcopum: *Religiosissimi,* aït, *totius Orientis Episcopi, unâ cum Domino meo Joanne. ..scriptâ dilucidâque confessione omnibus palàm fecerunt, se profanas Nestorii vocum novitates, æquè ac nos condemnasse & anathematisasse, seque nullo unquam loco eas habuisse.* Ibid. p.1177. A. Ibid. p.1176. A.

3°. Multo minus post initam inter Ecclesias pacem, Joannes Nestorii impietati adhæsit, quam simul cum autore suo publice damnavit. Fatetur ingenue ipsemet Joannes, scribens ad Sixtum S. Pontificem, se primum ægre tulisse, quæ adversus Nestorium acta fuerant: verum addit, *Placuit & nobis quoque, in sanctæ Synodi sententiâ, quâ Nestorium deposuit, acquiescere, ipsumque pro deposito habere, ac blasphemam illius doctrinam anathematisare.* Ibid. p 1789. A.

Dices: Pluribus in locis Patres Ephesini Joannem cum suis erroris accusant. Epistolâ Synodicâ ad Clerum CP. *Joannem Antiochenum,* aïunt, *& qui cum illo faciunt, in facie Ecclesiæ, jam anathematisavimus..... quod cum Nestorio sentire nequaquam cessant.* Ibid. p. 861. B.

R. merito Joannem cum suis erroris Nestoriani suspectum fuisse, ob apertum quod Nestorio impendit patrocinium; nec improbanda illa suspicio, quæ tot firmis nixa erat momentis. Verùm ex eventu manifestum est, eos ex animo errori non adhæsisse, sed tantùm ex nimia propensione personæ Nestorii plus æquo favisse. Unde ad verba S. Cyrilli dico S. Doctorem, vel non omnes Orientales designare voluisse, sed tantùm Nestorianos quosdam, scilicet Helladium, Himerium & Dorotheum, iisque junctos Pelagianos; vel si omnibus notam hæreseos inussit, priorem de illis emendasse sententiam, discussis contentionum nebulis. Jam expendendum: an S. Cyrillus Nestorium impugnans, in oppositum lapsus fuerit; prout criminabatur Nesto-

rius. Apollinaris hæresim Cyrillo impingens, ut solent Novatores. Sit

Conclusio III. S. Cyrillus Nestorium impugnans in oppositum Apollinaris errorem lapsus non fuit, ejusque Scripta ab omni erroris labe aliena sunt.

Prob. testimoniis Veterum. Et 1°. Cælestinus S. Pontifex, in Epist. ad Cyrillum, zelum illius, ac fidei
T. 3. studium & Doctrinam commendat. *Nos quoque*, inquit,
Conc. *dilecte frater, nonnulla addituri eramus, nisi eadem*
p.348. *omnia quæ nos sentimus ac tenemus, te itidem sentire*
A. *ac tenere perspiceremus, & in fide tuenda fortissimum te propugnatorem esse exploratum haberemus.*

2°. Synodus Alexandrina, in Synodica ad Nesto-
Ibid. rium Epistola, n. 2. sic loquitur: *Ad Epistolas porro*
p. 397. *quod attinet, quas Alexandrina Ecclesia ad te misit, eas*
C. *cum à sacra Romana Synodo, tum à nobis omnibus quoque, ab omni errore & vitio immunes judicatas esse sciat ... Hæc enim est Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ fides, in qua universi Occidentis & Orientis orthodoxi Episcopi consentiunt.*

3°. Cùm actione 1. Conc. Ephesini lecta fuisset Epistola S. Cyrilli ad Nestorium, Cyrillus rogavit, ut quid de illa sentirent congregati Episcopi, vellent aperire. Omnes porro communi consensu declararunt, Epistolam illam fidei Nicænæ evidenter consentire: unde sic loquuntur in Relatione ad S. P. Cælestinum:
Ibid. *Lectæ sunt Litteræ quas sanctissimus Alexandrinæ Ec-*
p. 662. *clesiæ Episcopus Cyrillus ad eum* (Nestorium) *scripse-*
G. *rat, quas S. Synodus approbavit, ut rectè inculpatequе exaratas, atque in nullo dissentaneas divinis Scripturis, &c.* Unde sic: Doctrina, quæ tum à Rom. Pontifice, tum à particularibus & œcumenicis Conciliis approbata est, pura & intacta judicari debet: atqui S. Cyrilli doctrina, &c.

Obj. 1°. S. Cyrillus in prima ad Successum Ep. & alibi, frequenter inculcat, unam esse in Christo post
T. 3. unionem naturam. Sic enim loquitur: *Post unionem*
part.2. *naturas alteram ab altera non dividimus, neque in duos*
p. 137. *filios unum illum impartibilemque secamus, sed unum*
D. E. *asserimus Filium, & ut sancti Patres dixerunt, unam naturam Dei verbi incarnatam.* Quod ibidem confir-
p. 137. mat exemplo unionis animæ cum corpore ex quâ unâ resultat hominis natura. Atqui dicere unam esse in Christo post unionem naturam incarnatam, Apollinaris errorem omnino redolet, unde Eutychiani hanc

Cyrilli sententiam in erroris sui confirmationem trahebant.

R. neg. min. 1°. quia nomine *naturæ*, intelligi potest persona, seu hypostasis, ut plurimi ex Antiquis intellexerunt, quæ interpretatio non tantùm omni prorsus erroris suspicione caret, sed maxime Catholica est, imo ad errorem Nestorii confodiendum apta maximè. Sic ipsemet Cyrillus, in defensione octavi Anathematismi, adductis sancti Athanasii testimoniis *naturam* usurpat pro *personâ*; quâ suppositâ interpretatione, proposita evanescit objectio.

2°. Et quidem, ut videtur, ad mentem Cyrilli aptiùs per *naturam*, S. Doctor intelligit Verbi divini substantiam, quæ una quidem est, sed humanitatem assumendo duplex evasit, natura scilicet divina assumens humanitatem, & humanitas ipsa assumpta. Seipsum nitide interpretatur Cyrillus Ep. 2. ad Successum. *Si*, inquit, *dicentes unam Verbi naturam tacuissemus ac minime adjunxissemus, incarnatam, excluso propemodum dispensationis mysterio, esset illorum fortasse oratio non ineptæ... Sed quia & illa in humanitate perfectio, & essentiæ nostræ declaratio, illata est, dum dicimus incarnatam, desinant baculo inniti arundineo.* Jam paulo ante dixerat: *Supervacue igitur ratiocinantur qui asserunt, Si una sit natura Verbi incarnata, prorsus consequi per mixtionem atque confusionem factam fuisse imminutâ nimirum atque subtractâ hominis naturâ.*

T. 3. *Conc.* *p.* 856. & 857. *T. part.* 1. *p.* 143. B. *Ib.* C. D.

Obj. 2°. Joannes Antiochenus cum tota Orientis Diœcesi duodecim Capitula Cyrilli, velut Apollinaris errore aspersa, damnavit; Gennadius quoque Constantinopolitanus, vir orthodoxus & sanctus, eadem Capitula summo ardore tanquam hæretica damnavit, ut constat ex Fragmentis illius à Facundo relatis, L. 2. c. 4. ergo. *p.* 28.

R. Omnem hic Joanni Antiocheno ceterisque Orientalibus fidem derogandam esse. *Mentiens*, aït Cyrillus in Apologetico, *dicit* (Joannes) *quod cum impio Apollinario sentiamus, & execranda impiaque Arii & Eunomii dogmata approbemus.*

T. 3. *Conc.* *p.* 1045. B.

Ad testimonium Gennadii, dico 1°. Opus illud ipsi à Facundo adscriptum, non extare; atque in eo laudando ut in aliis nonnullis, deceptum fuisse Facundum: neque enim verisimile videntur, orthodoxum & sanctum Episcopum Gennadium etiam post Concilium

Chalcedonense, à quo Cyrilli Epistolæ probatæ sunt tam intemperanti stylo in Cyrillum resurrexisse. Quod si reipsâ insurrexit, dicendum 2°. falsis rumoribus deceptum illum, nec Cyrilli mentem assecutum fuisse. Responsionem hanc subjicit vel ipse Facundus, Lib. 2.
p. 28. D. cap. 2. *Talia*, inquit, *Gennadius de Cyrillo non scriberet, nisi dicentis intentionem minus intellexisset.*

SECTIO TERTIA.

De errore Eutychetis.

Eutyches Presbyter & Archimandrita, id est Abbas celeberrimi Monasterii CP. dum errorem Nestorii acriùs insequitur, in oppositum lapsus est. Duas Nestorius in Christo personas, perinde ac duas admittebat naturas; Eutyches, ut unam personam, ità & unam post Incarnationem naturam: quo vero sensu unam intellexerit, facile non est definire.

Conclusio. Duæ sunt in Christo post unionem distinctæ & inconfusæ naturæ, divina scilicet & humana, cum utriusque proprietatibus.

Prob. 1°. ex Scripturis triplici argumento.

Primum ex iis locis dicitur, quibus duæ in Christo naturæ evidenter asseruntur. Joan. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: atqui Verbum caro factum non est *conversione divinitatis in carnem*; ergo *assumptione humanitatis in Deum*, per quam habitavit in nobis, per omnia similis nobis absque peccato.

Philipp. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Duplex hic Christo forma, Dei, & servi, non confusa & permixta, sed distincta.

Secundum argumentum ea Scripturæ loca suppeditant, quæ duas in Christo voluntates, ac consequenter naturas distinguunt. Lucæ 22. *Non mea voluntas, sed tua fiat.* & Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Porro voluntas Christi quatenus Deus est, eadem prorsus erat cum voluntate Patris; ergo aliam habebat, quatenus homo; ergo Deus simul & homo erat. Nec idcirco sequitur duos esse in Christo *volentes*: quia nempe voluntas pertinet ad naturam; volens, ad personam: atque voluntatem non statim ex personalitate inferri patet, quia tres sunt in Deo personæ, una verò tantùm voluntas.

Tertium argumentum ex iis locis petitur, in quibus contraria Christo tribuuntur, v. g. quod à nobis abscesserit, & nobiscum tamen æternùm maneat, Joan. 16. Matth. 28. Quod in terra versetur, & tamen simul sit in Cælo, Joan. 3. v. 15. Quod infans natus sit in tempore, & tamen egressus ejus sit *à diebus æternitatis*, Mich. 5. v. 2. &c. atqui hæc absque duplici Christi naturâ intelligi non possunt; ergo.

Prob. 2°. ex Conciliis. Nicænum I. postquam divinitatem Filii asseruit, de susceptâ hominis naturâ aït: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est, & homo factus est.*

Chalcedonense, an. 451. in definitione fidei adversùs Eutychen pronuntiat, *Christum Dominum nostrum eumdem perfectum in deitate, & eumdem perfectum in humanitate*, eumque proin *in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum;* ergo.

Prob. 3°. rationibus theologicis. I. *Unitio est duarum naturarum non cujuscumque alterius abolitio*, inquit Gelasius, aut Vigilius Tapsensis, Lib. contra Eutychen; res enim una & simplex, secum unita non dicitur: atqui unio Verbi cum carne manifestè his verbis declaratur, *Verbum caro factum est.* Et vero idem Christus dicitur Deus & homo: atqui fieri istud non potest, nisi per unionem substantialem naturæ humanæ cum natura Verbi; impossibile quippe est ut duæ naturæ formaliter ab invicem distinctæ, de se invicem prædicentur in concreto nisi uniantur in supposito. *Bibl. PP. T. 8. p. 702. F.*

II. Si ex duabus naturis unica in Christo facta esset; nec humana illa esset, nec divina; adeoque Christus nec Deus esset, nec homo; sed quid ex utroque compositum: atqui falsum consequens.

III. Funditùs ruit reparationis humanæ mysterium, nisi duæ sint in Christo distinctæ naturæ, quarum una, humana scilicet, satisfactionis materiam, altera vero, nempe divinitas, pretium ac valorem infinitum communicet.

Obj. 1°. ex Joan. 1. *Verbum caro factum est*: atqui hæc loquendi ratio veram innuit Verbi in carnem mutationem: quemadmodum cùm, Joan. 2. v. 9. dicitur aqua vinum facta, aquæ in vinum conversio designatur.

R. ad 1. neg. min. Non enim magis Verbum ob citata Joannis verba in carnem mutatum dici potest, quàm in maledictum dici possit mutatum esse, quia

Galat. 3. dicatur Christus pro nobis *factus* maledictum: atqui, &c.

Ad 2. neg. parit. verba enim Joan. 2. de vera aquæ conversione intelligi postulant natura rerum, facti circumstantiæ, Patrum & fidei autoritas; hæc autem omnia contra Verbi aut humanitatis conversionem reclamat.

Inst. Philip. 2. Filius Dei *semetipsum* dicitur *exinanivisse*: atqui exinanitio hæc conversionem Verbi postulant.

R. neg. min. *Exinanivit se*, aït Apostolus, non id esse desinens quod erat, sed *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus.....factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Obj. 2°. autoritatem Julii Romani Episcopi, in Ep. ad Dionysium Corinth. Episcopum, ubi aït, *Necesse est eos, cùm duas naturas dicunt, unam adorare, alteram non adorare; ac in divinam quidem baptisari, in humanam vero non baptisari.*

Biblioth. PP. T. 9. *p.* 672. A. B. Respondet Leontius, L. de Sectis Act. 8. Epistolam illam Julii non esse, sed ipsi ab Eutychianis falso adscriptam: 1°. quia nihil Julio dignum continet; 2°. quia eâ in Epistolâ corporis mentio fit: non animæ quâ informatur, contra usum hujus temporis; 3°. quia S. Greg. Nyssenus, in Opere contra Apollinarem multa ex illâ Epistolâ laudat, quæ Apollinaris haud dubiè sunt, non Julii.

Phot. p. 831. R. 2°. etiam suppositâ Epistolæ veritate, Julium nomen naturæ pro persona usurpasse, cùm negat duas esse in Christo naturas. Ità Eulogius Alexand. Patriarcha, apud Photium codice 230.

ARTICULUS SECUNDUS.

Quid sit Unio hypostatica.

QUanquàm ex Veteribus plures in exponenda Incarnatione promiscue vocibus *unionis*, *unitionis*, & *assumptionis* utantur, nihilominùs in rigore Scholastico, discriminis nonnihil inter eas statui debet: *unitio* quippe actionem denotat, unientis; *unio* terminum actionis; *assumptio* naturam quæ ad unionem assumitur. Jam quæritur in quo præcisè sita sit illa Verbi unio cum humanitate. Quâ de re varii varia philosophantur. Omissis aliorum conjecturis sit

Conclusio. Unio hypostatica non est quid distin-

ctum à Verbo & humanitate; ſed Verbum & humanitas ſe ipſis formaliter abſque ullo medio uniuntur.

Prob. Se habet juxta SS. Patres, unio Verbi cum humanitate, ſicut unio animæ rationalis cum corpore; atqui unio iſta abſque ullo ſuperaddito medio exponi poteſt. Nempe, per id anima corpori conjungitur, per quod fungitur officio formæ, unumque totale conſtituit principium omnium proprietatum, actionum & paſſionum: atqui anima rationalis per ſemetipſam immediate, abſque ullo ſuperaddito, fungitur officio formæ, &c. quia per ſeipſam eſt actus & forma corporis, modo adſint ex parte corporis conditiones prærequiſitæ; ergo pariter Verbum divinum per ſeipſum humanitati copulatur, quia per ſeipſum eam terminat ac perficit, quatenus per ſuam perſonalitatem infinitam, creatam naturæ humanæ ſubſiſtentiam excludit.

Si vero quæſieris, quid ſit humanitatem in Verbo ſubſiſtere, & quomodo id concipi & exponi poſſit.

R. id non quidem nitide, ſed utcumque exponi poſſe, eodem exemplo unionis animæ cum corpore. Sicut enim ex unione illâ reſultat, 1°. una natura totalis per ſe ſubſiſtens, ultimo terminata & completa; & idcirco alteri tanquam ſuppoſito incommunicabilis; 2°. unum ſuppoſitum, quod talis homo dicitur, atque unum eſt principium & ſubjectum denominationis omnium actionum & paſſionum; 3°. ſicut anima rationalis in homine eſt principium ſuperius dirigens omnes ejus actiones; ità quoque per ſubſiſtentiam Verbi humanitas ſubſiſtere dicitur: 1°. quia ex unione Verbi cum humanitate reſultat, non quidem una totalis natura, (quâ ex parte deficit exemplum animæ & corporis) ſed unum totum duplici conſtans naturâ, nempe unus Chriſtus, cujus humana natura ità eſt ultimo completa & in Verbo ſubſiſtens, ipſique tam propria & intima, ut non poſſit alteri homini tanquam ſuppoſito communicari; 2°. ex illa utriuſque naturæ in Chriſto unione, una exurgit perſona, quæ eſt principium *quod*, & ſubjectum denominationis omnium Chriſti actionum & paſſionum; hincque naſcitur idiomatum communicatio, quâ fit, ut Deus dicatur homo, & viciſſim homo Deus, &c. 3°. denique, quia natura divina tanquam ſuperior, conjunctam ſibi humanitatem in uno Chriſti ſuppoſito regit, ac ſpecialem in eam dominatum exercet: atque inde, velut à fonte, fluit valor ille infinitus qui univerſas Chriſti actiones afficit, tum propter Verbi perſonam, quæ eſt

illarum actionum principium *quod*, & veluti pars satisfactionis Deo Patri oblatæ; tùm propter divinam naturam, quæ illarum actionum moderatrix est, unde vocantur *Theandricæ*, id est *Dei-viriles*. Jus illud ac dominium speciale Verbi in humanitatem Christi, vulgo adducunt SS. Patres, tanquam veram à priori rationem, cur una duntaxat sit in Christo persona.

Obj. 1°. Omnis actio habet aliquem terminum; atqui incarnatio, unitio, assumptio, voces sunt quæ actionem denotant, cujus terminus alius esse non potest, quàm unio ab extremis distincta. Quis enim ille foret? Verbum divinum? at per actionem transeuntem, qualis est incarnatio, non producitur. Corporis & animæ Christi productio? at talis actio unio non appellatur; sed vel creatio. vel generatio.

R. dist. maj. Omnis actio habet terminum, vel quem producat, vel ad quem tendat, C. quem semper producat, subdist. Si actio sit productiva C. si sit tantùm unitiva vel adductiva, N. Sicut ergo v. g. motus localis est actio, non productiva, sed adductiva tantùm ad locum; ità pariter actio quâ humanitas à Verbo assumitur in unitatem suppositi, non est productiva, sed unitiva tantùm. Porro terminus actionis unitivæ non est entitas de novo producta, sed est totum compositum ex partibus unitis conflatum.

Obj. 2°. Si verum est, humanitatem in Verbo subsistere, quia non ampliùs sui juris est, sed à Verbo regitur, à quo in humanas actiones pretium infiniti valoris defluit, sequitur neque Deo satisfecisse Christum, cujus humanitas jure sibi proprio spoliata fuit, neque consequenter liberas in eo fuisse humanitatis actiones, quæ juris alieni fuêre, non proprii: atqui utrumque istud consequens falsum & absurdum est.

R. neutrum sequi. Non 1. ideo enim e contra Christus divinæ justitiæ satisfecit, quia Verbum humanas ejus actiones ità dirigebat, ut valorem infinitum in eas influeret, cujus valoris per se incapax erat humanitas à Verbo sejuncta. Non 2. quia principium illarum actionum, sive *quod*, nempe persona, sive *quo*, nempe natura, liberrimum est. Et vero nonne voluntas creata actiones hominis dirigit, & in eas dominium suum exercet? attamen non minùs illæ liberæ sunt, quia nempe libera est voluntas à qua eliciuntur aut imperantur. Ità & de humanis Christi actionibus sentiendum.

ARTICULUS TERTIUS.

De proprietatibus hypoſtaticæ Unionis.

Circa proprietates unionis hypoſtaticæ præcipue inquirenda. 1°. An ſit in Chriſto naturalis, vel per gratiam; 2°. an facta ſit in natura, vel in perſona; 3°. an ſit unionum maxima; 4°. an ſit perpetua & indiſſolubilis. Sit

Conclusio. Unio hypoſtatica aliquo ſenſu naturalis eſt, aliquo per gratiam.

Prob. Nam 1°. ſi ſumatur naturale, quatenus opponitur ficto & umbratili, & eſt aliquid verum ac reale, unio hypoſtatica naturalis eſt, quia vera & realis, non fictitia, nec imaginaria.

2°. Si naturale dicitur, quod debitum eſt naturæ, & opponitur gratuito beneficio, utique unio hypoſtatica naturalis non eſt, quia gratuita eſt, nec ullis humanis meritis debita, adeoque ex pura Dei benignitate, qui mundum ſic dilexit, ut unigenitum Filium ſuum pro eo dederit. Cave tamen hic à doloſo Neſtorii ſenſu, qui unionem illam ſoli gratiæ ità tribuebat, ut vellet eam non eſſe ſubſtantialem & perſonalem, ſed moralem duntaxat & accidentalem; unde Chriſtum ſolummodo dicebat Deum per gratiam & adoptionem, non per naturam ac ſubſtantiam.

3°. Si naturale idem ſit ac neceſſarium quod opponitur libero, hoc ſenſu naturalis non eſt unio hypoſtatica, quia libera fuit, tùm ex parte Dei eam libere decernentis, tùm ex parte Verbi eam libere acceptantis: *Oblatus* enim *eſt quia voluit.*

Conclusio II. Unio hypoſtatica, non in natura, ſed in perſona proprie ac immediate facta eſt.

Prob. quia ſi unio immediate facta fuiſſet in natura divina, Pater & Spiritus ſanctus non minùs incarnati fuiſſent, quàm Filius; cùm natura divina una & eadem numero ſit in tribus divinis perſonis; atqui tamen, &c.

Conclusio III. Unio hypoſtatica eſt omnium maxima.

Prob. Dignitas & magnitudo unionis ſpectari poteſt, vel ex parte extremorum quæ conjunguntur, vel ex parte illius in quo conjunguntur: atqui ex utraque parte unio hypoſtatica eſt omnium maxima: 1o. ex parte extremorum realiter diſtinctorum, naturæ ſci-

licet divinæ, & naturæ humanæ. Eo enim major æstimari debet unio extremorum, quo extrema longiùs à se distant: sed Deus & homo infinito à se distant intervallo; ergo unio per quam duo hæc extrema in unum conveniunt, est maxima; 2°. ex parte illius in quo duæ conveniunt naturæ, nempe ex parte personæ verbi, unio pariter maxima est. Nihil quippe Verbo dignius cogitari potest: nihil etiam præstantius eo bono, quod humanitati accedit per sui cum Verbo unionem, quâ fit ut homo naturâ & substantiâ verus Deus evadat. *Tam evecta est natura humana*, inquit
T. 10. S. Augustinus, L. de prædest. SS. c. 15. *ut quo attol-*
p. 810. *leretur altius non haberet.*

E. Conclusio IV. Unio hypostatica est perpetua & indissolubilis: est de fide, tum contra Marcellum Ancyranum, qui docuit Christum post ultimum Judicii diem omni officio suo Mediatoris perfunctum, corpus & animam suam depositurum, quibus in nihilum redactis, regnum, quod ad hoc usque tempus occupaverat, Patri suo resignabit; tum contra Arianos, qui teste S.
T. 1. p. Gregor. Naz. Orat. 36, censuerunt, divinitatem, acce-
80. G. dente morte Christi, conterritam ità fuisse, ut ab ipso ante obitum recesserit.

Prob. Perpetua est unio cujus & substanta & proprietates sunt perpetuæ: atqui unionis hypostaticæ... Prob. min. Danielis 7. *Potestas ejus*, (Christi) *potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Lucæ 1. *Regni ejus non erit finis*, & Joan. 12. *Christus manet in æternum.* Hebr. 13. *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in secula*; & cap. 7.
T. 4. *Hic autem* (Christus) *eo quod maneat in æternum*,
Conc. *sempiternum habet sacerdotium.* Denique Psalm. 109.
p. 568. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum*, &c.

Accedit & definitio fidei in Concilio Chalcedonensi facta, ubi utraque natura dicitur concurrisse in eandem personam *indivisibiliter & inseparabiliter.*

Duo hic quæruntur, 1°. an cùm anima Christi ab ejus corpore triduo mortis separata est, Verbum deseruerit animam & corpus Christi; 2°. an sanguis Christi passionis ac mortis tempore effusus & à corpore sejunctus, habuerit sibi eo in statu hypostaticè unitam divinitatem.

R. 1°. Communis ac certa sententia est, triduo mortis Christi, Verbum divinum neque à corpore, neque ab anima recessisse.

Prob. 1°. ex fidei Symbolo, in quo Christus dicitur

mortuus, sepultus, & ad inferos descendisse, utique secundùm animam: Sed qui Christum dicit, divinitatem dicit cum humanitate, aut totâ simul, aut cum ejus partibus conjunctam; ergo in triduo mortis stetit divinitas saltem cum animâ: atqui stetit simul cum corpore; tum quia sola Verbi unio cum anima non facit Christum; tum quia scriptum est Psalmo 15. v. 10. & Act. 2. v. 27. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Unde autem ista corporis Christi corruptio? nisi ex insita ipsi ac permanente divinitate.

Prob. 2°. ex SS. Patribus. S. Augustinus Ep. 187. *Homo Christus*, ait n. 7. *illo die* (mortis) *secundum carnem in sepulchro, secundum animam in inferno futurus erat: Deus vero idem ipse Christus ubique semper est.* S. Leo, Serm. 17. de passione, *In tantam*, inquit, *unitatem Dei & hominis natura convenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* S. Joannes Damascenus, Lib. 3. de fide orthod. c. 27. *Quamvis*, inquit, *Christus ut homo mortem obierit, sanctaque ipsius anima ab immaculato corpore distracta sit: divinitas tamen à neutro; hoc est, nec ab anima, nec à corpore; quomodo sejuncta est.* Hæc tam aperta sunt, ut commentario non indigeant. Atque inde prodiit effatum in omnibus scholis celebre: *Quod semel Verbum assumpsit, nunquam dimisit.*

T. 2. p. 680. C.

T. 1. p. 292. c. 1.

T. 1. p. 251. A.

Qui in oppositam sententiam laudantur, ut Hilarius, Ambrosius, & alii quidam, vel, salvâ, quæ ipsis debetur reverentiâ, deserendi hic sunt, vel, quod satius esse videtur, interpretandi de separatione divinitatis ab humanitate ipso mortis Christi tempore, quoad singularem divinæ protectionis influxum; siquidem permisit Deus Christum turpissimæ morti addictum fuisse. Ità S. Ambrosium interpretatur Magister, Lib. 3. dist. 21. Ità & Hilarium doctissimi Benedictini, in præfixa ad Opera Hilarii Præfatione.

Quod spectat ad alterum quæstionis caput, non est hic sermo de illis sanguinis Christi particulis, quæ in quibusdam Ecclesiis asservari dicuntur, qualis à Dominicanis ostentatur inclusus in ampulla quam B. Magdalena, cùm Massiliam appulit, asportasse secum dicitur; quique, ut aïunt, quotannis in die Parasceves ebulliens apparet; qualis etiam jam diu Mantuæ ostenditur, multis illustratus miraculis, &c. Certe qui hasce sanguinis guttas, Christi esse piè credunt, fatentur eas hypostaticè cum Verbo unitas jam non esse. Quæstio igitur est de reliquo sanguine, quem fudit

Christus. Circa hunc autem gravis an. 1462. sub Pio II. S. Pontifice, orta contentio fuit Dominicanos inter & Franciscanos: negabant isti, triduo mortis effusum Christi sanguinem divinitati unitum permansisse; alii vero pugnaciter affirmabant. Per tres dies ipso præsente Papâ, magno animorum æstu, hinc & inde agitata fuit quæstio. Nihil à Pontifice tunc pronuntiatum, sed biennio post, Calendis Augusti, die ante obitum 15. editâ Constitutione, sub pœnâ excommunicationis litigantibus silentium imposuit, injunctâ lege, ne aliquâ erroris, aut alterius cujuslibet censuræ notâ, sese mutuo eam ob rem configerent, donec à sancta Sede res ea definita fuisset; sed adhuc sub judice lis est.

Spondanus ad an. 1461

Nobis pars affirmans sanior videtur: 1°. quia frequenter testatur Scriptura, nos pretioso Christi sanguine redemptos fuisse: at unde virtus illa, nisi ex unione ipsius cum Verbo? 2°. Testimonia SS. Patrum quæ superius adduximus, de sanguine non minùs, quàm de corpore & animâ intelligenda sunt; 3°. Sanguis Christi ab omni corruptione immunis fuit. Vera enim simpliciter est ista propositio, *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem*; 4°. Multi è SS. Patribus sanguinem, qui ex aperto Christi latere fluxit, salutarem ac vivificum appellant; ergo cum divinitate conjunctum supponunt; 5°. Gratis omnino supponit adversa sententia, adductum S. Joannis Damasceni effatum, *Quod semel Verbum assumpsit, nusquam dimisit*, de anima duntaxat & corpore debere intelligi, excluso sanguine: in corpore quippe vivente sanguis tùm nutritionis, tùm vitæ pars est non ignobilis, imo prorsus necessaria; 6°. huic sententiæ apertè favent Pius II. Clemens VI. Paulus II. quanquam fatendum sit, eos Pontificiâ autoritate nihil eam in rem statuisse.

Act. 1.

QUÆSTIO OCTAVA.

De extremis unionis, personâ Verbi assumente, & humanâ naturâ assumptâ.

MUlta hic expendunt Theologi, quæ cursim tangemus.

Quæres itaque 1°. an possit creata subsistentia alienam naturam assumere.

R. posse quidem assumere naturam sibi inferiorem, non vero superiorem, aut æqualem. Ratio est quia sub-

ſiſtentia naturam, quam aſſumit, aſſumendo complet ac perficit: porro natura inferior non poteſt ſuperiorem, imo nec ſibi æqualem, perficere ac complere. Ità non poteſt homo Angelum, vel alterum hominem in unitatem perſonæ aſſumendo perficere; ergo.

Quæres 2°. an natura divina, per ſe immediatè, & à relationibus præciſa, humanæ naturæ uniri poſſit.

R. negat. quia natura divina prout à relationibus præciſa, non haberet ſubſiſtentiam, ut patet ex terminis: ſed quod ſubſiſtentiam non habet, non poteſt facere ſubſiſtere; ergo nec poteſt uniri hypoſtaticè.

Quæres 3°. an plures divinæ perſonæ eandem ſimul humanitatem aut plures aſſumere poſſint.

R. poſſe. Si enim id repugnaret, vel ex parte divinarum perſonarum aſſumentium, vel ex parte naturæ creatæ aſſumptæ. Non 1. cùm tres divinæ perſonæ infinitam habeant ad terminandum virtutem: & reipsâ in myſterio SS. Trinitatis eandem numero divinam terminant eſſentiam. Non 2. ut enim eadem natura pluribus in locis conſtitui poteſt, ſic & pati poteſt unionem cum pluribus perſonis. At iis poſſibilium quæſtionibus immorari pudet, quos aliò graviora vocant. Sit itaque

---

ARTICULUS PRIMUS.

An Verbum divinum veram nobiſque conſubſtantialem naturam humanam aſſumpſerit.

NEgarunt tum Docetæ ſeu Phantaſiaſtæ, quibus corpus Chriſti non verum, ſed umbratile ac phantaſticum videbatur; tùm qui verum quidem illud corpus eſſe agnoſcebant, ſed ex Maria Virgine natum inficiabantur; tùm denique qui humanitatem Chriſti animâ, aut ſaltem mente ſpoliabant, rati Verbum divinum in Chriſto animæ ac mentis vices abundè ſuppleviſſe.

Conclusio. Verbum divinum veram nobiſque conſubſtantialem humanitatem ex Maria Virgine aſſumpſit.

Prob. 1°. ex Scripturis. Iſaïæ 7. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Cujus prophetiæ complementum refert S. Lucas c. 1. *Ecce concipies in utero & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum*, &c. Matth. 2. *Cùm natus eſſet Jeſus in Bethleem Judæ in diebus Herodis Regis.* Inde S.

Paulus, Galat. 4. v. 4. Chriſtum vocat *factum ex muliere*: atqui omnia hæc verum hominem deſignant. An enim hominis phantaſtici nativitas, familia, tempus, ac modus nativitatis tam accuratè deſcribi potuiſſent? An natus ex Maria Chriſtus diceretur, ſi caro ejus è Cælo delapſa, per Mariam ut per merum canalem duntaxat tranſiiſſet? Adde & omnes vitæ mortalis Chriſti circumſtantias. Circumciditur; parentibus ſubditus eſt; patrat miracula; lacrymas fundit; flagellis cæditur; cruci affixus moritur. An hæc omnia totidem fuêre ſenſuum noſtrorum ludificationes, & ab homine umbratili ac phantaſtico factæ præſtigiæ? Quis ſui compos credat?

Confirm. Chriſti Genealogiam texuêre Matthæus c. 1. & Lucas c. 3. Inde Apoſtolus, Rom. 1. ait, *Filium Dei factum eſſe ex ſemine David ſecundum carnem.* An vero hominis phantaſtici genealogia tantâ curâ deſcribitur? An à parentibus originem habet, qui aëreum corpus ſibi finxit? &c. Certè hujuſce momenti pondere oppreſſi Manichæi, hanc Scripturæ partem expungere coacti fuerunt.

Prob. 2°. Theologicis SS. Patrum rationibus. Et quidem, 1°. ſi Chriſtus verè ac ſubſtantialiter homo non eſſet, nihil foret diſcriminis inter Incarnationem Dei noviſſimis temporibus factam, & modum, quo Patriarchis in Lege veteri apparuiſſe legitur: atqui diſcrimen iſtud exponit ipſe Apoſtolus, Hebr. 1. *Multifariam multiſque modis*, ait, *olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè, diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*, &c.

2°. Chriſtum verè paſſum hinc patet, quod nos ad ærumnas ac labores hujus vitæ patienter tolerandos exemplo ſuo adhortatur: atqui niſi prior ipſe ærumnis ſubditus fuiſſet, mendaciter impoſuiſſet nobis; unde concludit S. Irenæus, nos ſupra Magiſtrum futuros, qui verè, non fictè, ut Chriſtus, patimur & affligimur.

3°. Suprema veritas nec falli poteſt, nec fallere: atqui ſi Chriſtus phantaſticum corpus aſſumpſiſſet, nos induxiſſet in errorem; quia mundo toti perſuaſiſſet ſe id eſſe quod non erat.

Obj. 1°. Philipp. 2. Chriſtus factus dicitur in *ſimilitudinem hominum*, & *habitu inventus ut homo*; & Rom. 8. Deus *Filium ſuum miſit in ſimilitudinem carnis peccati*; ergo ſicut Chriſtus vere peccati carnem non aſſumpſit, ità nec veram carnem, ſed tantùm apparenter ſimilem.

R. nego conſeq. Duplex eſt ſimilitudo: una externæ tantùm apparentiæ; altera, internæ veritatis. Priori modo Chriſtus dicitur factus in ſimilitudinem carnis peccati, quia caro ejus exteriùs videbatur caro peccati, tametſi reipsâ puriſſima foret ſecundùm id Luc. 1. *Quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Poſteriori modo Adam genuiſſe dicitur Seth *in ſimilitudinem ſuam*: hoc eſt, ſibi plane in natura ſimilem. Hoc ſenſu Apoſtolus dixit Chriſtum *factum eſſe in ſimilitudinem hominum*; id eſt, vere & quoad ſubſtantiam ſimilem nobis fuiſſe: *qui cum in forma Dei eſſet ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Nomine autem formæ natura ipſa ſeu ſubſtantia tum divina, tum humana intelligitur. **Gen. 5.**

Obj. 2°. Joan. 3. Chriſtus ait: *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in Cœlo*; & I. Cor. 15. *Primus homo de terra, terrenus; ſecundus homo de cœlo, cœleſtis.* Unde ſic: Corpus de Cælo delapſum, non eſt vere natum è Maria: atqui ex Joan. 3. corpus Chriſti è Cælo delapſum eſt: neque enim Deus, utpote ubique diffuſus, e Cælo deſcendere poteſt. Deinde Apoſtolus corpus Chriſti opponit terreno: atqui ſi eſſet de Virgine, terrenum foret.

R. neg. min. & dico Chriſtum de Cælo deſcendiſſe, non ratione corporis, ſed 1°. ratione divinæ Verbi perſonæ; non quidem per motum localem, quaſi Cælum aliquando deſeruerit; ſed per aſſumptionem humanæ noſtræ naturæ, qui modus deſcensûs, ſumma eſt Verbi demiſſio & exinanitio; 2°. ratione conditionis vitæ, quæ tota cæleſtis fuit innatâ ſanctitate. Ad hunc ſenſum reſpexiſſe videtur Apoſtolus: unde colligit, Chriſtum ejuſque diſcipulos ſpiritalia ſectari, homines vero ex Adamo progenitos, mundana & terreſtria; ac concludit: Igitur *ſicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis.* **1. Cor. 15. v. 49.**

ARTICULUS II.

Utrum Angelica natura potuerit à Verbo aſſumi.

NAturam angelicam perinde ac humanam à Verbo aſſumptam fuiſſe, nonulli, de quibus Tretullianus, Lib. de Carne Chriſti, exiſtimaſſe videntur.

Origenes, referente S. Hieronymo, Epiſt. ad Avitum, cenſuit Chriſtum etiam in aëre, & in ſupernis locis aliquando paſſurum pro dæmonum ſalute.

Verùm hujusmodi figmentis aperte contradicit Apostolus, Hebr. 2. v. 16. *Nusquam*, inquit, *Angelos apprehendit*, *sed semen Abrahæ apprehendit*.

Conclusio. Verbum potuisset naturam angelicam sibi in unitatem suppositi unire. Quare vero eam non assumpserit, certo definiri non potest.

Prob. 1. pars, quia non magis repugnat angelicam naturam à Verbo assumi, quàm humanam; imo major, si dicere fas est, videtur esse repugnantia ex parte humanæ, quàm angelicæ naturæ.

Prob. 2. pars, quia eorum quæ à libera Dei voluntate unice pendent, nulla certa ratio reddi potest.

Conjecturis igitur hic indulgendum; eæ vero sunt, 1°. quia gravior fuit Angelorum culpa, quàm hominum. *Tanto*, aït S. Augustinus, Tr. 118. in Joan. *damnabilior eorum judicata est culpa*, *quanto erat naturâ sublimior*; 2°. quia licet & Angelus & homo superbiâ lapsus fuerit, superbiæ Angelorum accessit invidia, ex qua Angeli homines ad peccandum impulerunt. *Serpens*, id est dæmon sub specie serpentis, *decepit me*, inquiebat Eva, Gen. 3. v. 13.

T. 5. part. 2 p. 779. B.

ARTICULUS III.

De ordine quo humnitas à Verbo assumpta fuit.

Sensus quæstionis est, 1°. an humanitas à Christo assumpta, aliquâ suî parte priùs tempore perfecta extiterit, quàm unita Verbo; 2°. an caro mediante animâ assumpta sit.

Adversus primum errarunt Origenes & Nestorius. Iste Christum priùs extitisse hominem perfectum, tum essentiâ, tum personâ, quàm à Verbo assumeretur: ille priùs creatam ejus animam, quæ suis bonis operibus meruit hypostaticam cum Verbo conjunctionem, existimavit. De secundo disputant Scholastici. Sit

Conclusio I. Humanitas quo instanti concepta est, assumpta fuit à Verbo.

Prob. 1°. quia sententiam Origenis de præexistentia animarum, speciatim vero præexistentiam animæ Christi damnat Justinianus Imperator, in Epistola ad Mennam, quam à Vigilio S. Pontifice approbatam fuisse testatur Liberatus. Anathematismi secundi hæc verba sunt: *Si quis dicit aut sentit Domini animam prius extitisse; atque unitam fuisse Deo Verbo ante incarnationem & generationem ex Virgine, anathema sit*,

T. 5. Conc. p. 578. E.

De hoc ipso errore loquitur S. Joannes Damascenus L. 4. de fide orthod. cap. 6. *Non*, inquit, *quemadmodum quidam falsè prædicant, mens ante carnem ex Virgine assumptam, Deo Verbo copulata est, & jam tum Christi nomen accipit. Commentum enim hoc inter Origenis deliramenta recensetur, qui animas corporibus esse vetustiores docuerit.*

Prob. 2°. ex SS. Patribus. S. Augustinus Enchir. *T.* 6.
c. 36. *Ex quo*, inquit, *esse homo cœpit, non aliud cœ-* *p.* 210.
pit esse homo, quàm Dei Filius. S. Cyrillus Alexand. D.
Epist. 2. ad Nestorium, ait: *Non enim primo vulgaris* *T.* 3.
quispiam homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Ver- *Conc.*
bum deinde sese dimiserit, sed in ipso utero carni uni- *p.* 310.
tum secundum carnem progenitum dicitur, utpote suæ A.
carnis generationem sibi ut propriam vindicans. S. Leo, *T.* 1. *p.*
Ep. 25. *Natura nostra non sic assumpta est, ut prius* 48. 1.
creata post assumeretur; sed ut ipsâ assumptione crea- *c.* 3.
retur.

Prob. 3°. ratione. Anima Christi ejusdem fuit cum nostrâ conditionis: atqui anima humana non priùs creatur, quàm infundatur corpori; sed infundendo creatur, creando infunditur. Hoc unum discrimen occurrit, quod in humanâ & ordinariâ generatione, paulatim & quasi per gradus organa aptè conformantur; Christi vero corpus, operante Spiritu sancto, statim & præparatum & perfectum fuit.

Conclusio II. Verbum divinum carnem assumpsit animâ mediante; adeoque priùs prioritate naturæ aut quasi naturæ, assumpta est anima, quàm caro.

Prob. ex Patribus. S. Gregorius Nazianz. Orat. 1. *T.* 1. *p.*
Deus animæ interventu, carni junctus est: & Orat. 35. 11. C.
Per intermediam mentem, ait, *Verbum cum carne con-* *Ibid.*
junctum est. S. Ambrosius, Tract. de Trinit. c. 3. *Ver-* *p.* 575.
bum, inquit, *& substantia Dei quæ per omnia incorpo-* A.
rea est, corpori humano inseri non poterat, nisi aliquâ *T.* 2.
spiritali naturâ mediante, id est animâ. S. Augustinus *append.*
Epist. 137. *Ipsa* (Deitas) inquit, *animam rationalem,* *p.* 330.
& per eandem etiam corpus humanum totumque omni- B. C.
no hominem sibi coaptavit, & Ep. 140. c. 4. *Verbum*, *T.* 2. *p.*
ait, *particeps carnis effectum est rationali animâ me-* 405. B.
diante. *Ib. p.*
Idem suadet ratio: 1°. enim Divinitas ex sese veri- 426. B.
tas est, sapientia, sanctitas: atqui caro immediate ac per se incapax est veritatis, sapientiæ & sanctitatis; 2°. Vis tota Incarnationis divinæ sita est in altissima

divinitatis in naturam assumptam immeatione: atqui hæc deitatis immeatio in carnem, vix intelligi potest sine interventu animæ spiritualis.

An autem absolute fieri non potuerit, ut divinitas carni soli uniretur, sicut carni soli in triduo mortis unita est, aut anima nostra corpori immediate unitur, aliis discutiendum relinquimus.

QUÆSTIO NONA.

De consectariis Unionis hypostaticæ.

PRæcipua unionis hypostaticæ consectaria esse videntur; 1°. duæ in Christo voluntates & operationes; 2°. idiomatum communicatio; 3°. & species quædam compositionis in Christo.

ARTICULUS PRIMUS.

An sit in Christo duplex Voluntas & duplex Operatio.

NEgare debuerunt Eutychiani, quibus una erat in Christo natura. Negarunt & Monothelitæ, quorum error circa annum Christi 629. vel 630. exortus est, autore Athanasio Jacobitarum Patriarchâ. Sergius, in Epistolâ ad Honorium S. P. unam Christi voluntatem hinc repetere videtur, quod sola divinitas in Christo ageret, humanitas vero esset velut quoddam passivum instrumentum. *Operatur quippe*, ait, *verè deitas per corpus..... ut sit carnis quidem passio, Dei autem operatio.*

T. 6. *Conc.* *p.* 925. A.

Paulus vero CP. præcipuus erroris Monothelitarum assertor, in Epistola ad Theodorum S. Pontificem, fingit se eâ præcipuè de causa, unam, non duas in Christo voluntates propugnare, *nè*, inquit, *contrarietatem aut differentiam voluntatum uni eidemque personæ Domini nostri Jesu Christi applicemus.... aut duos volentes introducamus.* Addit posteà, *ex unicâ voluntate in Christo*, non sequi *naturarum confusionem.* Ex quo facile intelliges non omnes Monethelitas Eutychiano errori addictos fuisse.

Ib. p. 226. E.

Conclusio. Duplex fuit in Christo voluntas & operatio.

Prob. 1°. ex Scripturis. Matth. 26. *Pater mi*, aït Christus, *si possibile est, transeat à me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Joan. 6. *De-*

scendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me: atqui voluntas illa Christi quæ mortem à Patre præceptam aversabatur, humana fuit, non divina; siquidem, ut una est in tribus divinis personis essentia, ità & una voluntas; unde S. Gregorius Nyssenus in Libro contradictionum contra Apollinarem: *Igitur*, inquit, *alia est humana voluntas, & alia divina... Qui enim dixit*: Non mea, *humanam hoc sermone significavit. Addens vero*, Tua, *ostendit conjunctionem suæ deitatis ad Patrem, cujus nulla voluntatis est differentia propter communitatem naturæ. Nam Patris dicens, voluntatem etiam Filii demonstravit.* Idem docent S. Athanasius Lib. de Incarn. n. 21. Ambrosius Lib. 10. in Lucam, &c. T. 6. Conc. p. 796. B.

Confirm. Philipp. 2. Christus *factus est obediens usque ad mortem*: atqui virtus obedientiæ in Christum, quatenus Deus est, cadere non potest. Obedientia quippe superiorem indicat, cui subjectus est ille qui obsequitur: sed Deus nullum supra se agnoscit. Ità S. Maximus.

Ad hæc ex divinis Scripturis argumenta accedunt & invicta rationum momenta, quæ ex ipsâmet Mysterii, de quo agimus, naturâ erumpunt. T. 2. p. 106.

Prima ratio petitur ex duplici, eâque perfectâ & distinctâ naturâ, divinâ & humanâ, quâ Christus constat; unde sequitur, naturam quamlibet suas habere inconfusas proprietates; imo non aliunde melius ostenditur naturas confusas non esse, quàm ex proprietatibus quæ impermixtæ remanent & inconfusæ. Hinc S. Joannes Damascenus, Lib, 3. de fide orthodoxâ, c. 15. *Cum itaque*, ait, *duæ in Christo naturæ sint, duas quoque in eo actiones dicere necesse est. Quorum enim diversa natura est, horum quoque dispar est actio.* T. 1. p. 132. A.

II. Verbum id assumpsit, quod sanavit; atqui voluntatem nostram depravatam sanavit: *Si non assumpsit humanam voluntatem*, ait S. Joan. Damasc. Orat. de duabus Christi voluntatibus, *remedium ei non attulit, quod primùm sauciatum erat. Quod enim assumptum non est, nec est curatum, ut ait S. Gregorius Theologus: Ecquid enim offenderat, nisi voluntas?* T. 1. p. 544. B.

Denique, judicio Ecclesiæ totius proscriptus est Monothelitarum error in Concilio VI. generali Act. 18. his verbis: definimus *duas naturales voluntates in Christo, & duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfusè secundum SS. Patrum doctrinam prædicandas,* p. 1025. B.

Obj. 1°. S. Athanasium, Lib. de salutari adventu Christi, ubi ait, Christum, *fuisse sine carnalibus voluntatibus & cogitationibus humanis, quia solius divinitatis voluntas in eo fuit.* R. dist. Fuit sine carnalibus voluntatibus quantùm ad naturam & entitatem, N. quantùm ad regimen ac directionem, C. divinitas quippe Christi, tanquam totius suppositi domina omnes humanitatis actiones regebat ac moderabatur.

Obj. 2°. S. Cyrillum, L. 4. in Joan. ubi affirmat Christum, *unam quamdam cognatam operationem per ambas naturas ostendisse*: sed ubi est una operatio, una est voluntas.

R. dist. *unam cognatam operationem*, tùm ratione personæ agentis, tùm ratione intimæ conjunctionis utriusque naturæ, quâ fit ut omnes actiones Christi sint Deiviriles ac Theandricæ, C. unam ratione suî præcise, N. Imo statim ut actio Deivirilis dicitur, duplex innuitur ejus principium, utraque scilicet Christi natura, divina & humana.

Obj. 3°. Ubi una est persona operans, ibi una est operatio: ex vulgari quippe axiomate, *Actiones sunt suppositorum*: atqui in Christo unica est persona; ergo & unica operatio.

R. neg. maj. Si enim ubi est una persona operans, ibi unica est operatio; ubi sunt tres personæ, tres quoque operationes admittendæ forent: atqui postremum illud falsum esse, vel ipso mysterio SS. Trinitatis aperte demonstratur, in quo tres sunt personæ realiter distinctæ, & una ad extra operatio; igitur operatio & vis operandi non sequitur personam, sed naturam, quæ dicitur & est principium *quo* elicitivum operationum; ergo cùm duplex sit in Christo natura, duplex est & operatio. Quapropter *Actiones sunt suppositorum*, non quidem elicitive, sed denominatione & attributione, quia supposito tribuuntur, à quibus denominatur agens.

Inst. Humanitas in Christo est duntaxat instrumentum divinitatis: sed instrumentum non habet operationem propriam & distinctam ab operatione causæ principalis. Ità calamus in manu scribentis, unice sequitur motum sibi à scribente impressum.

R. dist. maj. Humanitas in Christo est instrumentum conjunctum & activum, C. separatum & mere passivum, ut volebant Monothelitæ, N.

Quærunt hìc Theologi, quæ fuerit mens Honorii circa Monothelitarum errorem: an ipsi ex animo ad-

hæserit, an tantùm faverit silentio. Verùm quæstionem hanc expendemus in Tract. de Ecclesia.

ARTICULUS SECUNDUS.

De communicatione Idiomatum in Christo.

Idiomatum communicatio est reciproca nominum, attributorum & proprietatum naturæ utriusque in Christo prædicatio & communio in concreto, ratione unius Christi personæ. Quam definitionem ut intelligas.

Not. 1°. nomina alia esse abstracta, quæ formam significant sine subjecto, ut divinitas, humanitas; alia concreta, quæ formam simul & subjectum exprimunt, ut *Deus*, *Homo*: *Deus* quippe idem est quod habens divinitatem, &c.

Not. 2°. nomina alia esse concreta substantiva, quæ substantiam ipsam exprimunt, ut *Homo*, *Deus*; alia adjectiva, eaque vel ex substantivis derivantur, ac participationem quamdam substantiæ denotant, ut *humanus*, *divinus*; vel, proprietates, actiones, aut passiones innuunt, ut *natus*, *passus*, *mortalis*.

Not. 3°. circa communicationem idiomatum errare Nestorianos & Lutheranos. Nestorius, rejecta unione hypostatica utriusque naturæ, consequenter rejecit idiomatum communicationem; etiam in concreto & respectu personæ: unde ferre non poterat, Deum dici bimestrem vel trimestrem, natùm, passum, &c. Lutherani contrà, non omnes tamen, in extremum errorem lapsi, communicationem idiomatum, etiam in abstracto & respectu naturæ, admittunt. Scilicet existimant illi, aliquas naturæ divinæ proprietates in humanam naturam vere transfusas fuisse, v. g. immensitatem, ubiquitatem seu ubique præsentiam, omnipotentiam, omniscientiam. Atqui hinc *ubiquitatum* nomen sortiti sunt. Sit

Conclusio I. Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto, seu respectu personæ.

Prob. Ex dictis unica est in Christo persona in duabus naturis: atqui eo ipso constat veras esse istas propositiones, *Deus est homo*, *Homo est Deus*: *Deus mortuus est*, *Homo est immortalis*: sicut quia in persona Petri uniuntur anima & corpus, recte dici potest, *Petrus est corporeus & animatus*; *Corporeum est animatum*, *Animatum est corporeum*, &c.

Verùm ne hic irrepat error, ut fieri facilè poteſt, quaſdam ſanciemus regulas.

REGULA I. Nomina concreta ſubſtantiva, id eſt, quæ naturam ipſam, ſive divinam, ſive humanam, earumque proprietates exprimunt, de Chriſto prædicari poſſunt: unde veræ ſunt iſtæ propoſitiones, *Deus eſt mortalis*, *Homo eſt immortalis*. Ratio eſt, quia prædicatio vera eſt, quoties ſubjectum & prædicatum veram habent unitatem & identitatem: atqui concreta ſubſtantiva, v. g. divina & humana natura, unitatem habent perſonæ in Chriſto, ac intime uniuntur; ergo.

Huic tamen regulæ triplex adhibenda limitatio.

I. Ut nomina ſubſtantiva, ſuppoſitum creatum non inferant: ſic dici non poteſt, *Homo factus eſt Deus;* ſicut merito dicitur, *Deus factus eſt homo.* Ratio eſt, quia in priori propoſitione, vox *homo* ſuppoſitum denotat humanum; ac ſenſus eſt, Humana perſona, id eſt. homo, factus eſt Deus, qui error Neſtorii fuit. In poſteriori vero propoſitione, vox *Deus* ſuppoſitum divinum exprimit, de quo verum dictu eſt, Deus factus eſt homo, ſeu, Verbum caro factum eſt.

II. Ut nulla fiat reduplicatio. Hujus conditionis defectu falſæ ſunt iſtæ propoſitiones; *Chriſtus quatenus Deus, homo eſt, natus eſt*: item, *Chriſtus quatenus homo, Deus eſt, immenſus, &c.* Ratio eſt, quia particula reduplicativa *quatenus*, ipſam naturam afficit, non perſonam; ac ſenſus eſt, Chriſtus ratione naturæ divinæ homo eſt, &c.

III. Ut propoſitio, tametſi aliunde vera, errori tamen favere non videatur: atque ità licet è Veteribus nonnulli Chriſtum aliquando creatum, vel creaturam appellaverint, non tamen ſimpliciter ac nude admittenda eſt iſta propoſitio, *Chriſtus eſt creatura*; quia errori Arianorum faveret. Et vero prædicata ſubſtantiva quæ aliquem naturæ defectum important, ac perſonæ non minùs quàm naturæ poſſunt imputari, ſimpliciter de Chriſto pronuntianda non ſunt, ſed factâ quâdam reſtrictione: aliàs defectus aliquis de ipſa perſona Chriſti enuntiaretur. Dicatur ergo, *Chriſtus ratione humanitatis eſt creatura; Homo ratione perſonæ Verbi cui hypoſtaticè conjungitur, eſt immortalis, &c.* Non ità eſt de prædicatis, quæ proprie ac primario naturæ conveniunt, perſonæ vero denominative, quales ſunt propoſitiones iſtæ, *Chriſtus eſt paſſus, mortuus.* Ratio eſt, quia actiones & paſſiones propriæ ſunt naturæ, denominative autem, perſonarum ſeu ſuppoſitorum.

Dices: Licet anima rationalis intime corpori conjuncta sit, ex illa tamen unione non resultat idiomatum communicatio inter animam & corpus: neque enim dici potest, *Homo est anima*, aut *anima est homo*.

R. disparitatem esse, quia anima & corpus duæ sunt partiales & incompletæ substantiæ, quæ simul unitæ unam integram & totalem efficiunt hominis naturam: neque enim homo est aut anima sola, aut solum corpus; unde vera esse non potest inter animam & corpus idiomatum communicatio. At natura divina & humana in Christo partiales non sunt & incompletæ naturæ, ex quarum unione una totalis & integra resultet natura, sed duæ sunt naturæ perfectæ in unâ Verbi personâ conjunctæ; ex qua unione sequitur mutua & reciproca idiomatum communicatio.

Regula II. Concreta adjectiva substantialia, quæ substantiam designant, non possunt prædicari de Christo, secùs concreta adjectiva, quæ significant proprietates naturæ divinæ aut humanæ. Siquidem concreta adjectiva ea dicimus, quæ nominibus adjectivis, id est, formam quasi adjacentem significantibus, exprimuntur. Illa autem forma vel pure accidentalis est, ut cùm albus dicitur, vel substantialis, ut cùm dicitur *humanus*, *dominicus*, *divinus*; vel aliquas naturæ proprietates significat, ut cùm aliquis mortalis, vel immortalis dicitur. Porro hujusmodi concreta non bene prædicantur de Christo: atque ità probandæ non sunt propositiones istæ, *Christus est homo dominicus*, *est homo deificatus*, *deifer*, *&c.* quia hujuscemodi propositiones in sensu Nestorii à SS. Patribus damnatæ fuerunt; (quanquam ab aliquibus, sive ante hæresim Nestorii, cùm nullus aderat hostis, sive post, adjectâ nempe aliquâ explicatione, usurpatæ fuerint.) Et vero ejuscemodi concreta adjectiva innuere videntur formam accidentaliter tantùm supposito unitam esse; unde dictarum propositionum hic sensus videretur esse; Christus naturam divinam unione tantùm morali & accidentali sibi copulatam habet; ut à simili patet in hac propositione: *Plato est homo divinus*.

Concreta vero adjectiva quæ significant proprietates divinæ, vel humanæ naturæ, de Christo prædicari possunt. Ità legitime dicitur, *Christus est æternus & temporalis*, *finitus & infinitus*, *mortalis & immortalis*. Ratio est, quia prædicata illa denominative in recto significant suppositum, quod illorum attributo-

rum, propter hypostaticam naturæ utriusque conjunctionem, unum est subjectum.

Regula III. Nomina abstracta naturæ divinæ de Christo identice dici possunt, non item nomina abstracta naturæ humanæ. Ratio est, quia persona Verbi est quid idem identice cum natura divina, non vero cum natura humana. Sic de persona Verbi potest dici sensu identico, *Est divinitas*, *est omnipotentia*: non autem, *est humanitas*, *est mortalitas*.

Regula IV. Nomina abstracta unius naturæ non possunt de altera prædicari. Sic dici non potest, *Divinitas est humanitas*; *aut Humanitas est divinitas*. Ratio est, quia naturæ ipsæ distinguuntur, sicut & illarum proprietates. Nihilominùs cùm abstracta non raro pro concretis usurpentur, hinc S. Joannes aït, *Verbum factum esse carnem*; & vicissim cùm nomen concretum aliquándo pro abstracto sumatur, nonnulli è Veteribus dixerunt Verbum assumpsisse hominem, id est, humanitatem, non vero humanam personam.

Regula V. Proprietates naturæ utriusque in Christo, nec de se invicem, nec de naturis in abstracto prædicari possunt. Ratio est, quia distinctæ sunt naturarum proprietates, sicut & natura ipsa: sicut ergo dici non potest, *Divinitas est humanitas*, ità nec dici potest, *Divinitas est passibilis*, *Humanitas est impassibilis*, *æterna*, *immensa*, &c. Hinc fit.

Conclusio II. Non est admittenda communicatio idiomatum in abstracto, proprietatum naturæ divinæ respectu humanæ; multo minùs proprietatum naturæ humanæ respectu divinæ. Unde prorsus falsæ sunt istæ propositiones Lutheranorum, *Humanitas Christi est ubique*, & *omnipotens*, &c.

Prob. 1°. ex Scriptura, quæ docet humanitatem Christi ubique non fuisse; sed certo loco, quantùm ad corpus, addictam, sive in statu exinanitionis, sive in statu gloriæ. Et quidem 1°. Scriptura significat Christum ante mortem ubique non fuisse, sed de loco in locum transiisse. Joan. 11. v. 15. Christus dicebat: *Lazarus mortuus est*; & *gaudeo propter vos ut credatis*, *quoniam non eram ibi*. Matth. 28. *Jesum*, *qui crucifixus est*, *quæritis*: *non est hîc*, *surrexit*. Joan. 10. *Exivi à Patre*, & *veni in mundum*; 2°. neque etiam in statu gloriæ, & exaltationis Christus corporaliter ubique est, sed in Cælo. Joan. 17. *Jam non sum in mundo*, ait Christus: hoc est, Brevi discessurus sum à mundo. *Relinquo mundum*, ut mox dixerat, & *vado ad Patrem*. Act.

3. *Quem* (Christum) *oportet cœlum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium.*

Prob. 2°. ex SS. Patribus quorum in re perspicuâ instar sit Aug. in Ep. 187. cap. 3. ubi sic loquitur n. 10. *Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus.* T. 2. p. 186. B. *Cavendum enim est, nè ità divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ità sit ubique ut Deus... Ubique est per id quod Deus est: in Cœlo autem, per id quod homo.*

Prob. 3°. quia pugnat ubiquitatis doctrina cum multis fidei nostræ articulis; cum nativitate Christi ex utero B. Virginis; cum ejus morte, sepulturâ, ad inferos descensu, resurrectione à mortuis. Quippe si ubicumque Verbum est, ibi est Christi humanitas, quomodo ex utero B. Virginis in lucem exire potuit? Quomodo mortuus, si anima semper cum corpore perinde ac cum Verbo unita fuit? Quomodo jacuit in sepulchro corpus exanime, cùm totus ibi Christus foret? Quomodo descendit ad inferos, ubi jam erat? ascendit in Cælum, quod non deseruerat?

Prob. 4°. ratione. Aut omnes divinæ naturæ proprietates possunt humanitati communicari, aut nullæ: atqui nè Lutherani quidem concedunt, omnes divinæ naturæ proprietates communicari posse; neque enim dicere audent humanitatèm esse æternam; ergo.

Et certè non magis proprietates divinæ possunt homini communicari, quàm humanæ Deo: atqui fatentur Lutherani, proprietates humanas, v. g. passibilitatem, mutabilitatem, &c. Deo convenire non posse; ergo fatentur necesse est, divinas proprietates humilitati communicari non posse.

Obj. 1°. Tam immensitas, omniscientia, & omnipotentia humanitati Christi communicari potuerunt, quàm aliæ divinitatis proprietates: atqui aliæ, &c. Siquidem Coloss. 2. de Christo Apostolus ait: *In quo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter.* Et Christus ipse, Matth. 28. declarat *sibi datam esse omnem potestatem in Cœlo & terra.* Ibidem c. 22. Christus *sedet ad dexteram Dei:* sed dextera Dei ubique est; ergo Christi humanitas ubique est. Unde rursùs c. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

R. neg. min. Siquidem falluntur aut fallunt Lutherani, quod quæ Christo in concreto seu personaliter tribuit Scriptura, ii humanitati Christi abstractè consi-

deratæ tribuant. Nullus autem Catholicorum negavit unquam, quin proprietates divinæ naturæ Christo homini abundè communicatæ fuerint, *in quo sunt abscon-* Coloss. 2. *diti omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei*, ob intimam unionem naturæ utriusque in Christo. Unde

Ad 1. *Plenitudo divinitatis corporaliter*, id est vere, non per meram assistentiam, in Christo inhabitat. Sed quid inde in gratiam ubiquitatis humanitati Christi concessæ?

Ad 2. De Christi personâ hic sermo est, non de humanitate: *Data est mihi omnis potestas*; non ait, humanitati meæ. Quanquam si diceret, apertus esset sensus; datam nempe eam omnem potestatem, cujus illa capax est: majorem quidem comparate ad nos, sed tamen finitam, pro conditione subjecti.

Sap. 3. Ad 3. Animæ Justorum dicuntur esse *in manu Dei*. An inde concludes eas ubique esse? Christus igitur ratione suppositi sedet ad dexteram Dei, non præcisè ratione humanitatis; vel si ratione humanitatis, sedet ut sedere potest substantia, quæ cum finita sit, ubique esse non potest.

Ad 4. Promittit Christus se Pastoribus Ecclesiæ adfuturum non præsentiâ corporali, sed auxilio & protectione; unde fit ut adversus Ecclesiam portæ inferi prævalere nunquam possint.

Obj. 2°. Verbum divinum est ubique: atqui Christus est Verbum divinum; ergo Christus est ubique.

R. vitiosum esse istum syllogismum in quo plures sunt quàm tres termini. In majori quippe propositione, *Verbum* supponit pro sola natura divina: in minori vero, *Christus* duplicem includit naturam, divinam & humanam; secundum divinam, seu prout Deus est, ubique est, non vero quatenus est homo. Unde dist. min. Christus est Verbum incarnatum duplici constans naturâ, C. non incarnatum, N.

Obj. 3°. Eorum quæ intimo nexu uniuntur, unum sine alio esse non potest: atqui Verbum & humanitas intimo nexu uniuntur; ergo unum sine alio esse non potest: at Verbum ubique est; ergo & humanitas.

R. 1°. Retorqueo argumentum contra Lutheranos. Eorum quæ intime uniuntur, unum non potest esse æternum, impassibile, immortale, quin aliud similiter æternum sit, impassibile & immortale: atqui Verbum unitum humanitati, æternum est, impassibile, immortale; ergo similiter & humanitas æterna est, &c

R. 2°. dist. maj. Eorum quæ intime uniuntur, u

num non potest esse sine alio, si intime & adæquate uniuntur, ità ut unum alio latius non pateat, C. si intime uniuntur, sed non adæquate, quia unum alio latius patet, N. Sic oculus & anima intime uniuntur; nec tamen oculus est ubicumque est anima. Porro, divinitas longe latius extenditur quàm humanitas; unde Augustinus paulo ante laudatus: *Non est*, **inquit**, *consequens; ut quod in Deo est, ità sit ubique ut Deus.*

ARTICULUS III.

An Christus dici possit compositus, &c.

COmpositio duplex, una quæ fit ex partibus proprie dictis, incompletis, & de se ordinatis, ad totum aliquod efficiendum; quarum partium una se habet per modum actûs, alia vero per modum potentiæ: hoc modo homo componitur ex anima & corpore, tanquam materiâ & formâ. Altera compositio fit ex distinctorum unione. Prior dicitur compositio *ex his*, altera compositio *cum his*, seu compositio per modum numeri; numerus enim multitudinem importat unitatum. Sit

Conclusio I. Christus compositus non est eâ compositione, quæ fit ex partibus incompletis proprie dictis, &c.

Prob. 1°. ex S. Augustino, L. 2. contra Maximinum, c. 10. *Christus*, inquit, *una persona est geminæ substantiæ, quia & Deus & homo est. Nec tamen Deus pars hujus personæ dici potest: alioquin Filius Dei Deus, antequam susciperet formam servi, non erat totus, & crevit cum homo divinitati ejus accessit.* Unde *T.* 8. *p.* 698. B.

Prob. 2°. Compositio proprie dicta fit ex partibus de se ordinatis ad compositionem totius, extra quod sunt incompletæ: atqui Christus non exurgit ex partibus hujuscemodi. Verbum enim nec magis quàm Pater, ordinatur ad humanitatem, nec ab eâ completur; ergo.

Conclusio II. Christus dici potest compositus, eâ compositionis specie quæ fit per modum numeri.

Prob. tum quia Patres compositionis sic intellectæ nomen non refugerunt, cum de Christo actum fuit, ut patet ex Concilio V. œcumenico, Collat. 8. Anathematismo 4. tum quia ad hanc compositionem sufficit distinctorum unio: atqui sunt in Christo duæ naturæ *distinctæ* in unâ Verbi personâ; ergo. *T.* 5. *Conc.* *p.* 570. D.

Quæres 1°. an dici possit Christum unam habere naturam ex duabus compositam.

R. minime. Erat hic error Eutychetis, qui naturas in Christo confundens, ex duabus unam resultasse contendebat.

Quæres 2°. an Christus dici possit esse duæ naturæ.

T. 6. p. 211. E. R. 1°. affirmative post S. Augustinum, Enchiridii, c. 38. *Utraque substantia*, inquit, *divina scilicet & humana, Filius est unicus Dei.*

R. 2°. damnatam fuisse hanc propositionem à Concilio Constantiensi in Joanne Hus, qui eâ loquendi ratione abutebatur, ut innueret post magistrum suum Wiclefum, unamquamque naturam, sive divinam, sive humanam sigillatim sumptam esse totum Christum. Quapropter propositiones hujuscemodi æquivocæ, exponendæ primum sunt, factâ sensuum distinctione.

Quæres 3°. an dici possit Christum esse ex duabus naturis.

Hilar. l. 9. *de Trinit. n.* 3. R. optimo sensu id dici posse, quia reipsâ *Mediator Christus ex unitis in seipsum naturis est.* Flavianus, in prima fidei professione Christum confessus est ex duabus naturis esse, quod à Concilio Constantinopolitano probatum fuit. Nihilominus erroris Eutychiani suspecta nonnunquam fuit illa propositio; quia concedebant quidem Eutychiani, Christum ante unionem ex duabus esse naturis, at post unionem duas non agnoscebant in ipso naturas.

Quæres 4°. an Christus dici possit ex tribus substantiis.

R. nihil in eo periculi esse: in Christo enim est divinitas, corpus, & anima, quæ tres sunt substantiæ. Quin & necessarium aliquando fuit asserere Christum esse ex tribus substantiis, ut vitaretur error Apollinaris, qui Christum animâ humanâ spoliabat, ejus vices, ut putabat, supplente Verbo.

QUÆSTIO DECIMA.

De Carne Christi, & pertinentibus ad illam.

PLura hîc inquirimus, & 1°. an Verbum veram carnem cum sanguine assumpserit; 2°. an corpus ex Maria assumpserit, illibatâ semper ejus virginitate; 3°. an defectus humanos assumpserit, proinque an dolori verè obnoxius fuerit.

ARTICULUS PRIMUS.

An Verbum veram carnem assumpserit.

Difficultas ista ex suprà dictis penè soluta manet: unde sit paucis

Conclusio I. Verbum veram carnem assumpsit, non umbratilem, aut cælitùs delapsam.

Prob. Ex dictis Q. 8. Verbum divinum veram, ac nostræ consubstantialem naturam humanam assumpsit; ergo & veram carnem solidumque corpus.

Et vero Rom. 1. 3. Christus dicitur *factus ex semine David secundùm carnem*: atqui non est de äere, qui est de semine hominis; ergo.

Concinit notum illud Christi ipsius Luc. 24. 39. *Palpate & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

Obj. 1°. id II Corinth. 5. *Et si cognovimus secundùm carnem Christum; sed nunc jam non novimus*; ergo jam saltem Christus veram non habet carnem.

R. neg. conseq. Mens Apostoli hæc est, quod etsi Discipuli Christi aliquando gloriosum putaverint, consanguineos esse Christi secundùm carnem; nunc tamen ità penitus mortui sint affectibus vitæ veteris, ut non amplius in hujusmodi re gloriandum sibi censeant. Atque id non esse magni faciendum, ipse etiam Christus docuit: quando quibusdam sibi nuntiantibus adventum suæ matris, & fratrum, respondit: *Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbum Dei audiunt & faciunt.* Luc. 8.

Obj. 2°. Matth. 1. Angelus ait quidem Jesum natum in B. Virgine, sed non ex ea, *Quod in ea natum est, de spiritu sancto est.*

R. Evangelistas promiscuè particulas *in*, vel *ex*, hîc usurpasse; & Matth. quidem dixisse, *quòd in ea*: S. vero Lucam, *quòd ex ea natum est.*

Conclusio II. Verbum omnes humani corporis partes sibi hypostaticè conjunxit.

Prob. ex dictis sæpius: Verbum veram ac nostræ similem humanitatem, verum corpus, veramque carnem hypostaticè assumpsit; ergo eas partes omnes sibi conjunxit, quas anima in humano corpore informat, membra, ossa, carnem, &c.

Quæres an Christus omnem effusum in Passione san-

guinem resurgendo reassumpserit, ac in Cælo etiamnum conservet.

R. affirm. quia Christus qualis sedet ad dexteram Patris, homo verus est ac perfectus; ergo eas omnes retinet partes quæ ad perfectionem & integritatem humanitatis pertinet.

ARTICULUS SECUNDUS.

An Verbum carnem ex Maria Virgine remanente assumpserit.

MAriæ virginitas spectari potest, vel ante partum, vel in partu, vel post partum; quocumque autem modo spectata suos habuit hostes. Cerinthus, Ebion, Carpocrates, &c. Christum purum hominem communi ceterorum more ortum commenti, procul dubio virginitatem Mariæ, antequam pareret, non agnoverunt. Jovinianus quarto seculo B. Virginem vulgarium feminarum, quæ matres fiunt, conditioni subjecit, ut nempe violato virginitatis claustro partum in lucem emittant. Alii post natum Christum aïunt Mariam ex Josepho plures suscepisse filios, qui in Evangelio fratres Christi dicuntur. Ità Apollinaris apud S. Epiphan. hæresi 77. & 78. &c.

Conclusio. Verbum carnem ex B. Virgine, operante Spiritu sancto, assumpsit, inviolatâ permanente Mariæ, sive ante partum, sive in partu, sive post partum, virginitate.

Prob. 1°. quasi generatim, miram fuisse ac stupendam conceptionem Christi: Matth. 1. v. 18. *Cum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Et Luc. 1. sic refertur Angelica Salutatio: *Nè timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero & paries filium.... Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Mira igitur fuit & supra consuetam naturæ legem Christi conceptio in utero B. Virginis.

S. Ignat. Communem hanc Ecclesiæ fidem his rationum momentis confirmant SS. Ecclesiæ Doctores. 1°. Consentaneum maximè fuit, temporalem Dei nativitatem ex utero Virginis, præter legem naturæ consuetam fieri, *S. Iren.* ut omnimodè verum dictu sit id Isaiæ 53. *Generatio-*

nem ejus quis enarrabit? 2°. Sicut homo primus immediatè à solo Deo productus est, atque Eva ex viro sine femina prodiit, ceteri vero mortales ex consortio viri & mulieris nascuntur; ità necesse fuit quartum superaddi nativitatis modum, ex muliere scilicet sine viro, qui planè inauditus erat: unde Jeremias, c. 31. v. 22. *Creavit Dominus novum super terram. femina circumdabit virum*, in utero suo. 3°. Non decuit ut idem filius duos haberet patres, æternum unum, & temporalem alterum; sed ut nullam matrem habuit in Cælo quatenus Deus, ità nullum patrem in terris habere debuit, quatenus homo. *Lactant.*

Prob. 2°. specialiter, & quidem 1°. Mariam ante partum virginem fuisse, demonstrant quæ mox dicta sunt: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.*

2°. In partu quoque illibatam fuisse Dei genitricis virginitatem, ostendunt verba hæc Isaiæ 7. *Virgo concipiet & pariet filium;* ergo non tantùm concipiendo, sed etiam pariendo filium virgo permansit. Idem docet constans Ecclesiæ judicium; unde S. Augustinus Enchir. cap. 4. *Si,* inquit, Christo *nascente corrumperetur* Mariæ *integritas, non jam ille de virgine nasceretur; eumque falsò, quod absit, natum de Virgine Maria tota confiteretur Ecclesia.*

3°. Etiam post partum Maria virgo permansit: atque id rursus constat ex judicio Ecclesiæ, quæ impietatem oppositam semper detestata fuit, quam Origenes *magnam insaniam*, Ambrosius, *sacrilegium*, Gennadius *blasphemiam* appellat. S. Epiphanius, Hæresi 78. n. 6. scribit eos pro hæreticis haberi, qui dicerent Mariam post editum Christum cum Josepho consuetudinem habuisse, quos *Antidicomarianitas* appellat, variisque confutat momentis, isto præsertim, quod ad sua usque tempora, nemo B. Mariam appellasset, *nisi præposito virginis nomine,* *T. 1. p. 1037.*

Quæres an B. Maria perpetuæ virginitatis votum emisisset? An vero matrimonio cum Josepho juncta fuerit, & quâ ratione verùm stare potuerit matrimonium cum voto virginitatis perpetuo servandæ?

R. 1°. Virginitatis votum à B. Virgine emissum fuisse, probant hæc ipsius verba, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* alioqui responderi potuisset: Nondum quidem virum cognovisti, sed nihil obstat ne deinceps cognoscas.

R. 2°. Virginem vero matrimonio cum Josepho conjunctam fuisse, cujus quidem mysterii rationes istas passim adducunt SS. Patres: 1°. ut Mariæ & Christi prosapia, ex Joseph, qui fuit ex familia David, clare innotesceret; 2°. ut Virginis, quæ de Spiritu Sancto conceptura erat, honori consuleretur; 3°. ne Christus pro spurio haberetur, & rejiceretur à Judæis; 4°. ut Joseph uxoris suæ castitatis & testis & custos foret; 5°. ait S. Ignatius Martyr, *ut partus B. Virginis diabolo celaretur.*

R. 3°. Virginitatis votum stare posse cum matrimonio, ex mutuo partis utriusque consensu: matrimonium enim in individuæ vitæ societate consistit, potiùs quàm in carnali cohabitatione. Quapropter non sine divina inspiratione Joseph Mariam accepit in conjugem, ad quam nusquam erat accessurus. Rem totam exponit S. Augustinus, L. de sancta Virginitate, c. 4. *Profectò*, inquit, *non diceret* (B. Virgo) *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco; nisi Deò Virginem se ante vovisset. Sed quià hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro justo, non violenter ablaturo, sed potius contra violentes custodituro quod illa jam voverat.*

T. 6. p. 343. A.

Obj. 1°. cum Helvidio, id Matth. 1. *Cum esset desponsata Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto*: atqui particula *antequam*, denotat eos postea convenisse.

R. neg. min. & dico cum S. Hieronymo, Scripturam quid factum non sit (nempe non convenisse Mariam cum Joseph antequam pareret filium) aperire, non vero quid posteà contigerit, cùm nec quæreretur, nec foret necessarium. Quapropter tam falsa est ista consecutio, Antequam Maria pareret non convenerat cum Josepho, ergo postea convenit; quàm foret ista: Helvidius antequam pœnitentiam ageret, morte præventus fuit; ergo postea pœnitentiam egit. Quis non irrideat ad tam insulsam consecutionem?

Obj. 2°. Ibid. dicitur de Joseph: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*; ergo posteà eam cognovit: particula quippe illa *donec*, hunc sensum præ se ferre videtur.

R. nego conseq. vox enim *donec*, quid anteà factum non sit demonstrat, & nihil ultrà. Et vero particula *donec*, non semper ità tempus præcedens connotat, ut futurum etiam non respiciat. V. g. Isaïæ 46. Deus aït, *Ego sum, ego sum, & donec senescatis ego sum.* An

inde inferes, poſtquam ſenuerint illi, Deum non amplius futurum? nihil inſulſius. Pariter I. Cor. 15. Apoſtolus aït: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos ſub pedibus ejus*: an inde, quæſo, bene colligitur, deſtruendum fore regnum Chriſti, cùm ſub pedibus ejus poſiti fuerint ejus inimici? ergo à pari in propoſito.

Inſt. Chriſtus ibidem dicitur Mariæ *primogenitus;* ergo alios habuit Maria filios.

R. nego conſeq. Hebræi ſiquidem primogenitos appellare ſolent unigenitos: Exodi 4. v. 22. Iſraël vocatur *primogenitus* Dei, licet ſolus eſſet populus à Deo electus. Et cap. 13. *primogenitus* ſanctus Deo dicitur, qui primo partu editur, ſive alii ſequantur, ſive non: aliàs primogenita redimenda non fuiſſent, niſi poſt aliam prolem ſuſceptam, quod tamen falſum eſſe Lex oſtendit, Num. 14. v. 16.

Obj. 3°. Matth. 13. v. 55. plures Chriſto fratres aſſignantur, Jacobus, Joſeph, Simon & Judas; ergo Maria plures poſt natum Chriſtum filios ſuſcepit ex viro ſuo.

R. neg. conſeq. Nam pro more Scripturæ, conſanguinei appellantur fratres. Gen. 13. Abraham Loth nepoti ſuo dicebat, *nos fratres ſumus;* & c. 29. Laban ad Jacob: *Num quia frater meus es, gratis ſervies mihi?* Fratres igitur Chriſti, conſanguinei ejus ſunt.

Quæres an Chriſtus formâ decorus fuerit.

R. nihil hìc certo definiri poſſe, ſive ex Scripturis, ſive ex ſanctis Patribus, ſive ex depictis, quæ circumferuntur, Chriſti imaginibus.

1°. Non ex Scripturis. Quæ etenim formam ejus ſpecioſam commendant, ut Pſal. 44. *Specioſus formâ præ filiis hominum*, ad animæ pulchritudinem referunt S. Chryſoſt. Theodoretus, Baſilius, Auguſtinus, *Edit.*
Hieronymus. Et id adſtruunt hæc quæ ſequuntur Pſal- *rec.*
tis verba: *Propterea benedixit te Deus in æternum*, &c. *T. 5. p.*
Unde ſicut quod v. 4. ibid. additur, *Accingere gladio* 163. C.
tuo ſuper femur tuum potentiſſimè, non de vero ad litteram gladio, ſed de poteſtate Chriſti, merito intelligitur; ità & illud, *ſpecioſus formâ*, &c. de ſpiritualibus animæ donis, quæ ſola benedictionem Dei alliciunt, intelligi poteſt.

Quæ vero deſpicabilem Chriſti formam indicant, qualia iſta ſunt Iſaïæ 52. *Inglorius erit inter viros aſpectus ejus;* & cap. 53. v. 2. *non eſt ſpecies ei neque de-*

cor: vidimus eum, & non erat aspectus: hæc inquam, ad tempus Passionis Christi referunt Interpretes, non ad cursum vitæ mortalis.

2°. Multo minùs ex depictis Christi imaginibus colligi potest vultûs ejusdem conformatio; quia nec de earum origine certo constat, nec certo de earum cum prototypo consensione.

3°. SS. Ecclesiæ Patres varie hic sentiunt, ex quibus proinde nihil certo statui potest. Christum formâ decorum non fuisse testantur omnes fere Scriptores

p. 316. C. ad quartum usque seculum. Tertullianus, L. de Carne Christi c. 9. veritatem carnis Christi inde probat, quod nihil illa novi, nihil miri, præ se ferret. Idem docent

p. 158. B. S. Clemens Alexandrinus, Lib. 3. Pedagogi, cap. 1. & Clementis discipulus Origenes, Lib. 6. contra Celsum, qui hanc Christi deformitatem objiciebat Christianis.

T. 4. part. 1. p. 30. Edit. Commel. p. 276. A. Contra vero, venustam & elegantem oris formam Christo adscribunt S. Hieronymus, in caput 9. & 21. S. Joan. Chrysostomus, qui Homil. 28. in Matth. sic habet: *Nam ut in faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus fuisse traditur, &c.*

Inter illas duas extreme oppositas opiniones tertia seligi posse videtur, quæ statuat Christum nec eleganti specie fuisse, nec etiam deformi, sed communi ac mediocri, quæ nec splendidâ pulchritudine oculos traheret, nec turpi deformitate offenderet. Favent ipsi Tertullianus & Origenes citatis locis.

ARTICULUS TERTIUS.

An Christus humanis defectibus, præcipue autem dolori obnoxius fuerit.

INter humanos defectus alii ad corpus pertinent; iique vel omnibus communes sunt, ut esse corruptibile, passibile, mortale; vel speciales sunt, qui ex singularibus causis oriuntur, ut febris, deformitas quædam in membris male coaptatis, v. g. cæcitas, &c. Alii ad animam, & hi vel physici sunt, ut ignorantia, concupiscentia; vel morales, ut peccatum, inordinati affectus, &c. De solis hîc loquimur humani corporis defectibus.

Constat, 1°. Christum communes humani corporis defectus assumpsisse; tum quia ex dictis, verum no-

Heb. 4. stroque simile corpus assumpsit: *Tentatus per omnia*

pro similitudine absque peccato; tum quia ii defectus ad opus redemptionis humanæ perficiendum maxime conducunt, quales sunt esse passibile, esse mortale, &c. una excipitur per triduum mortis carnis corruptio, dicente Prophetâ, Psalm. 15. v. 10. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem:* hæc enim ad negotium redemptionis nostræ consummandum necessaria non erat; & aliunde indecens fuisset, corpus illud corrumpi, cui etiam mortuo, hypostatice unitum Verbum permansit.

Constat 2°. Christum non assumpsisse speciales defectus, qui ex singularibus causis, seu certâ causarum secundarum depositione nascuntur; sive quia necessarii non erant ad finem propter quem venerat; sive quia perfectum esse oportuit corpus quod speciali operatione Spiritûs S. formatum est.

Tota igitur quæstio in eo est, an Christus vere dolori subjacuerit, seu ex solâ duntaxat suâ voluntate, seu etiam ex necessaria naturæ quam assumpsit, conditione. Circa quod errarunt nonnulli ex veteribus Hæreticis: Catholici vero, salvâ fide, varie sentiunt.

Ariani & Apollinaristæ eo quia docerent, divinitatem mentis vices in Christo supplere, consequenter docuerunt divinitatem passam esse. Idem senserunt Eutychiani Theopaschitæ, sic dicti, quod existimarent divinitatem carni factam consubstantialem vere passam fuisse. Ab his erroribus procul distant Catholici; at disputant inter se de causa cur Christus passibilis fuerit. Alii nimirum existimant, vi unionis hypostaticæ carnem Christi ex natura sua dolori ceterisque infirmitatibus obnoxiam non fuisse: quia, inquiunt, Christus carnem assumpsit, non qualis nostra est post peccatum, sed qualis Adami innocentis fuit, ideoque vere impassibilis & immortalis; unde addunt, miraculo opus fuisse, ut naturalis ejus impassibilitas suspenderetur, ac locum daret doloribus, quibus affligi propter nos voluit. Alii vero contendunt Christum, non tantùm ex voluntate, sed etiam ex necessitate naturæ quam assumpsit, doloribus subditum fuisse; quia nempe carnem assumpsit per omnia nostræ similem, absque peccato, & eam ipsam, quam liberaturus erat; sed caro hujuscemodi ipsâ nativâ suâ conditione doloribus, ceterisque humanis infirmitatibus subjacet. Ab hac quæstione, ut inutili abstinebimus, unde solum dogma tuebimur. Sit itaque

Conclusio. Christus dolori, ceterisque communibus humanæ naturæ infirmitatibus obnoxius fuit; quanquam à nostris, causa, necessitate, ac effectu, longe diversis.

Prob. 1. pars, tùm quoad corpus, tùm quoad animam Christi. Quantùm ad corpus: Isaïas, c. 1. de Christo prophetice aït: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*; & cap. 53. Christum *virum* appellat *dolorum, scientèm infirmitatem*; & v. 4. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum & percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*: atqui Prophetia hæc in toto vitæ Christi decursu, plus vel minùs completa est. Matth. 4. post jejunium 40. dierum & noctium, *esuriit*. Joan. 4. *Fatigatus ex itinere, sedet ad fontem*. Lucæ 19. *Flevit super Jerusalem*. Joan. 11. *Infremuit spiritu, & lacrymatus est*. Luc. 22. mortis horrore ad sudorem usque sanguinis percussus est. Merito igitur Apostolus pronuntiat II. Cor. 13. 4. *Crucifixus ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei*.

Quantùm vero ad animam Christi attinet, eos doloris affectus sensit, quos & ipsi homines etiam justi experiuntur. Marci 14. *Cœpit pavere & tœdere*. Matth. 26. *Cœpit contristari & mœstus esse. Tristis est anima mea usque ad mortem*, ibid. Quanta vero fuerit hujus tristitiæ magnitudo, demonstrant, tùm oratio quâ Patrem rogat, ut si fieri potest transeat à se calix iste; tùm sudor sanguinis, quem acerbitas doloris ex venis expressit.

Prob. 2. pars. Et quidem 1°. infirmitates quas patimur, ab iis quas Christus assumpsit, differunt necessitate. Neque enim illas excutere ad libitum possumus; è contra Christus, qui de se ipso ait, Joan. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me: sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ergo*, ait S. Augusti-
T. 4. p. nus, in Psalm. 93. *tristis fuit Christus ..... sed volunta-*
1014. *te suscipiens tristitiam, quomodo voluntate suscipiens*
F. *carnem*. Et vero caro Christi non fuit sicut nostra, caro peccati; ergo non ineluctabili necessitate infirmitates illas contraxit, quæ ex peccato veniunt.

2°. Differunt causis, tùm quia necessitas subjacendi naturæ infirmitatibus, non fuit in Christo perinde

ac in nobis: ex peccato; tùm quia Christus ea propter se non assumpsit, sed nostrî causâ.

3°. Differunt effectibus. Humanæ scilicet affectiones sæpe rationis usum antevertunt ac perturbant; in Christo vero ordinatæ erant deliberatæ, placidæ, quas ad nutum ille regebat ac moderabatur. Nec te moveat quod Joan. 11. v. 27. fateatur Christus *animam suam turbatam esse*, &c. Namque commotionem hanc in seipso volens ac lubens Christus excitavit. Joan. 11. v. 33. *Turbavit seipsum*; nempe ut se hominem verum demonstraret, ac nobis solatio & exemplo foret in doloribus hujus vitæ constanti animo perferendis.

Obj. 1°. Anima Christi statim à conceptione beata fuit ex intuitiva Dei visione: quomodo autem anima beata doloribus obnoxia esse potuit? R. vix istud à nobis intelligi posse. Utrumque tamen verum est; nec aliter implicatus ille modus dissolvi potest, quàm ad miraculum recurrendo, quo Deus impediit, nè animæ Christi felicitas in corpus ejus afflueret.

Obj. 2°. hæc S. Augustini verba, Tract. 29. in Joan. T. 3.
n. 18. *Turbaris tu nolens: turbatus est Christus, quia* part. 2.
voluit. Esurivit Jesus, verum est, sed quia voluit; dor- p. 626.
mivit Jesus, verum est, sed quia voluit; contristatus C.
est Jesus, verum est, sed quia voluit.... In illius potestate erat, sic vel sic affici, vel non affici: atqui hæc innuunt, Christum ex sola voluntate, non hæc naturæ necessitate infirmitatibus humanis subjectum fuisse.

R. Augustini & aliorum nonnullorum, qui idem cum ipso locuti sunt, sensum esse, Christum non ineluctabili necessitate, quam à se avertere non posset, infirmitatibus nostris subjectum fuisse, sed necessitate quam sibi volens imposuit, dum carnem assumpsit.

Obj. 3°. S. Hilarius omnem prorsus à Christo doloris sensum removet, Lib. 10. de Trinit. n. 23. his verbis: *Christus hominem verum secundùm similitudinem* Pag. 1010.
nostri hominis, non deficiens, à se Deo, sumpsit: in quo, C.
quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent. Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturæ suæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in hæc passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aërem vulnerari, quamvis natura teli sit & vulnerare, & compungere,

& forare. In mente igitur S. Hilarii, non magis passiones in Christo veri doloris sensum excitarunt, quàm excitet telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aëra vulnerans: atqui profectò nihil doloris excitat telum in aqua, &c.

Propter hæc aliaque id genus, erroris accusatus fuit Hilarius à Claudiano Mamerto, L. 2. de statu animæ, c. 9 tum à Berengario apud Lanfrancum, Epist. 50. postea à Joanne Præposito, qui ex professo eam in rem ad Philippum Bonæ Spei, Ordinis Præmonstratensis Abbatem scripsit. Nihilominus

R. dist. ant. S. Hilarius doloris sensum removet à Christo, quatenus Deus est, C. à Christo, quatenus homo est, subd. sensum doloris, qualem nos mortales experimur, qui nempe à peccato est ineluctabilis, mentem perturbans, C. dolorem omnem simpliciter & absolutè, N. Itaque impugnat eo loci Hilarius, tùm eos qui cum Apollinaristis divinitatem *propter se*, seu per se passam esse contendebant, prout indicat ipse in Matth. c. 31. tum & eos qui dolorum nostrorum imperfectiones Christi humanitati affingebant. Et certe in stylo S. Hilarii, passionis nomine, inordinata commotionis ac perturbationis affectio intelligitur, ut patet ex Libro de Synodis, n. 49. constat autem nullam in Christo fuisse hujuscemodi passionem inordinatam, plenamque perturbationis.

Quæres obiter quomodo humanitas Christi operaretur miracula.

Not. humanitatem Christi dici posse miracula operari, vel physice, per verum, realem ac physicum influxum: vel moraliter, per orationem, consilium, vel imperium. Causalitas autem moralis vera est & realis, cui effectus aliquando magis imputatur, quàm causæ physicæ: v. g. mors hominis rei qui suspenditur, magis imputatur crimini tanquam causæ morali, quàm carnifici. His positis,

R. Probabile est humanitatem Christi physice ad ea miracula concurrisse, quæ contactu, aut actione physicâ in subjecta præsentia, moraliter vero ad illa quæ in subjecta distantia peracta fuerunt.

Prob. 1. pars, 1°. quia modus ille physicus operandi miracula in subjecta præsentia, magis accomodatus videtur modo loquendi, tum Scripturæ, tum SS. Patrum. Lucæ 6. dicitur: *Omnis turba quærebat eum tangere* (Christum) *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Et c. 8. occasione mulieris quæ à fluxu

sanguinis, tactâ fimbriâ vestimentorum Christi, sanata est, v. 46. Christus aït: *Quis me tetigit? Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exiisse.* His in locis virtus sanandi morbos, contactui, & quidem physico, humanitatis Christi tribuitur.

Idem docere videtur S. Hilarius, cap. 9. in Matth. *p.* 649. F. E. ubi loquens de sanitate redditâ mulieri, fluxu sanguinis laboranti: *Est autem*, inquit, *in simplici intelligentiâ, magnæ virtutis Dominicæ admiratio, cùm potestas intra corpus manens rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, & usque in vestium fimbrias operatio divina procederet.* At si humanitas Christi moraliter tantùm, Deum movendo & excitando, miraculum illud perfecisset, non videretur esse tantæ admirationi locus.

Secunda pars Conclusionis inde suadetur, quod intelligi vix potest, quomodo corpus physicè agere possit in distans sine ullo substantiæ aut virtutis diffusæ physico contactu: moraliter igitur, hoc est, impetratione seu oratione, humanitas Christi miracula operabatur in subjecta quæ dissita erant & absentia.

QUÆSTIO UNDECIMA.

De Anima Christi, & pertinentibus ad illam.

HIc animæ Christi veritatem, & præcipuas tum intellectûs, tum voluntatis perfectiones exponere conabimur.

ARTICULUS PRIMUS.

An Verbum veram animam assumpserit.

APollinaristæ, duce Apollinari Laodiceno, primo animam, tum mentem Christo detraxerunt, Verbo divino vices animæ, vel mentis supplente; unde consequens est, quod ipsi fatebantur, Verbum ex vulnerato Christi corpore, eundem doloris sensum percepisse, quem anima ipsa percepisset.

Conclusio. Verbum divinum animam & mentem humanam sibi assumpsit.

Prob. 1°. ex Scripturis sic: Quod animæ substantiam, facultates & proprietates assumpsit, utique assumpsit animam veram: atqui Verbum assumpsit 1°. animæ substantiam. *Ego pono animam meam, ut iterùm*

sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & iterum sumendi eam: Anima porro illa, quam Christus ponit pro ovibus suis, quam nemo ab illo invito tollere, quam semel dimissam sumere iterum potest, haud dubie non est ipsamet divinitas, quam Christus nusquam dimisit; ergo vera est quoad substantiam anima humana.

2°. Assumpsit animæ facultates: eæ enim sunt intellectus & voluntas: atqui utrumque assumpsit Christus; intellectum quidem, Luc. 2. *Proficiebat ætate & sapientiâ* Coloss. 1. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Voluntatem vero Joan. 6. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam*, &c. 3°. assumpsit, & animæ humanæ veras affectiones (detractis imperfectionibus quæ nobis adhærescunt) Marci 14. *Cœpit pavere & tædere.* Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Lucæ 22. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: has enim affectiones tristitiæ, desiderii, doloris, in divinitatem ipsam cadere, nemo nisi projectæ impietatis assereret.

Joan. 19. Confirm. Mortuus est indubie Christus, & *inclinato capite tradidit spiritum*: atqui non Spiritum Divinitatis; hæc quippe seu corpus, seu animam etiam in triduo mortis non dereliquit, ex dictis anteà; ergo spiritum illum in cujus separatione à corpore mors posita est.

Prob. 2°. quia statim ut Apollinaris caput extulit, ad rei novitatem obstupuit Ecclesia, atque hæreticum simul & hæresim compressit. In Concilio Alexandrino,

Tom. 2. *Concilior. p.* 816. D. *Ib. p.* 900. D. cui præerat S. Athanasius, hæc prolata definitio est: *Non corporis duntaxat, sed & animæ quoque nostræ per ipsum Verbum salus est conciliata.* Idem fecêre Synodi OEcumenica II. in Epistolâ Synodica ad Damasum, & Romana contra Macedonianos & Apollinaristas convocata, ubi anathema dicitur iis, qui vice animæ rationalis Verbum fuisse censent assumptæ carni.

Quæres quid de Christi ad inferos descensu sentiendum sit.

Lutherani & Calvinistæ hîc tum à se invicem, tum à nobis diffident. Non una est etiam inter Calvinistas ratio descensum hunc exponendi. Alii eum à sepultura non distinguunt. Alii eum explicant de cruciatibus damnatorum, quos Christum, ut planè pro nobis satisfaceret, sustinere necesse fuit; cruciatus autem illos nihil aliud esse volunt, præter terrorem conscien-

tiæ, quem, inquiunt, expertus eſt Chriſtus, cùm ſe à Patre derelictum vidit, & exclamavit, *Deus meus,* Matt.
Deus meus, quare me dereliquiſti? Alii deſcenſum il- 27. v.
lum explicant de ſupremâ Chriſti humiliatione, tùm 46.
ratione corporis in ſepulchro detenti, tùm ratione animæ, propter cruciatus quos experta eſt in decurſu Paſſionis ſuæ.

Lutherani vero aſſerunt Chriſti animam non tantùm in Limbum, ut vulgo dicitur, ſed etiam in locum damnatorum deſcendiſſe, ut ibi victoriam ſuam oſtentaret. Aliud cum tota antiquitate ſentiunt Catholici. Unde

R. Anima Chriſti vere in infernum deſcendit, hoc eſt inferiores terræ partes, ut inde Sanctos veteris Teſtamenti liberaret.

Prob. 1°. ex I. Petri 3. ubi ſic: *His qui in carcere,* ſyriace *in inferis erant, ſpiritibus veniens prædicavit,* utique liberationem ipſorum, quam profecto reprobis non prædicavit. Epheſ. 4. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm ad inferiores partes terræ?*

Prob. 2°. ex Symbolo Apoſtolico, ubi expreſſus eſt iſte articulus: *Deſcendit ad inferos:* atqui verba hæc *ad inferos,* de deſcenſu in Limbum conſtanter intellexêre SS. Patres, puta Juſtinus, Irenæus, Athanaſius, Hilarius, Auguſtinus, Hieronymus, &c. ergo.

Atque ex his inferes, per *inferos* non intelligi, 1°. ſepulturam Chriſti: quia in Symbolo Apoſtolico articulus deſcenſûs Chriſti ad inferos diſtinctus eſt ab ejus morte, ſepulturâ & à mortuis ſuſcitatione: 2°. non exinanitionem, ſeu incarnationem quæ pariter diſtincto articulo proponitur; 3°. non cruciatus damnatorum: tum quia Chriſtus deſcendit ad inferos poſt ſuam mortem, quo tempore nullis doloribus obnoxius erat: tùm quia diſerte S. Petrus, Act. 2. de Chriſto aït: *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum.* Ergo liber fuit Chri- T. 1.
ſtus ab his doloribus. *Non quòd,* ait S. Auguſtinus, p. 574.
Epiſt. 164. aliàs 99. *illis alligatus aliquando fuerit;* D.
ſed velut ſolvi poſſunt laquei venantium, nè teneant, non quia tenuerunt, vel quia ſolvit dolores, quibus ipſe teneri non poterat, ſed quibus alii tenebantur quos noverat ille liberandos.

Dices: Lucæ 23. Chriſtus latroni pœnitenti dicit: *Hodie mecum eris in Paradiſo;* ergo anima Chriſti

ſtatim ac à corpore ſeparata fuit, in Paradiſum avolavit, nec deſcendit in infernum.

R. Paradiſi nomine eo in loco non ſedem Beatorum, ubi Deus ſeipſum intuitive conſpiciendum exhibet intelligi, ſed locum pacis ac refrigerii, quem Limbum appellamus, in quem latronis pœnitentis anima deſcendit cum anima Chriſti. Latro igitur, aït S. Thomas 3. p. q. 52. a. 4. ad 3. ſimul fuit cum Chriſto in inferno, quoad locum; & in Paradiſo, quoad præmium ac refrigerium.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Scientia Chriſti.

SCientiam Chriſti ut hominis, de qua una hîc agitur, oppugnavêre 1°. Gnoſtici & Valentiniani, qui referente S. Irenæo, L. 2. c. 17. Chriſtum ſub ferulâ præceptoris alphabetho dediſſe operam fabulantur; 2°. Ariani & Neſtoriani, qui Chriſto, quem pro mero habebant homine, omnem in primo conceptionis inſtanti infuſam ſcientiam denegarunt; 3°. & Eutychiani, non omnes quidem, ſed qui Themiſto & Severo inhærentes, Agnoïtæ dicti ſunt ab ignorantia, cuï Chriſtum obnoxium fuiſſe aſſerebant. Ab his haud ſatis recedit Grotius, qui in cap. 3. S. Marci, *Sicut igitur*, inquit, *poſt Reſurrectionem accepit omnem poteſtatem, ità & omnem ſcientiam.* Pro ſolutione,

T. 2. *p.* 313. *col.* 1.

Not. Multiplex hîc diſtingui ſolet ſcientia: una beata, quæ in clara Dei viſione poſita eſt; altera, comprehenſiva; tertia, infuſa, quâ per ſpecies à Deo infuſas res in ſe ipſis cognoſcuntur: infuſa autem dicitur, vel per ſe, quia ſupernaturalis eſt, nec aliter quàm infuſione poteſt haberi; vel per accidens, quia licet aliunde comparari poſſit, à Deo tamen liberaliter conceditur. Denique alia eſt acquiſita, quæ ſpeciebus à ſenſibus hauſtis, experientiâ & labore acquiritur. Iſta vero ſpectatur aut ut habitualis eſt, aut ut actualis, ſeu quatenus eſt, aliquod judicium ortum ex ſenſibus de re aliquâ: prior vocatur proprie ſcientia acquiſita; poſterior, ſcientia experimentalis. Ignorantia autem quæ ſcientiæ opponitur, duplex vulgo diſtinguitur: una privativa, quæ ſolet dici pravæ diſpoſitionis, quæ cauſa & effectus eſt peccati: altera pure negativa, quæ ſimpliciter *neſcientia* dicitur. His præmiſſis, quæritur utrùm anima Chriſti ſtatim à primo conceptionis in-

stanti, & infusâ rerum omnium humanâ scientiâ, & beatificâ visione donata fuerit, ac Deum vere comprehenderit.

Conclusio. Anima Christi statim à primo conceptionis instanti & perfectissimâ humanâ rerum omnium scientiâ, & beatifica visione donata fuit; nec tamen Deum proprie comprehendit.

Prob. 1. pars, 1°. ex Scripturis. Isaïæ 11. de Christo pronuntiatur, *Requiescet super eum spiritus Domini, sapientiæ & intellectus, spiritus scientiæ & pietatis;* quod completum in Christo testatur Apostolus, Coloss. 2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*: atqui hæc loquendi ratio plenam ac cumulatissimam designat rerum omnium notitiam. *Non enim*, ut dicitur Joan. 3. *ad mensuram dat* ei *Deus spiritum;* unde S. Petrus, *Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Intelligebat autem de homine Christo, à quo interrogatus fuerat.

Prob. 2°. ex SS. Patribus, quos immerito Grotius in opposita sententia fuisse supponit. S. Justinus, q. 58. ad Orthodoxos ait, *impietatis esse Christo ignorantiam adscribere, atque id certum, eum omnium obtinere præscientiam perfectam.* S. Basilius, Ep. 141. *Propter te*, inquit, *& horam & diem Judicii ignorat: quanquam & nihil latet veram illam sapientiam. Nam per illam omnia sunt condita: nemo enim mortalis usquam est, qui opus suum, quod fecit, ignoret.* S. Joan. Chrysostomus, Homil. 78. in Matth. *Quomodo*, inquit, *is per quem omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil, diem illam* (ultimi Judicii) *ignorabit?* S. Hieronymus, Ep. ad Damasum: *Nullus homo*, inquit, *excepto eo qui ob nostram salutem carnem est dignatus induere, plenam habuit scientiam & certissimam veritatem.* Ceteros omittere cogimur. Pag. 424. D. Edit. vet. T. 2. p. 929. C. Edition. commel. p. 961. E. Edit. rec. T. 2. p. 568.

Prob. 3°. rationibus quas urget S. Fulgentius Ruspensis Præsul in responsione ad Ferrandum Diaconum. Prima petitur ex plenitudine spiritûs quæ Christo concessa fuit: *In quantum spiritus datur*, inquit, *in tantum cognitio divinitatis accipitur: ubi autem spiritus non est ad mensuram datus, necesse est ut plena sit divinitatis immensæ notitia.* Porro Spiritus S. datus non est divinitati Christi, cum qua unius est naturæ, sed animæ Christi; ut ibidem probat S. Doctor. 2. desumitur ex plenitudine gratiæ & veritatis qua Christus donatus fuit. *Non autem*, inquit, *tota plenitudo veritatis habetur, quando veritatis ipsius aliquid ignora-* p. 253. n. 20. p. 255.

tur, quod absit ut de Christo aliquatenus sentiamus.

Prob. 2. pars: quanquam haud dissimulandum sit, eam non pertinere ad fidem, cùm pauci sint inter Veteres qui de illa tractaverint: & nonnulli etiam Catholici eam in dubium revocent, non sine temeritatis notâ, si Tournelyo fides sit. Prob. inquam, 1°. quia ex dictis constat, plenam atque perfectam cognitionem animæ Christi concessam fuisse: atqui constat etiam omnem hujus vitæ, *in qua peregrinamur à Domino*, cognitionem imperfectam esse, multaque caligine involutam: *Videmus nunc per speculum in œnigmate*, aït Apostolus, I. Cor. 13. v. 12. *tunc autem facie ad faciem*, &c. ergo cùm anima Christi perfectissimâ scientiâ ornata fuerit, necesse est ut Deum intuitivè viderit.

Prob. 2°. quia observant vulgo Scripturæ Interpretes, non ex novo miraculo contigisse: quod in Transfiguratione Christi facies ejus insolitâ claritate tanquam Sol resplenduerit: sed potiùs non sine miraculo factum esse, ut toto vitæ Christi decursu, quasi suspensa & impedita fuerit illa animæ Christi gloria & claritas, ne in corpus ipsum tota effluerit: atqui recepta hæc observatio perpetuam animæ Christi beatitudinem supponit.

Prob. 3. pars, 1°. quia cognitio comprehensiva duo exigit; 1°. ut objectum tantum quantum est agnoscatur; 2°. ut tam perfecte cognoscatur, ac cognosci potest, hoc est, tam *extensivè* quàm *intensivè*: atqui licet anima Christi totum quod Dei est modo perfectissimo, sed tamen creatæ capacitati accommodato cognoscat, non tamen modo infinito, quo & potest, & exigit cognosci, ac reverâ seipsum cognoscit Deus: infinitæ etenim cognitionis prorsus incapax est anima creata; 2°. quia hæc, inter alias multas, Augustini de Româ

T. 12. Conc. p. 556. D. propositio, *Anima Christi Deum videt tam clarè & intensè, quàm Deus videt seipsum*, damnata fuit in Concilio Basileensi, Sess. 22.

Obj. 1°. contra primam Conclusionis partem: Christus, Matth. 24. v. 36. ignorat diem ultimi Judicii. Verùm objectio hæc, breviter licet, solide tamen excussa est in Tract. de Trin. p. 281.

Nec est quod objiciatur antiquos Patres, præcipue vero Athanasium, Basilium, Hilarium, ut Arianos Christi divinitatem ex hâc ipsius ignorantia impugnantes revincerent, eandem ignorantiam in humanitatem Christi detorsisse. Nam 1°. sancti illi Doctores figurâ, ut vocant, *concessionis*, utebantur; scilicet, dato &

non concesso Christum diem illam ignorasse, eam non ignoravit ut Deus, sed tantùm ut homo; ergo immerito inde infertur, eum vere Deum non esse: quæ certe arguendi ratio non supponit à Patribus reipsa concessam fuisse, Christum hominem aliquid nescivisse. Imo cùm explicationem illam non secutus aliquando fuisset Leporius Presbyter, subinde eam rejecit in Libello emendationis, qui ab Augustino ceterisque Africanis Præsulibus probatus fuit. *Nunc*, inquit, *non solum dicere non præsumo, verum etiam priorem anathematiso prolatam in hac parte sententiam; quia dici non licet, etiam secundum hominem ignorasse Dominum Prophetarum.* *Bibliot. PP. T. 7. p. 3. G.*

20. Veteres, ignorantiam, quam Christo homini tribuere videntur, unice referunt ad nativam carnis nostræ conditionem: itá ut eorum sensus sit, Christum in carne existentem nihil quidem ignorasse; attamen ex ipsa carnis nostræ conditione eum non habuisse ut sciret quod scivit. Audiatur S. Greg. Magn. Ep. 39. Lib. 10. *Unigenitus*, inquit, *factus pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit diem & horam Judicii; sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit.* Hanc fuisse Athanasii mentem satis innuit ipse. *Hominis enim*, inquit, Orat. 3. aliàs 4. contra Arianos, n. 43. *proprium est ignorare, maximèque res hujusmodi. Verum hoc ipsum singularis Salvatoris benevolentiæ & benignitatis est effectus. Quoniam enim homo factus est, idcirco propter carnem ignorantem dicere non erubescit; Nescio: ut scilicet ostendat se ut Deum scire, at secundum carnem ignorare.* *T. 2. p. 1070. A. B.* *T. 1. p. 593. A.*

Inst. 1°. Lucæ c. 2. Christus dicitur *profecisse sapientiâ & ætate, & gratiâ apud Deum & homines*: sed ei qui proficit, aliquid novi accidere debet quod prius non habebat; ergo.

R. dist. maj. Proficiebat sapientia, seu scientia experimentali, quia scilicet eas in anima sua doloris ac tristitiæ affectiones expertus est, quas licet anteà novisset, non tamen senserat, C. scientia quacumque alia, subdist. proficiebat quoad nos, quibus in dies magis ac magis proficere videbatur, C. quoad se, N. Ità S. Gregor. Naz. Orat. 20. *Ut ætate*, inquit, *ità & sapientiâ proficiebat, non quod hæc in eo incrementum caperent, (quid enim eo quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit,) sed quod hæc paulatim detegerentur ac elucerent.* Concinit S. Athanasius, ubi suprà *T. 1. p. 641. C.*

T. 1. n. 53. p. 601. E. *Corpore ætate crescente*, aït, *in illo quoque crescebat major divinitatis explicatio, omnibusque ostendebatur templum Dei ipsum esse, & Deum esse in corpore.*

Inst. 2°. Eadem ratione Christus sapientia proficiebat, qua ætate: atqui non tantùm apparenter, sed verè ætate proficiebat. Et verò qui *coram Deo* ipso proficiebat, non proficiebat solùm apparenter: atqui ex citato textu, &c.

R. ad 1. neg. maj. Alia quippe in Christo conditio est corporis, alia animæ: omnes corporis nostri defectus ad opus salutis nostræ perficiendum necessarios Verbum assumpsit, adeoque varias ætatis vices; defectus vero animæ, ut ignorantia, concupiscentia, haud necessarii erant, imo noxii fuissent in redemptionis negotio; ergo assumi non debuerunt.

Ad 2. nego iterùm maj. namque coram Deo sicut & coram hominibus sapientiâ Christus profecisse dicitur, quia probata tam Deo quàm hominibus, dedit eximiæ sapientiæ argumenta.

Obj. 2°. contra 2. Conclusionis partem. 1°. Ex visione Dei intuitiva sequitur beatitudo animæ essentialiter perfecta; beatitudo autem status est omnium bonorum aggregatione perfectus: atqui conciliari non possunt, acerbissimi dolores, quos Christus in Passione suâ expertus est, cum illo torrente voluptatis, quo anima beata tota perfunditur. Gaudium quippe & tristitia, voluptas & dolor secum invicem pugnant.

2°. Lucæ 24. v. 26. dicitur, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ità intrare in gloriam suam?* ergo Christus gloriâ non fruebatur, quandiu doloribus ac morti obnoxius fuit.

R. ad 1. nodum hunc solutu difficillimum semper Theologis visum esse; nec mirum, cùm Incarnatio Verbi, mysterium sit *à seculo absconditum*, quod nullâ humanâ mente, hâc in vitâ pervadi unquam poterit. Respondent tamen plures cum Melchiore Cano, L. 12. de Locis, c. Christum retinuisse in superiori animæ suæ parte gaudium & voluptatem, quæ ex beatifica Dei visione per se dimanat, nè in partem inferiorem efflueret: cohibuit autem, ut per tristitiam, & dolores, salutis nostræ opus perficeret; quomodo etiam impedivit, nè in toto vitæ suæ mortalis decursu, animæ suæ gloriæ in corpus ipsum redundaret.

Ad 2. intelligendus est S. Lucas, tum de gloriâ Christi completa, ratione animæ & corporis, quod gloriosum, ac incorruptibile ex sepulchro exivit, tum

de nominis Christi exaltatione, & cultu; *Propter quod Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Philipp. 2.

Quæres 1°. quænam objecta Christus cognoverit per scientiam beatificam.

R. Ea omnia quæ à Beatis in cælo videntur, aut videri possunt, de quibus alibi egimus. Et vero Christi animæ perfectissima quæcumque, non tamen comprehensiva, cognitio tribuenda est.

Quæres 2°. quænam objecta anima Christi cognoverit per scientiam infusam,

R. 1°. naturalia, sive necessaria, sive libera, cognovisse per proprias eorum species. Ratio est quia scientia Christi infusa perfectissima fuit, & angelicâ longe superior: sed Angeli res naturales necessarias immediate ac per proprias species infusas cognoscunt. Liberas autem cordium cogitationes Christo manifestas fuisse testatur S. Lucas, c. 6. *Ipse verò sciebat eorum cogitationes.*

R. 2°. res supernaturales, fidei scilicet mysteria Christum cognovisse, utpote qui *autor sit ac consummator fidei*: ea tamen non intuitivè ac in se, quod proprium est scientiæ beatificæ, sed per scientiam infusam ac species alienas cognovit, nempe in revelatione & fide nostra, lumine gloriæ, &c. hæc quippe omnia per scientiam infusam cognoscendo, simul etiam cognovit mysteria fidei cum iis connexa. Res autem creatas, sed supernaturales, ut gratiam, Sacramenta, intuitive ac immediate per scientiam infusam cognovit, quia sic cognosci possunt, nec ad ea cognoscenda absolutè necessaria est beatifica visio.

Quæres 3°. quænam Christi anima cognoverit per scientiam acquisitam & experimentalem.

R. ea omnia quæ per varias operationes mentis, vel sensuum externorum, successivè intellexit, aut in se expertus est. Usus quippe fuit Christus suâ ratione, ac suis sensibus, visu, auditu, tactu: identidem sitim, aliasque humani corporis infirmitates expertus fuit; quo sensu intelligi potest profecisse sapientiâ, acquisitâ nimirum & experimentali.



ARTICULUS III.

De perfectione animæ Christi quoad voluntatem.

GRatia generatim donum est Dei supernaturale, ex purâ Dei misericordiâ, sine ullis præcedentibus meritis concessum. Multiplex in Christo gratiæ species distingui potest; 1°. Gratia substantialis, quæ resultat ex intimo nexu naturæ divinæ cum humana, in unâ Verbi personâ; 2°. Gratia habitualis, accidentalis & adventitia, quæ internum est ac connaturale principium actionum supernaturalium; 3°. Gratia actualis, quæ est Dei motio & influxus ad actionem supernaturalem concurrentis; 4°. Gratia Capitis; 5°. Gratiæ gratis datæ ad commodum & utilitatem aliorum; 6°. Virtutes infusæ, vel morales, vel theologicæ. Denique, dona Spiritûs sancti. De quibus sigillatim ac paucis sic statuimus.

Conclusio I. Fuit in Christo gratia substantialis per quam humanitas Christi substantialiter sancta, Deoque acceptissima erat.

T. 4. p. 986. C. Prob. ex suprà dictis contra Nestorium, quibus placet addi istud S. Cyrilli Alexandrini, Libro 11. in Joan. c. 9. *Sanctum est quodcumque cernitur à mundi sordibus immune, quod quidem est in Christo naturaliter, sicut in Patre: adscititium vero & adventitium in sanctis Discipulis.*

Conclusio II. Præter gratiam substantialem, fuit in Christo gratia habitualis, & sanctitas adventitia perficiens animam in ordine ad operationes supernaturales.

Prob. quia genus omne perfectionis necessarium ad operationes supernaturales modo connaturali eliciendas, in anima Christi admitti debet: atqui talis est gratia habitualis inhærens; ergo.

Not. gratiam illam habitualem sub diverso respectu naturalem aliquando appellari, aliquando accidentalem. Dicitur naturalis, cùm spectatur humanitas in sensu composito unionis hypostaticæ: dicitur vero accidentalis & adventitia in sensu diviso unionis. Cave tamen cogites ex tali gratiâ Christum, aut sanctum dici posse per participationem, aut filium adoptivum, tùm quia gratia hæc aliam supponit naturalem & substantialem, tum quia effectus hujus gratiæ quasi formalis, est reddere subjectum in quo est, gratum Deum,

illudque juvare ad operationes supernaturales modo connaturali exercendas.

Conclusio III. Fuit in Christo gratia actualis, non quidem excitans, sed operans & cooperans.

Prob. 1. pars: Gratia excitans dicitur, quæ nos quasi sopitos ad bonum excitat: atqui tali gratiâ non indiguit Christus, ad optima quæque semper vigil & erectus, nulloque obice retardatus.

Prob. 2. pars: Gratia operans vel cooperans est ipsamet Dei nobiscum operantis concursus; is porro ad quamcumque creatam actionem semper necessarius est, ob essentialem dependentiam creaturæ à Creatore.

Conclusio IV. Fuit in Christo gratia Capitis.

Prob. Christus nullâ re sibi necessariâ caruit; atqui gratia Capitis Christo necessaria fuit, ut Ecclesiam moderaretur, eamque ad destinatum finem perduceret. Coloss. 1. *Ipse est Caput corporis Ecclesiæ.* Ephes. 1. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Neque vero Christus caput est otiosum; *Ecce*, ait Matth. 28. *vobiscum sum omnibus diebus.* *V.* 20.

Conclusio V. Fuerunt in Christo gratiæ gratis datæ.

Prob. Gratiæ gratis datæ dicuntur illæ, quæ ad commodum & utilitatem aliorum conferuntur: atqui habuit hujusmodi gratias Christus, qui tot in corporibus & mentibus prodigia operatus est.

Dices: Prophetia nonnihil obscure cognitum involvit: atqui Christus omnia clarè cognovit; ergo saltem non habuit gratiam prophetiæ.

R. dist. maj. Aliquando, & ratione subjecti cui datur gratia prophetiæ, C. semper, & ratione sui, N. unum id ex se prophetia exigit, ut sit futuri prædictio.

Conclusio VI. Fuerunt in Christo virtutes omnes morales, detractis omnibus imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis adversantur.

Prob. Virtus moralis ea dicitur, quæ voluntatem ad boni honesti prosecutionem inclinat: atqui istud virtutis genus fuit in Christo. In eo enim, ex dictis, fuit gratia habitualis: atqui virtutes morales simul cum habituali gratiâ infunduntur & animam inclinant ad faciliùs exercendos illarum virtutum actus; ergo.

Dixi, seclusis imperfectionibus, quæ vel peccatum supponunt, vel statui beatitudinis repugnant: unde in Christo nec spes nec fides fuit, ut mox dicemus;

nec etiam virtus continentiæ, ſaltem quantum ad aliquam partem: iſta quippe virtus duo in nobis importat, abſtinentiam ſcilicet ab omni voluptate venereâ, & reſiſtentiam pravis concupiſcentiæ motibus: fuit autem in Chriſto quantùm ad primum officium, non quantùm ad ſecundum, quia nulla fuit in Chriſto concupiſcentia.

Pari de cauſa non fuit in Chriſto fides, aut ſpes theologica. Non fides: quia verſatur circa res obſcuras; Chriſtus autem omnia clare cognovit.

Non ſpes; quia verſatur circa res futuras, & nondum poſſeſſas: at Chriſtus ſtatim à conceptione beatus fuit, & Deum intuitive poſſedit.

Conclusio VII. Fuêre in Chriſto dona Spiritûs S.

Prob. Iſaïæ 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectûs, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Hunc in locum ſic ſcribit Theodoretus: *Prophetæ ſinguli particularem*
T. 2. *gratiam quamdam acceperunt: in ipſo autem* (Chriſto)
p. 52. *habitavit tota plenitudo divinitatis corporaliter, & ſe-*
C. *cundùm humanitatem omnia Spiritûs habuit chariſmata.*

Et vero dona illa conferuntur, ut homo prompte ac expedite Spiritui ſancto moventi obſequatur: quis porro S. Spiritui obſequentior quàm Chriſtus, qui jam à ſuo in mundum ingreſſu dixit: *Ecce venio*, &c.

ARTICULUS IV.

De Libertate, Sanctitate, ac impeccantiâ Chriſti.

A Sanctitate & impeccantiâ initium ducemus.

SECTIO PRIMA.

De Sanctitate & Impeccantiâ Chriſti.

Adſcripti Chriſto peccati Calvinum reum agit Bellarminus Lib. 4. de anima Chriſti, c. 8. quod nempe, in cap. 27. S. Matth. & L. 2. Inſt. c. 16. n. 11. & 12. innuat iſta Chriſti verba, *Deus meus quare dereliqui-*
p. 180. *ſti me?* verba fuiſſe animi impatientis ac quaſi deſpe-
& ſeq. rantis. Reclamant hic equidem diſcipuli: verùm ab omni labe Novatorem hic purgare difficile eſt: quippe qui inſolitam quamdam animi perturbationem, quamvis & acerbitas doloris extorſit, in Chriſto agnoverit:

Metu perculsus, inquit, *& anxietate constrictus fuit,* *In Mat.*
ut necesse foret inter violentos tentationum fluctus, alternis votis quasi vacillare. Hæc ratio est, cur mortem deprecatus, mox sibi frænum injiciat; Patrisque imperio subjiciens, votum illud subito elapsum castiget ac revocet. Sit

CONCLUSIO. Nullum unquam fuit nec esse potuit in Christo peccatum; ejusque impeccantia, non gratiæ tantùm, sed naturæ, vi unionis hypostaticæ, referenda est.

Prob. 1. pars, 1°. ex Scripturis. II. Cor. c. 5. Apostolus ait, *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est hostiam pro peccato. Hebr. 4. *Tentatus per omnia pro similitudine absque peccato.* & c. 7. *Talis decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus.* I. Joan. 3. *Scitis quia ille apparuit, ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est.* Quapropter Christus, Joan. 8. v. 46. confidenter aiebat, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* quæ omnia thesim nostram diserte continent.

Prob. 2. pars, nempe veram & physicam in Christo impeccantiam fuisse, ex unione hypostaticâ profluentem. Prob. inquam, constanti SS. Patrum traditione.
S. Hypolitus Martyr, apud Theodoretum, Dial. 1. *T. 4.*
Arca, inquit, *ex lignis, quæ putrescere non poterant,* *p. 36.*
erat ipse Salvator. Origenes, L. 2. de principiis cap. B.
6. *Hoc modo*, inquit, *illa anima* (Christi) *quæ quasi* *T. 1.*
ferrum in igne, sic semper in Verbo.... semper in Deo po- *p. 442.*
sita est, omne quod agit, quod sentit, quod intelligit, G.
Deus est; & ideo nec convertibilis & mutabilis dici po- *T. 5.*
test. S. Dionisius Alexand. Ep. ad Paulum Samosate- *Conc.*
num: *Nemo est qui peccare non possit, nisi unus Chri-* *p. 855.*
stus, sicut & Pater Christus & Spiritus sanctus. S. C.
Augustinus cap. 36. Enchiridii ait, *per eandem grati-* *T. 6.*
am justificari homines à peccatis, per quam factum est *p. 210.*
ut homo Christus nullum habere posset peccatum. F.

Prob. 3°. ratione à Patribus factâ: Qui naturâ Deus est, & una cum Verbo persona, is ex vi unionis suæ cum Verbo, peccati capax esse non potest; aliàs dici posset Deum peccare posse, quod vel cogitare impium est: atqui Christus naturâ suâ Deus est, & una cum Verbo persona.

Obj. 1°. Christus Psal 21. fatetur se deliquisse. *Matth.*
Longè, inquit, *à salute meâ verba delictorum meorum.* *27. v.*
Et vero hæc impatientis animi verba: *Deus meus, ut* *46.*

quid dereliquisti me? nævum aliquem arguere videntur.

R. neg. ant. siquidem Psal. 21. Christus nostra delicta, sua esse dicit, quia eorum poenam in se transtulit. Quo sensu dicit Apostolus, II. Cor. 5. v. 21. *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecisse*, id est, hostiam pro nobis.

Istud autem, *Quare me dereliquisti?* impatientis hominis non est, sed hominis doloris sui acerbitatem, ac suæ humanitatis veritatem demonstrantis. Neque enim derelictus fuit Christus quantum ad superiorem animæ suæ partem, quâ Deo intuitivè fruebatur, sed solummodo quantum ad inferiorem & sensitivam, utpotè qui ad finem redemptionis nostræ cruciatibus obnoxius esse voluerit: ità S. Epiphanius, hæresi 69. n. 64.

Quæres, an fuerit aut esse in Christo potuerit concupiscentia.

Not. Concupiscentia sumitur vel nudè ac simpliciter pro appetitu sensitivo, qui ex natura sua ad res sensibiles tendit, vel pro appetitu vitiato, seu lege membrorum, quæ rationis usum antevertit ac plerumque perturbat, de qua Apostolus, Rom. 7. v. 14. hæc concupiscentia quæ & dicitur peccati fomes, poena est seu effectus, simul & causa peccati; jam

Resp. in Christo non fuisse nec esse potuisse concupiscentiam, quæ peccati fomes & lex membrorum dicitur. Si enim nullum in Christo fuit, vel esse potuit peccatum; ergo nec concupiscentia quæ ex peccato profluit. Unde S Augustinus, L. 1. contra duas Epi-
T. 2. stolas Pelagianorum, c. 11. *Concupiscentiam*, inquit,
p. 122. *spiritui resistentem non habere in carne mortali, ille tantummodo homo habuit, qui non per ipsam ad homines venit*, id est, qui non communi ceterorum hominum viâ natus est, sed ex virgine, divino Spiritu specialiter operante.

At, inquies, tentatus est Christus. Ita est: à diabolo tentatus fuit, quia permisit; non vero à propria
T. 1. sua concupiscentia. Egregie id exponit S. Gregorius
p. 1491. Magnus, Hom. 16. in Evangelia, his verbis: *Tentari*
D. *ergo per suggestionem potuit, sed in ejus mentem peccati delectatio non momordit: atque ideo omnis diabolica illa tentatio foris, non intus fuit.*

SECTIO SECUNDA.

De Libertate Christi.

Constat apud Catholicos omnes Christum subeundo mortem, & sibi & nobis meruisse per veram obedientiam. Si autem meruit, liber fuit: quâ porro ratione liber esse potuit, qui, utpote peccati incapax, impositam sibi moriendi legem transgredi non potuit? En nodus, qui Theologos jam dudum exercet, & diu exercebit: ut & nos quoque eâ de re balbutiamus,

Not. 1°. libertatem positam esse non tantùm in immunitate à coactione & violentia, sed etiam ab omni necessitate simplici ad unum invincibiliter determinante: unde merito definitur libertas, Facultas suî determinativa, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis agere potest vel non agere, vel etiam contrarium agere.

Inde nascitur duplex libertatis quasi species, una contrarietatis seu specificationis, altera contradictionis seu exercitii. Prior in eo posita est, ut agens liberum possit se ad malum perinde ac ad bonum flectere; posterior, in eo, ut tametsi agens determinatum sit ad speciem actionis, v. g. ad bonum, libere tamen hoc vel illud bonum eligat, ex hoc vel illo motivo, in his vel illis circumstantiis. Ad essentiam porro libertatis non pertinet libertas contrarietatis, id est, facultas mali perpetrandi: *Nec libertas nec pars libertatis est potestas peccandi*, ait S. Anselmus, Dial. de libero arbitrio, c. 1. imo potiùs, ut ait S. Thomas, *defectus est libertatis.*

Not. 2°. præceptis duplicis ordinis Christum obstrictum fuisse: naturalibus scilicet & positivis. Naturalia legem ipsam à natura nobis insitam spectant, v. g. cultum Dei, honorem parentum, &c. positiva, legem aliquam positivam exprimunt, v. g. subeundam mortem. p. 17. col. 1. E.

Not. 3°. in quolibet præcepto, seu naturali seu positivo, duo esse, substantiam scilicet præcepti, & circumstantias ipsi adjunctas: v. g. in præcepto dilectionis Dei, ipsa dilectio est substantia præcepti; hoc autem vel illud motivum ex quo elicitur dilectionis actus, hic vel ille finis ad quem ordinatur, totidem sunt præcepti dilectionis circumstantiæ. Pariter in præcepto de subeunda morte quod Christo impositum fuit, ipsa mors est substantia præcepti; hic autem vel ille

mortis subeundæ modus, tempus v. g. motivum, ad circumstantiam præcepti attinet.

Consentiunt fere omnes Theologi, Christum circa substantiam præceptorum Legis naturalis liberum non fuisse, ut ea observaret vel non observaret: quâ enim necessitate non potest Deus semetipsum negare; non potuit Christus non observare Legis naturalis præcepta. Liber itaque duntaxat fuit circa varia motiva, variumque finem ad quem præceptorum hujusmodi observationem referebat.

De præceptis igitur positivis, ac præsertim de præcepto mortis subeundæ, quod Pater Christo imposuit, hic potissimùm quæritur, an & quæ fuerit circa ipsum libertas Christi. Neque una est eâ de re omnium opinio.

1°. Itaque docent Thomistæ, stante quidem præcepto de subeunda morte, Christum in sensu composito non potuisse non mori; liberum nihilominùs fuisse, quia absolute & in sensu diviso potuit, non mori: necessitas quippe consequentiæ, ut aiunt, non officit libertati, sed tantùm necessitas consequentis,

Verùm hic explicandi modus, præter subobscuram sensûs compositi & divisi significationem, gravissimam difficultatem patitur: siquidem hypothesis seu suppositio antecedens, quæ voluntatis consensum antecedit, & tollit potentiam ad oppositum, tollit quoque libertatis indifferentiam: atqui talis fuit impeccantia Christi; hæc enim antecedenter oriebatur tùm ab unione hypostatica, tum à beatificâ visione: stare quippe cum illis non potest libera & expedita ad malum, seu ad non obediendum præcepto divino potentia.

Nec dicas unionem hypostaticam non immutare modum operandi voluntatis, nec principium proximum, quia nihil illa effective producit. Esto: at id certum, vi unionis illius hypostaticæ Christum peccati prorsus incapacem fuisse; ergo illâ stante, non potuit non observare mandatum Patris de subeunda morte; ergo liber non fuit. Deinde visio beatifica, quâ fruebatur Christus, in omnium sententiâ immutat modum operandi, ac physice determinat ex parte principii ad servanda præcepta; ergo non fuit in Christo potentia ad ea non observanda.

2°. Existimant multi è Recentioribus post Vasquem Christum liberum fuisse circa præcepta, quia licet omittere non potuerit objectum præcepti quantùm ad substantiam, v. g. mortem: attamen liber fuit non solùm circa mortis circumstantias, sed etiam circa inte-

riores actus subeundæ mortis, & circa hoc vel illud motivum exequendi præcepti: hæc quippe omnia Christo imperata non fuêre, sed ejus arbitrio relicta. Probant exemplo Martyrum, qui licet necessario sint aliquando morituri, merentur tamen libere anticipando mortem quam à Tyrannis patiuntur.

Verùm si Christus circa substantiam mortis imperatæ liber non fuit; nec per eam meruit, nec vere in obeunda morte fuit obediens; quod Scripturæ consentire non videtur. Exemplum Martyrum ad rem nostram aptum non videtur: quia licet omnibus *hominibus statutum* sit *semel mori*, non tamen nobis determinatum est mortis tempus; ac spes ulterius prorogandæ vitæ affulgere potest: quapropter Martyres mortem anticipando, & isti spei renuntiando, veri meriti laudem habent.

3°. Aiunt nonnulli, Christo impositum non fuisse præceptum mortis obligans sub peccato, sed solum prout communiter obligans Regulæ Communitatum, quæ tamen sunt materia obedientiæ, & quidem perfectioris, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 104. art. 1. ità, teste Cardinali de Lugo, Victoria, Medina, Paludanus, Albertus Magnus, &c.

Verùm singularis hæc opinio male congruit Scripturæ. Joan. 10. v. 17. & seq. *Ego pono animam meam.... Hoc mandatum accepi à Patre meo.* & cap. 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Porro vox mandati proprie sumpta legem rigorosam sonat. Philipp. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Rom. 5. v. 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi; ità per unius obeditionem justi constituuntur multi;* ergo sicut primi hominis inobedientia, fuit veri præcepti transgressio, sic & secundi obedientia, fuit veri & proprie dicti præcepti adimpletio. His igitur omissis systematibus, sit

Conclusio I. Christus vere liber fuit, non tantùm circa circumstantias imperatæ mortis, sed etiam circa mortem ipsam.

Prob. 1°. ex Scriptura. Isaïæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Joan. 10. *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me sed ego pono eam à me ipso*: atqui in his textibus qui veram indicant libertatem, non tantùm de circumstantiis mortis agitur, sed de morte ipsa; ergo.

2°. Ille vere liber fuit circa mortem ipsam, non

vero tantùm circa mortis circumstantias, qui morte ipsâ, seu proprio suo sanguine, & sibi, & nobis meruit; sibi, nominis exaltationem, nobis, salutem æternam: atqui Christus... Hebr. 5. *Consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Filipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ephes. 1. *In quo* (Christo) *habemus redemptionem per sanguinem ejus in remissionem peccatorum.* Porro si morte
T. 2. ipsâ meruit Christus, liber fuit in ea subeunda: *Si na-*
p. 192. *turæ necessitate,* ait S. Greg. Nyssen. Orat. 11. adver-
C. sùs Eunomium, *beneficium Incarnationis à Filio hominibus factum esse dicunt, nullam omnino gratiam habens; quia non ad liberam & absolutam potestatem, sed ad naturalem necessitatem, quod factum est, referunt.*

Prob. 2°. ex SS. Patribus. S. Chrysostomus, Hom.
Edit. 28. in Epist. ad Hebr. ad ista verba, *Qui proposito sibi*
Com- *gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ,* sic habet:
mel. *Hoc est, licebat ei nihil pati, si voluisset... Erat ergo ei*
p. 1934. *promptum, si voluisset, non venire ad crucem.* S. Am-
T. 2. p. brosius, Lib. 4. de fide; cap. 10. aliàs 5. *Potestatis suæ*
543. B. *esse significat ponere animam, & liberæ voluntatis.* S.
T. 2. p. Augustinus, L. 4. de Trinitate, c. 13. *Qui posset,* ait,
811. D. *non mori, si nollet, procul dubio quia voluit mortuus est:* sed qui pro nutu potest non pati, non mori, circa passionem ipsam & mortem vere liber est; ergo.

Conclusio II. Libertas Christi in obeunda morte, cum mandato Patris mortem imperantis, & ipsâmet Christi impeccantiâ, in eo conciliari rectè potest, quod moriendi mandatum omnimodè absolutum non fuerit.

Prob. Duplex in Christo fuit voluntas, divina & humana: sed ex utraque Christus libere se subjecit mandato Patris de subeunda morte. De divina nihil dubii esse potest: una quippe ac divisa est Patris & Filii divina voluntas; ergo quâ libertate Pater Filii sui mortem decrevit, eâdem prorsus & Filius moriendi legem sibi imposuit. Unde nullum propriè Deus Deo mandatum dedit secundùm id S. Cyrilli. lib. 10. in Joan.
T. 4. p. *Habes igitur in subjectione voluntariâ voluntatem Pa-*
882. C. *tris ad impletionem, quam loco mandatorum Filius apud se esse ait. Nam cum Patris consilia, ut Verbum, intelligat, voluntatem ejus ad opus perducit, mandati loco eam habens, atque ità humano more eam nuncupans.* Et S. Basilius, Lib. de Spiritu sancto, c. 8. *Proinde,* inquit, *quod dicitur mandatum, ne sermonem*

imperiosum intelligamus, Filio velut obedienti præscribentem, quid facere debeat; sed juxta sensum Deo dignum intelligamus voluntatis traditionum, instar formæ cujuspiam in speculo relucentis, à Patre in Filium sine tempore dimanantem.

Quod autem humana Christi voluntas omnimodè absolutum moriendi mandatum non recepit, facilè probatur. Non enim omnimodè absolutum est id cujus dispensatio potest obtineri: atqui Christus, seipso teste, impositæ sibi de morte subeundâ legis dispensationem postulare poterat. *An putas*, aïebat ad Petrum, Matth. 26. *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* ergo.

Obj. 1°. Si moriendi præceptum absolutum non fuisset, male postulasset Christus, ut à se transiret calix passionis: siquidem inutiliter postulat quis quod in suâ habet potestate.

Præterea, qualecumque fuerit illud mandatum, non potest ejus dispensatio postulari absque præjudicio immutabilitatis sive Dei Patris, sive Christi: si enim absolutum supponatur, impossibile est illud revocari à Deo plane immutabili, nec postulari istud potest, nisi supponatur Deum aliquando id nolle quod anteà voluit. Si vero supponatur conditionatum, & à Christo acceptatum, quomodo posset Christus sine vitio mutationis, nolle exequi, quod anteà supponitur libere acceptasse ac exequi decrevisse?

R. ad 1. neg. maj. Qui enim voti v. g. dispensationem obtinere potest, non est liber à voto, nisi dispensationem suam de facto impetraverit; ergo ut Christus à mortis præcepto liber foret, præcepti hujus relaxationem obtinere tenebatur: non obtinuit autem, quia non petivit voluntate rationis absolutâ, quæ semper exaudiebatur, Joan. 11, 42. sed appetitu carnis, quæ mortem exhorret.

Ad 2. falsò supponitur non posse; vel Deum sine mutationis vitio, legem ferre & ab ipsa subinde dispensare; vel Christum petere dispensationem à lege, quam libere acceptavit: utrumque enim sine labe ullâ mutationis ex parte Dei vel Christi stare potest; quia qui legem tulit, simul statuit à lege dispensare. Ità legem illicitæ polygamiæ tulit Deus, à qua tamen dispensavit. Ità Christus libere acceptando legem moriendi, simul facultatem sibi servavit, petendi, si vellet, dispensationem ab illa lege; nec quid minùs recti

fecisset, si postulasset de facto. Nonne Loth, post im-
Genes. positum sibi à Deo præceptum fugiendi in montem,
19. petiit dispensationem, ut liceret sibi fugere in civitatem
Exod. Segor? Nonne Moyses, post impositum sibi à Deo præ-
3.& 4. ceptum educendi filios Israël ex Ægypto, petiit semel & iterum revocationem illius præcepti? Nonne Deus ipse post prohibitam polygamiam, dispensavit cum Abrahamo & aliis Patriarchis ut possent simul plures ducere uxores?

Obj. 2°. Tenebatur Christus ex præcepto naturali caritatis, mori pro redemptione generis humani: atqui præcepti naturalis nulla dari potest dispensatio; ergo.

R. neg. maj. Ex summa quidem caritate voluit Christus homo fieri, ut hominem perditum liberaret: at nullo ad id naturali præcepto obstrictus erat; siquidem etiam aliâ, quàm mortis, viâ potuisset Deo Patri satisfacere.

Inst. Tenebatur Christus ad id quod optimum est: sed optimum est velle ex caritate hominem salvum facere.

R. Christum, sicut & Deum, non teneri semper ad id quod optimum est absolutè, sed tantum relative, & apposite ad finem sibi præfixum.

Quæres an fuerint in Christo humanæ naturæ passiones.

R. fuisse, sed sine imperfectionibus quæ nobis adhærescunt, & ex peccato sequuntur. Fuit enim in Christo dolor: Isaïæ 53. *Vidimus eum... virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Fuit tristitia: Matth. 26. *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Fuit metus & pavor: Marci 14. *Cœpit Jesus pavere & tædere.* Fuit ira: Marci 3. v. 5. *Et circumspiciens eos cum ira, contristatus*,
T. 1. p. *&c.* Et vero Christus verus homo fuit. *Decebat autem*,
682.A. ait S. Athanasius, Orat. 3. contra Arianos, *Dominum humanam carnem induentem, totam eam cum propriis affectionibus induere.*

Removenda porro est ab istis Christi passionibus omnis imperfectio. In nobis passiones illæ ut plurimùm, usum rationis antevertunt ac perturbant: in Christo pacatæ fuerunt, moderatæ, deliberatæ, arbitrio voluntatis semper subjectæ. Rem, ut consuevit, solidè docet S. Thomas, 3. p. q. 15. art. 4. *Sciendum*, inquit, *quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad tria; 1°. quidem quantum ad objectum, quia in nobis plerumque hujusmodi passiones feruntur ad illicita, quod in Christo non fuit; 2°. quan-*

tum ad principium, quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis; secus in Christo; 3°. *quantum ad affectum, quia in nobis quandoque hujusmodi motus non sistunt in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem; quod in Christo non fuit, quia motus naturaliter humanæ carni convenientes, sic ex ejus dispositione in appetitu sensitivo manebant, quod ratio ex his nullo modo impediebatur facere quæ conveniebant.*

QUÆSTIO DUODECIMA.

De variis Christi titulis & officiis.

§. I. *An Christus dici possit filius Dei adoptivus.*

Filius vel est naturalis, cui jure nativitatis & sanguinis paterna hæreditas debetur; vel adoptivus, qui tantùm per assumptionem & gratiam ad hæreditatem vocatur; unde adoptio definitur à Jurisconsultis; *Personæ extraneæ gratuita acceptatio ad hæreditatem.*

Octavo seculo exeunte, Felix & Elipandus, hic Toletanus, ille Urgelitanus Episcopus, docuerunt Christum esse filium Dei adoptivum. Rem sic narrat Eginhardus ad an. 791. Felix, inquit, ab Elipando consultus, quid de humanitate Christi Domini sentiret, an secundùm quod homo est, proprius, an adoptivus Dei filius dici debeat, valde inconsiderate & contra antiquam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam, adoptivum non solùm pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum Libris pertinacissimè pravitatem opinionis suæ defendere curavit. Hujus rei causâ ductus ad Palatium Regis Caroli Magni, qui tunc apud Reginum Baïoariæ civitatem in quâ & hyemaverat, residebant; ubi congregato Episcoporum Concilio auditus est & errasse convictus, ad præsentiam Adriani Pontificis Romam missus, ubi etiam coram ipso in Basilica B. Petri Apostoli hæresim confessus est, atque abdicavit; quo facto ad civitatem reversus est. Ibi autem cum ad vomitum, instigante Elipando, Felix rediisset, celebrata est an. 794. Francofurti Synodus, in qua proscriptus ille iterum fuit ac damnatus.

Duplici autem modo defendi potest error ille: Primus Nestorianus est, qui cum asserat duas esse in Christo personas, Christum & personâ & naturâ filium Dei adoptivum agnoscit; secundus restringit titulum

filii adoptivi ad unam humanitatem. Ità Durandus, L. 3. dist. 4. q. 1. docet Christum ratione naturæ humanæ dici posse filium adoptivum Spiritûs sancti, à quo humanitas Christi gratiam accepit, per quam obtinetur adoptio filiorum Dei.

Quo porro sensu Felix & Elipandus dixerint, Christum filium esse Dei adoptivum, an Nestoriano, an alio, non satis apertum est. Fatendum tamen gravissima esse momenta, quæ illos Præsules Nestoriani erroris reos accusant: 1°. enim in Libello Sacrosyllabico Paulini, dicuntur illi duo Episcopi *novi hostes; at veternosâ fæce perfidiæ polluti*; 2°. in Epistola Synodica Concilii Francofordiensis eorum hæresis in Nestorio jam damnata dicitur; & redarguuntur illi, quod Nestorio anathema dicere recusaverint, idemque intelligerent nomine *adoptionis*, quod Nestorius nomine *copulationis*; 3°. Jonas Aurelianus Libro 1. de cultu Imaginum, aït Felicem idem cum autore sui erroris Nestorio sensisse; 4°. Agobardus, in Libro adversus Felicem, narrat se Felicis, qui tunc è vivis excesserat, schedulam invenisse, in qua contendebat, Deum Dei patris filium, nullatenus dici debere passum, aut crucifixum, sed hominem ab eo assumptum: quæ, ut ibid. notat Agobardus, ipsa fuit Nestorii sententia. Quapropter Patres Francofordienses in Epistola Synodica observant, in mente Felicis & Elipandi Christum hominem ex servo adoptatum fuisse in filium: unde sequitur Christum priùs hominem purum & servum creatum fuisse: ac deinde ad dignitatem filii evectum.

T. 7. Con. p. 1044. A B. Bibl. PP. T. 14. p. 68. D Ib. p. 243. & seq. T. 7. Conc. p. 1043. D.

Ad minus igitur constat, 1°. duos illos Episcopos, ceterorum Hæreticorum more, ità mentem suam ambiguitate verborum & arte multiplici involvisse, ut vix liquido eorum sensus dignosci possit; 2°. S. Pontificem Adrianum & Concilium Francofordiense simpliciter & absolutè damnasse propositionem istam, *Christus ut homo filius est adoptivus*, quidquid tandem per *hominem*, intelligatur, sive persona, sive natura: ità ut etiam sub expressâ limitatione humanæ naturæ, non liceat Christum filium Dei adoptivum appellare. Peccarunt igitur Scotus & Durandus. Iste, cùm scripsit Christum dici posse filium adoptivum; non quidem simpliciter & absolutè, sed *secundum humanitatem, vel prout homo est*. Ille vero, dum concedit quidem id dici posse, at non expedire ut dicatur, propter Hæreticos, qui hâc denominatione abutuntur. Itaque sit

Conclusio. Christus nullâ ratione, nequidem sub

expressâ humanitatis restrictione, dici debet filius Dei adoptivus.

Prob. Christus est unigenitus Dei filius, ex dictis contra Nestorium; *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris ipse enarravit*: atqui idem unigenitus Filius, est quoque filius proprius, verus, & naturalis. Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Matth. 3. *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* I. Joan. 5. *Scimus quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero filio ejus.* Rom. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum.* Quo in loco, ut observat Adrianus S. P. in Epist. ad Episcopos Hispaniæ, Christus proprius filius vocatur secundùm eam ipsam naturam in quâ traditus fuit, id est humanam; ergo Christus nequidem sub expressâ restrictione humanitatis, dici potest filius adoptivus; aliàs duo admittendi essent filii, unus naturalis, adoptivus alter: at hic ipse fuit Nestorii error.

Joan. 1. 18.

T. 7. *Conc. p.* 1015. C. D.

Prob. 2°. ex SS. Patribus, S. Hilarius, L. 3. de Trinit. de Christo jam morituro aït: *Hic & verus, & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione.* S. Augustinus Tract. in Joan. *Oportebat*, inquit, *ut ille baptisaret, qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt Unici: Unicus habet potestatem, adoptati ministerium.* Africani Præsules, in Libello emendationis Leporii: *In hoc*, inquiunt, *maximè fides nostra consistit, ut credamus unicum filium Dei, non adoptivum, sed proprium.* Meritò igitur Francofordienses Episcopi latè & diligenter expensâ Traditione, atque à fraudibus hæreticorum vindicata, in sua Synodica Epistola sic loquuntur: *Nec Apostoli eum sic*, id est adoptivum, *nominaverunt, nec sancta Dei & Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem habuit sic eum appellare, imo nec credere eum adoptivum esse; sed proprium filium, juxta præcedentia Apostolorum testimonia & SS. Doctorum dogmata*; & infrà: *Quid est aliud dicere eandem Virginem adoptivum vel servum genuisse, nisi negare Deum illam genuisse? Si Deus generatus est, nequaquam adoptivus, sed filius, quia alia persona est proprii filii, alia adoptivi filii servi: & scimus unam esse personam in Christo Deo.* Ex quibus postremis Concilii verbis hæc decretoria ratio deducitur: adoptio cadit in personam extraneam, quæ non ex origine ac naturâ, sed favore & gratiâ vocatur ad hæreditatem: atqui nulla est in Christo Domino extranea

Pag. 813. D.

T. 3. *part.* 2. *p.* 343. B.

Bibl. PP. T. 7. *p.* 2. H.

T. 7. *Conc. p.* 1043. D.

Ibid. p. 1044. C.

persona, sed unica, eaque divina, quæ à natura sua & origine jus habet ad hæreditatem paternam seu cælestem; ergo Christus nullâ ex parte est, aut dici potest filius adoptivus.

Obj. 1°. Nonnulli è veteribus, ut Irenæus, L. 3. adversus hæreses, c. 21. Theodoretus, Dial. I. Hilarius, L. 2. de Trinit. Augustinus, L. de Prædest. SS. cap. 15. adoptionis nomine utuntur, cùm agunt de Christo; ergo.

R. sensum illorum hunc esse, naturam humanam gratis & absque ullis antecedentibus meritis adoptatam fuisse, id est assumptam ad unionem hypostaticam cum Verbo. Non de persona Christi loquuntur citati Scriptores, sed de natura: neque enim persona hominis, sed ejus natura à Verbo assumpta fuit, & quidem gratuitò ex mera Dei liberalitate; quæ assumptio, adoptio dicitur, sensu longè diverso ab eo de quo hîc controversia movetur.

Obj. 2°. Ubi est causa formalis adoptionis, ibi etiam agnoscenda est adoptio, saltem cùm restrictione humanæ naturæ: atqui est in Christo ratio formalis adoptionis, nempe humana natura, & habitualis gratia. Namque vel humanitas est ratio formalis filiationis naturalis, vel filiationis adoptivæ: at prius dici non potest; ergo.

R. neg. min. Ratio quippe formalis, seu potius, fundamentum filiationis, est ipsa persona, non natura; gratia quidem habitualis in persona extranea, qualis est homo, fundamentum est adoptivæ filiationis; at non in persona intranea, qualis est homo Christus; imo potiùs gratia habitualis derivatur ex ipsamet persona, seu ex hypostatica unione humanæ naturæ cum Verbo.

Inst. 1°. Vel Christus quatenus homo filius est adoptivus, vel filius naturalis: atqui quatenus homo filius non est naturalis, Filiatio etenim naturalis fundatur in generatione, seu in substantia quam filius à patre per veram generationem accipit: atqui Christus quatenus homo ex substantia Dei per veram generationem non prodiit; ergo non est filius naturalis; ergo filius est adoptivus.

R. neg. maj. Reduplicatio enim, *quatenus homo*, vel humanam personam denotat, vel humanam naturam: si prius, certum est ex fide, humanam in Christo non esse personam; si posterius, humanitas funda-

mentum non eſt filiationis aut naturalis, aut adoptivæ, ſed una Verbi perſona.

R. 2°. nego min. Chriſtus quippe quatenus homo hypoſtaticè junctus cum Verbo, filius eſt naturalis.

Ad probationem diſt. Filiatio naturalis per viam generationis fundatur in generatione, C. per viam unionis ſubſtantialis & perſonalis cum Verbo, N. Duplici ergo modo poteſt quis filius naturalis dici & eſſe: vel quia genitus eſt de ſubſtantia Dei, vel quia ſubſtantialiter ac hypoſtaticè unitur cum Deo, virtute cujus unionis fit ut una ſit cum Deo perſona & conſequenter filius naturalis.

§. II. *An posſit Chriſtus ſervus dici & creatura.*

R. ad 1. Varius hîc eſt antiquorum, & recentiorum loquendi modus: 1°. Sunt qui Chriſtum ſervum dici poſſe, abſque ullo dignitatis ejus diſpendio, exiſtimant. *Si quis Chriſtum ſervum nominatum Prophetarum voce dixerit, offendi neminem oportet*, ait S. Cyrillus Alexandrinus in Reſponſione ad Theodoreti reprehenſionem, ad ſextum Anathematiſmum. Et revera quidem ſic Chriſtum appellant Sancti Athanaſius, Hilarius, Gregorius Nazianzenus, Ambroſius, Libro 5. de fide, capite 3. Auguſtinus, in Pſalm. 108. Ad hanc porro ſententiam his momentis ducti illi fuêre: 1°. autoritate Scripturæ, Iſaïæ, 42. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum*, quod de Chriſto dictum interpretatur S. Matth. c. 12. v. 18. 2°. ex conditione naturæ humanæ, quam Chriſtus aſſumendo, *formam ſervi* aſſumpſiſſe dicitur, Philipp. 2. 3°. ex controverſia cum Arianis, qui divinitatem Chriſti ex eo capite impugnabant, quod ſervus in Scripturis appellaretur: quibus prædicti Doctores reſpondebant, Chriſtum ſervum duntaxat appellari propter humanam ejus naturam, quæ ſerva eſt ac ſubdita, illæsâ & integrâ manente ejus divinitate.

T. 6. p. 223. C.

2°. Alii contendunt Chriſtum nullatenus ſervum dici oportere. Ità S. Dionyſius Alexandrinus, in Epiſtola ad Paulum Samoſatenum, negat Chriſtum, qui naturâ Dominus erat, fuiſſe naturâ ſervum. S. Auguſtinus, Hom. 39. quam laudant Patres Francofordienſes in Epiſtola Synodica; *Dominus noſter*, inquit, *etiam in forma ſervi, non ſervus.* Ipſi denique Patres Francofordienſes, in eadem Synodica Epiſtola, & Adrianus S. P. in Epiſtola ad Hiſpaniæ Epiſcopos, iiſdem planè momentis oſtendunt Chriſtum nec filium ado-

T. 1. Conc. p. 854. Conc. p. 1041. D.

ptivum, nec servum dici posse. Momenta autem, ista sunt: 1°. autoritas Scripturæ: Apostolus, Hebr. 3. anteponit Christum Moysi, quod Moyses esset *Fidelis in tota domo ejus tanquam famulus...Christus vero tanquam filius in domo suâ*; 2°. quia servi, sicut & filii denominatio ad personam pertinet, non ad naturam: unde periculum est, nè si Christus servus dicatur, duo filii cum Nestorio inducantur; 3°. quia Christus sui juris est, non alieni, eaque omnia possidet quæ Patris sunt; quia Christus in Scripturis Dominus sæpissimè nuncupatur.

Conciliari tamen possunt dissidentes illæ sententiæ: nimirum servi nomen vel strictè sumitur pro eo qui sui juris non est, sed alieni, ità ut nullum per se jus habeat ad bona domini; vel latè, & sic servus dicitur, qui dependentem habet naturam, & alterius voluntati subditus est. Primo sensu Christus nec est, nec dici potest servus; utpote cui quatenus vero Deo, competat habere omnia quæ habet Pater. Posteriori sensu nihil est cur negetur servus, cùm & naturam habeat dependentem, & parentibus, nedum Deo soli subditus fuerit.

R. ad 2. Christum secluso hæresis periculo, dici posse creaturam: quia vox illa primario ad naturam ipsam nòn ad personam refertur: creatura namque secundùm naturæ proprietatem, non secundùm subsistendi modum dicitur; aliunde vero Scripturæ Christum, factum vel creatum appellant. Galat. 4. *Misit filium suum factum ex muliere.*

Nihilominus S. Thomas hîc q. 16. art. 8. docet, *nè hæreticorum errori favere videamur, non esse absolutè dicendum, quod Christus sit creatura; sed cum determinatione, scilicet secundum humanam naturam*, quia scilicet Ariani contendebant non tantùm Christi naturam, sed & personam creaturam esse: vox quippe *creatura* ad utramque referri potest. *Ea porro*, pergit S. Doctor, *de quibus suspicari non potest, quod divinæ personæ conveniat, possunt simpliciter dici de Christo ratione humanæ naturæ; sicut dicimus simpliciter Christum esse passum, mortuum, &c.*

§. III. *Possitne Christus mediator appellari?*

Mediator dicitur, qui medius est inter partes dissidentes ut eas reconciliet: sequester aliquando à Latinis vocatur, quia eum pars utraque contendentium sequitur.

Multis modis potest quis mediatoris partes sustinere: 1°. ut internuntius ac interpres partis utriusque; 2°. ut arbiter electus ad componendam litem; 3°. ut intercessor & advocatus; 4°. ut sponsor, qui parti læsæ, pro altera quæ offendit, plenè satisfaciat. Quæritur an iis titulis Christus sit mediator.

Conclusio I. Christus omnibus modis mox recensitis verus Mediator est Deum inter & homines.

Prob. nam. 1°. vere internuntius fuit voluntatis paternæ. Joan. 1. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Hoc sensu vocatur *Angelus fœderis* à Malachia, c. 3. & *Consiliarius* ab Isaïa, c. 9. v. 5.

2°. Potest Christus dici arbiter: quia in procuranda nostra cum Deo reconciliatione, justitiam misericordiâ mire temperavit, pœnas nobis debitas in se transferendo, justitiæ divinæ superabunde satisfecit, & ex misericordia Deus, debitum, quod contraxeramus, nobis relaxavit.

3°. Christus intercessor & advocatus noster est apud Patrem. I. Joan. *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum.* Rom. 8. *Jesus Christus qui...est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*

4°. Verus sponsor ac mediator noster est Christus, qui loco nostrî divinæ justitiæ satisfecit, ut nos ab æterna morte peccati redimeret. I. ad Timoth. 2. v. 4. *Unus Deus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Plura eam in rem jam diximus contra Socinianos, ubi de veritate satisfactionis Christi.

Conclusio II. Christus ut Deus homo, secundùm utramque naturam, divinam & humanam, Mediatoris nostri partes implevit.

Prob. ex Scripturis, quæ utramque Christi naturam, divinam & humanam, assignant ad titulum mediatoris, & redemptoris officium. Siquidem Act. 20. Deus Ecclesiam *sanguine suo acquisivisse* dicitur. I. Cor. 2. v. 8. *Dominus gloriæ* dicitur *crucifixus*: atqui Deus simplex & solus sanguinem non habet, nec crucifixus est: ergo duplicem naturam in Christo ad opus mediatoris simul concurrisse Scriptura declarat. Unde I. ad Timoth. 2. *Unus mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* Belle igitur S. Aug. L. 10. Conf. c. 42. *Mediator*, inquit, *inter Deum & homines oportebat ut haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus; nè in utroque hominibus similis longè esset à Deo; aut in utroque* T.2.p. 1649. A. B.

Deo similis longè esset ab hominibus, atque ità mediator non esset.

Quæres an oraverit Christus tanquam mediator?

R. Christum hominem decursu mortalis suæ vitæ orasse, & etiamnum in Cælis orare. Patet id 1°. ex Scriptura. Heb. 5. *In diebus carnis suæ preces supplicationesque.... offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Rom. 8. *Jesus qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* Et Heb. 7. dicitur, *semper vivens ad interpellandum pro nobis;* 2°. quia voluntas humana Christi ex qua orabat, per se ipsam satis potens non erat, ut quæcumque vellet, posset adimplere; ergo necesse fuit ut ad divinam recurreret virtutem, unde quæ volebat obtineret.

Oravit autem Christus, tùm ut mediatoris officium adimpleret; tùm ut orandi formam & exemplum nobis præscriberet.

Cùm vero humana Christi voluntas, alia sit absoluta & efficax, alia conditionata & inefficax, duplex quoque oratio Christi distinguitur; una efficax & absoluta, quæ semper impletur, de qua Christus ipse ait: *Joan.* *Ego autem sciebam, quia semper me audis;* alia vero 11. 41. conditionata & inefficax, ex qua dicebat: *Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste.* Hâc voluntate pro salute omnium hominum generatim oravit Christus, *qui pro omnibus mortuus est*, conformans se voluntati Dei antecedenti, quâ vere ac sincere *vult omnes* *I. Timot. 2.* *homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.*

§. IV. *Fuitne Christus verus Sacerdos?*

Matth. 23. v. 18. Conclusio I. Christus verus est Sacerdos ac Pontifex novæ Legis.

Prob. 1°. ex Hebr. 4. *Habentes Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium.* Et v. 15. *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris.*

Prob. 2°. ratione. Ad verum sacerdotium tria requiruntur: 1°. divina populo tradere; 2°. preces populi Deo offerre; 3°. pro peccatis populi satisfacere: *Omnis quippe Pontifex*, ait S. Paulus Hebr. 5. *ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis;* atqui tria hæc Christo apprime conveniunt: 1°. Cælestia populo tradidit: *Per quem*, inquit S. Petrus Ep. II. c. 1. *Deus maxima & pretiosa promissa donavit;* 2°. Preces populi offert Deo: est enim *semper vivens ad*

interpellandum pro nobis, Rom. 8. 3°. Pro peccatis populi ſatisfecit: Hebr. 9. *Quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* ergo.

Conclusio II. Chriſtus fuit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.

Prob. Pſal. 109. *Tu es Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Quæ verba S. Paulus, Hebr. 5. repetit & Chriſto adaptat.

Porro Sacerdotium Chriſti æternum dicitur, non quoad actum, ſed quoad effectum, & repræſentationem pretii ſemel oblati; *Unâ enim oblatione*, ait S. Paulus, Hebr. 10. *conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Similitudo vero ſacerdotii Chriſti cum ſacerdotio Melchiſedech his capitibus conſtat, 1°. Nomen ipſum Melchiſedech idem eſt ac Rex juſtitiæ; dicitur etiam Rex *Salem*, id eſt Rex pacis. Item dicitur ſine patre & matre: porro hæc omnia recte Chriſtum præfigurarunt, qui fuit ſine patre in generatione temporali, & in æternâ ſine matre; quique verus eſt Rex pacis & juſtitiæ; 2°. Chriſtus obtulit ſacrificium ſimile, quantum ad res ſenſibiles, ſacrificio Melchiſedech in pane & vino, Gen. 14. v. 18. unde S. Cypr. Ep. 63. ad Pag.
Cæcil. *Quis magis ſacerdos Dei ſummi quàm Dominus* 100.
noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech, id eſt panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem?

§. V. *Sitne Chriſtus caput Eccleſiæ, &c.*

In capite morali, ſervatâ analogiâ ad caput naturale tria requiruntur; 1°. præeminentia; 2°. conjunctio cum membris; 3°. influxus ſpiritalis & interior in membra. Sit

Conclusio. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, & Angelorum.

Probr. 1. pars, 1°. ex Epheſ. 1. ubi ſic: *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo ejus;* & cap. 5. *Vir caput eſt mulieris ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* Coloſſ. 1. *Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.*

Prob. 2°. quia Chriſtus habet tres dotes ad caput morale neceſſarias: 1°. gratiæ donis alios longè ſuperat. *Vidimus eum* PLENUM *gratiæ & veritatis*; 2°. Joan.
Non tantùm cum membris ſuis, hoc eſt Fidelibus, con- 1. v. 14.
jungitur, ſed proponitur tanquam exemplar omnium

prædestinatorum. Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini filii sui*; 3°. In membra sua per interiorem gratiæ subministrationem, sicut vitis in palmites influit. Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*. Et Ephes. 4. *Crescamus in illo, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum.*

Prob. 2. pars, nempe quod Christus, sit caput Angelorum, præeminentiâ scilicet, potestate, & gratiæ secundariæ largitione.

1°. Præeminentiâ. Coloss. 2. *Estis in illo* (Christo) *repleti, qui est caput omnis principatûs & potestatis.* Eph. 1. *Ut sciatis*, inquit Apost. *quæ sit... supereminens magnitudo virtutis ejus in nos, qui credimus secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.*

2°. Autoritate & potestate. Philipp. 2. *In nomine Jesu omne genu flectatur, cœlestium & terrestrium.* I. Petri. 3. v. 22. *Qui est in dextera Dei.. profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis, & potestatibus, & virtutibus.*

3°. Multiplicis gratiæ largitione. Ephes. 3. aït S. Paulus, sibi datam esse hanc gratiam in gentibus evangelisare divitias Christi, *Ut innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*: sed qui multiformem sapientiam Christo debent, multiplicem ab eo gratiam recipiunt; ergo.

Non tamen Angelorum caput est Christus ratione gratiæ quam in creatione suâ receperunt; hæc quippe ex mera Dei liberalitate, independenter à meritis Christi, ipsis concessa fuit; neque pro salute Angelorum incarnatus est Deus: *Nusquam Angelos apprehendit.* Cùm igitur Apostolus, Coloss. 1. aït Christum *reconciliasse omnia sive quæ in terris, sive quæ in cœlis sunt;* intelligendus est, Christum omnia in cælis reconciliasse, sive cùm homines destinavit ad occupandas, quæ vacuæ erant, lapsorum Angelorum sedes: sive cùm genus humanum sanguine suo reconciliavit & cum Deo, & cum Angelis bonis, cum quibus ob peccatum inimicitias gerebat.

Quæres fueritne Christus homo, Rex & Judex.

R. ad 1. Christum in novo Testamento Regem non infrequenter appellari. Matth. 27. v. 37. *Hic est Jesus*

Rex Judæorum. Sciscitanti Pilato, Joan. 18. v. 37. an Rex esset, *respondit Jesus, tu dicis quia Rex sum ego.* T. 4. p. *Christus*, ait S. Aug. in Psalm. 149. *à Chrismate dictus* 1686. *est, id est ab unctione. Reges autem ungebantur & Sa-* D. *cerdotes. Ille vero unctus est & Rex & Sacerdos. Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis.*

Quanquam porro è Regia Davidis stirpe oriundus fuerit Christus, temporali huic, & alii cuicumque regno renuntiavit, ac solùm spirituale suum esse declaravit: *Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc* Joan. *mundo esset Regnum meum, ministri mei utique decerta-* 18. *rent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc.* Ad quæ verba S. August Tract. 115. in Joan. sic scribit: *Audite ergo Judæi & Gentes; audi* T. 3. *circumcisio, audi præputium, audite omnia regna ter-* part. 1. *rena. Non impedio nominationem vestram in hoc mundo..* p. 791. *Regnum meum non est de hoc mundo. Quid vultis ampli-* F. *us? Venite ad regnum quod non est de hoc mundo: venite credendo, & nolite sævire metuendo.* Atque hæc vera est ratio cur Ecclesia & Pontifices, quibus spiritualem duntaxat potestatem Christus concessit, nihil omnino possint directè aut indirectè in temporalia Regum.

R. ad 2. Christus *est constitutus à Deo Patre Judex vivorum & mortuorum*, Act. 10. *Neque enim*, ut dicitur Joan. 5. *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Hæc porro judicis dignitas Christo competit etiam ut homini. *Dicimus*, aït S. Augustinus, T. 8. p. Lib. 1. de Trin. c. 13. *quia secundum id quod Deus est,* 700. *judicat, hoc est ex potestate divinâ, non humanâ; & ta-* A. *men ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est... Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea quâ Filius Dei est: & rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea quâ filius hominis est.*

QUÆSTIO DECIMA-TERTIA.

§. unicus. De Adoratione Christi.

NOt. 1°. adorationis nomine generatim significari cultum quemlibet, qui alicui exhibetur propter ejus dignitatem & excellentiam. Unde vox *adoratio*, generica est, & in Scriptura rebus valdè diversis accommodatur: Deo quidem maximè proprie; Arcæ vero quæ Dei præsentiam singulari modo denotabat; Re-

Heb. 11. gibus imo & fastigio seu summitati Virgæ Josephi, in-
v. 21. ferior longe cultus redditur. Quapropter varia *adorationis* significatio determinari debet ex subjecto cui tribuitur. Unde immerito hæretici Catholicos carpunt, quod eâ voce utantur, cùm de cultu Sanctis eorumque Imaginibus debito tractant.

Not 2°. adorationem generatim dividi in politicam seu civilem, & sacram seu religiosam. Politica & civilis impenditur propter aliquam secularem aut naturalem præstantiam & excellentiam: ità Reges, Principes, Magistratus, viros insigniter peritos, &c. colimus & honoramus. Religiosa ea est, quæ motivo superiori Religionis, propter supernaturalem aliquam excellentiam, innititur.

Not. 3°. adorationem, seu cultum religiosum iterum dividi in absolutum & relativum. Absolutus dicitur, qui in propriâ rei quæ colitur, excellentiâ sistit ac hæret, nec ulteriùs tendit: Ità Deum absoluto, & quidem supremo latriæ cultu adoramus. Relativus ille est, qui rei alicui exhibetur, ob excellentiam non propriam, sed alterius quem repræsentat, & ad quem refertur.

Not. 4°. triplicem esse cultûs speciem: latriæ, quæ soli Deo debetur; duliæ, quæ creaturis; hyperduliæ, quæ B Virgini ob eximiam ejus supra ceteras creaturas dignitatem, impenditur, qui cultus solo gradu, non specie distat à duliæ cultu: B. enim Virgo creatura est, quanquam Dei genitrix.

Not. 5°. in omni adoratione duplicem actum distingui, unum internum, alterum externum: internus includit actum mentis objecti præstantiam cognoscentis, & actum voluntatis sese demittentis ob illam superiorem objecti præstantiam; neque enim sine illa interiori submissione vera esse potest adoratio. Actus externus est quodcumque signum exterius protestativum interioris adorationis. Hæc autem signa varia sunt pro varia populorum, temporum, & Ecclesiarum disciplinâ: alii quippe cooperto capite adorant, ut Orientales; alii nudo & inflexo ut Occidentales; alii recti, alii procumbentes humi; alii extensis manibus, alii complicatis, &c. Quin contingit non raro, eosdem externi cultûs exhibendi modos, erga Deum, & erga creaturam usurpari, quanquam diversa planè sit adoratio. Thus, v. g. adolemus Eucharistiæ, cruci Christi, Evangeliorum Libro, Imaginibus Sanctorum; imo & hominibus in potestate constitutis, & ipsimet populo; at in-

tentione longe diversâ, ex quâ pendi debet cultûs illius disparitas. His prænotatis,

Quæritur an Christus, non ut Deus tantùm, sed & ut homo, supremo latriæ cultu adorandus sit. Negarunt quicumque veram in Christo naturæ utriusque unionem inficiati sunt, ut Nestoriani, Apollinaristæ, &c. Ex nostris vero nonnulli, post Gilbertum Porretanum, volunt homini Christo non supremum latriæ cultum impendi debere; sed duliæ cujusdam, at ei qui puræ creaturæ exhibetur, superioris. Alii latriæ quidem cultum illi concedunt, sed relativum, non absolutum. Sit

Conclusio. Humana Christi natura hypostatice Verbo conjuncta, unâ & eâdem cum divinitate Verbi adoratione colenda est.

Prob. 1°. ex Scriptura. Hebr. 1. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Philipp. 2. *In nomine Jesu, omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum.* Matth. 28. Christo à mortuis suscitato adorationem impendunt Apostoli; *Videntes eum adoraverunt.* Denique, Joan. 5. eumdem latriæ cultum qui Deo Patri debitus est, sibi Christus vindicat: *Neque Pater*, inquit, *judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem*: atqui in his testimoniis nulla fit distinctio divinæ & humanæ in Christo naturæ, sed adoratio terminatur ad Christum duplici naturâ constantem; ergo.

Prob. 2°. ex Patribus. S. Athanasius in Epistola ad Adelphium: *Rem creatam non adoramus: absit... Sed rerum creatarum Dominum, carnem factum, Dei Verbum adoramus. Etsi enim ipsa caro seorsum spectata, pars sit rerum creatarum, attamen Dei facta est corpus. Neque vero hujusmodi corpus à Verbo dividentes adoramus, neque cum Verbum volumus adorare, ipsum à carne removemus.* S. Ambrosius, L. 3. de Spiritu sancto, c. 11. ad hæc verba Psal. 98. *Adorate scabellum pedum ejus, quia sanctum est. Per scabellum*, inquit, *terra intelligitur: per terram autem Christi caro, quam hodie in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Jesu adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus; neque cum adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.* Idem est S. Augustini sensus in citata verba Psal. 98. *Nemo*, inquit, *carnem illam*, Christi, *manducat, nisi prius adoraverit.*

T. 3. p. 912. E.

T. 2. p. 681. A.

T. 4. p. 1013. B.

Idem docet Concilium Lateranense sub Martino I. consult. 3. can. 9. ubi sic: *Si quis unâ adoratione Deum* *T. 6. Conc.*

Verbum incarnatum cum ejus carne non adorat, juxta p. 251 D. *quod sanctæ Dei Ecclesiæ ab initio traditum est, talis anathema sit.*

Obj. Soli Deo latriæ cultus debetur: atqui humanitas Christi Deus non est; ergo.

R. dist. min. Humanitas seu homo est Deus, separatus & sejunctus à Verbo, C. hypostatice unitus cum Verbo, N. Porro humanitatem hic spectamus quatenus cum divinitate in unitate personæ Verbi conjungitur. Cùm igitur dicimus, Christum *quatenus* hominem, simul cum Verbo eodem adorationis cultu prosequendum esse, reduplicatio, *quatenus*, non cadit supra hominem, sed humanitatem sejunctam à Verbo: quis enim Catholicorum ignorat, humanitatem in se nude ac simpliciter spectatam adorari non debere? sed cadit supra humanitatem hypostatice unitam cum Verbo, quæ sola unio causa est adorationis, quæ sacræ humanitati Christi debetur.

APPENDIX.

De Cultu & Invocatione Sanctorum.

§. I. *An colendi sint Sancti.*

NOn hic quæstio movetur de cultu civili, quem admittunt Novatores, sed de cultu religioso, eoque non latriæ, quem soli Deo debitum esse profitemur, sed multùm inferiori.

Neque etiam hic agitur de his, vel illis Sanctis in particulari, sed de Sanctis in Cælo regnantibus generatim: quanquam de nonnullis non dubitant vel ipsi Novatores, v. g. B. Virgine, S. Joanne, aliisque Apostolis.

Neque de modo præcise quo coluntur Sancti, hic instituenda controversia; namque circa modum illum nonnunquam zelo imperito peccare possunt rudes Fideles: sed de ipsa cultûs substantiâ nempe an pius ac laudabilis sit Sanctorum cum Christo in Cælis regnantium cultus, imo & aliquando certis in circumstantiis necessarius. Sit

Conclusio. Antiquus est, rectus & laudabilis Sanctorum in cælis regnantium cultus.

Prob. exemplo veterum Patriarcharum, qui Angelos sub humana specie conspicuos religioso cultu honorarunt. Ità Abraham, Gen. 18. & Loth. Gen. 19. ubi

sic legimus: *Adoravitque pronus in terram, & dixit: Obsecro, Domini, declinate in domum pueri vestri.* Itâ pariter Josue, *cecidit pronus in terram, & adorans ait: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* Quibus locis, *adoratio*, non designat vel supremum latriæ cultum; hunc enim Angeli constanter à se rejecerunt, quoties suspicio esse potuit ne offerretur, ut patet ex Judicum 13. v. 16. & Apocal. 22. v. 8. vel cultum mere civilem, qui impenditur etiam malis; ergo cultum simpliciter religiosum. *Josue* 5. 15.

Prob. 2°. ex Patribus. Eusebius L. 7. Hist. cap. 19. refert summâ reverentiâ servatam fuisse S. Jacobi Hierosolymitani Cathedram; *Satis*, inquit, *perspicuè declarantes, qualiter tùm antiquiores, tùm nostri temporis Christiani, viros sanctos ob ipsorum erga Deum amorem debito semper honore venerati sunt & hactenus venerantur.* *Pag.* 265.

S. Hieronymus Epist. ad Riparium de erroribus Vigilantii. *Honoramus servos*, inquit, *ut honos servorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.* *T.* 4. *patr.* 2. *p.* 279.

S. Augustinus, Lib. 20. contra Faustum, cap. 21. *Populus Christianus*, inquit, *memorias martyrum religiosâ solemnitate concelebrat... colimus Martyres eo cultu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei... At illo cultu qui græcè λατρεια dicitur... cum sit quædam propriè divinitati debita servitus, nec colimus nec colendum docemus, nisi unum Deum.* *T.* 8. *p.* 347. B.

Prob. 3°. ratione: tam licet cultu religioso prosequi Sanctos, ob eximias eorum dotes supernaturales, quàm liceat cultu politico honorare viros Principes aliosque in potestate constitutos, vel aliquâ scientiâ aut arte insignes; atqui, &c.

§. II. *De invocatione & intercessione Sanctorum.*

Conclusio. Bonum atque utile est invocare Sanctos, ut pro nobis ad Deum intercedant.

Prob. 1°. quia æquum videtur, eorum opem apud Deum implorare, quorum tutelæ Deus nos commisit, & qui pro nobis solliciti deprecantur: atqui 1°. commisit nos Deus curæ SS. Angelorum, Psal. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* 2°. Sancti alii pro nobis deprecantur. Jerem. 15. *Si steterit Moyses & Samuel coram*

me, non est anima mea ad populum istum. Ezech. 14. *Si fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel & Job, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.* II. Machab. 15. v. 12. Legimus Oniam, qui fuerat summus Sacerdos... *orasse pro omni populo Judæorum.* Et v. 14. *Jeremiam multum orasse pro populo*, ergo.

Prob. 2°. Si licitum est ad viros sanctos, dum in terris nobiscum infirmi versantur, confugere, ut pro nobis apud Deum intercedant, quanto magis ad Sanctos, qui cum Christo in cælis triumphant? atqui primum licitum esse, nemo non agnoscit. Lib. I. Regum, c. 7. v. 8. Judæi ad Samuelem, *nè cesses*, inquiunt, *pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum.* Quin & Deus ipse amicos Job jubet ad ejus preces confugere, ut veniam obtineant. Apostolus pariter, Rom. 15. v. 30. *Obsecro vos fratres*, inquit, *per Dominum nostrum Jesum Christum, & per caritatem S. Spiritûs, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Et Epist. I. ad Thessal. c. 5. v. 25. *Fratres, orate pro nobis.*

Job. c. ult. v. 8.

At, inquiunt Novatores, audire non possunt Sancti, qui tam longe dissiti à nobis sunt. Egregia vero, & plane puerilis ratio! Quasi Deo modus desit quo preces nostras Sanctis manifestet, vel Angelorum ministerio vel immediatâ revelatione, quemadmodum Prophetis futura revelabat, vel in sua ipsa essentia, aut visione beatificâ.

At Sanctos invocare, aïunt rursus, Christo soli Mediatori nostro detrahere est; neque enim in alio, quàm in ipso, spem nostram collocare licitum est. Sed quis Catholicorum spem suam in alio collocat, quàm in Christo, qui est autor ac consummator fidei nostræ? An aliquid ex Sanctis, quod ipsis proprium sit, speramus? Certe nec gratiam, nec gloriam ab iis, tanquam utriusque autoribus, postulamus, absit: non alio fine, nec aliâ mente eos invocamus, quàm ut suis apud Deum precibus, cælestia, quibus indigemus, bona nobis impetrent. Unum Mediatorem Deum inter & homines Christum Jesum agnoscimus & profitemur. Christus enim unus Mediator est, solutione pretii pro redemptione nostra; Sancti vero mediatores duntaxat dicuntur intercessione. Cùm invocamus Christum, his utimur verbis, *Miserere nobis*; ad Sanctos vero dicimus, *Orate pro nobis*: quibus certe significamus la-

tum discrimen esse inter modum quo Christum, & Sanctos invocamus.

Doctrinam hanc summâ sapientiâ Concilium Trid. Sess. 25. expressit his verbis: *Mandat S. Synodus Episcopis... ut Fideles diligenter instruant docentes eos, Sanctos, unà cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda à Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor ac Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere. Illos vero qui negant, Sanctos æternâ felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse;* Ibid. *aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum Jesu Christi, vel stultum esse, in solo regnantibus voce vel mente supplicare impiè sentire.... damnat Ecclesia.* Qua in definitione Concilii in hoc uno hæret fides, *bonum atque utile esse Sanctos invocare*: non autem additur necessarium omnino esse ad salutem illos invocare; quanquam salutis suæ negligens haberetur, qui vel ex incuria, & multo magis ex contemptu, tam pium ac laudabilem usum non observaret.

Prob. 3°. Conclusio ex perpetuâ Ecclesiæ praxi ac doctrinâ, quæ in Conciliis declarata fuit. In Ephesino, S. Cyrillus ejus Præses beatum Joannem invocat in Oratione quam ibi habuit die illi sacrâ. *T.* 3. *Conc. p.*1021. E.

In Chalcedonensi Act. 11. de Flaviano dicitur: *Flavianus post mortem vivit; Martyr pro nobis oret.* *T.* 4. *Conc.*

In Nicæno II. Actione 6. *Ergo*, aiunt Patres, *cum timore Dei omnia faciamus: expetentes etiam intercessionem intemeratæ Dominæ nostræ & naturâ Dei genitricis semper virginis Mariæ, atque sanctorum Angelorum, & simul omnium Sanctorum.* *p.*607. A. *Act.* 7. *Concil. p.* 542. D. E.

Accedit antiquissimus ac fere omnium Liturgiarum usus, in quibus cum laude Sancti appellantur & invocantur, *ut pro nobis intercedere dignentur in Cœlis, quorum memoriam veneramur in terris.*

Hanc esse Ecclesiæ fidem ac traditionem unanimi consensu Veteres testantur. S. Irenæus, L. 5. adversùs hæreses c. 19. Mariam vocat *advocatam.* Origenes Hom. 26. in c. 31. Num. *Quis dubitat*, inquit, *quod Sancti quippe Patrum & orationibus nos juvent, & gestorum suorum confirment exemplis.* S. Cyprianus, Epist. 57. ad Cornelium Pontificem, rogat ut qui ex alterutro *p.* 316. *n.* 1. *Ib. p.* 172. L.

prior è vita discesserit, pro superstite, aliisque fratribus
pag.92. divinam imploret misericordiam. *Perseveret*, inquit, *apud Dominum nostra dilectio; pro fratribus ac sororibus nostris apud misericordiam Patris non cesset oratio.*
Pag. 663. B. C. Eusebius, Libro 13. Præparationis Evangel. cap 11. *Eorum*, inquit, loquendo de Sanctis, *sepulchra celebrare, & preces ibi votaque nuncupare, & beatas illorum animas venerari consuevimus, idque à nobis merito fieri statuimus.* S. Hieronymus, Libro adversùs Vigi-
T. 4. part.2. p. 23. lantium ex professo rem nostram agit. *Dicis in Libello tuo*, ait S. Doctor alloquens Vigilantium, *quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus, postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio.... Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti, possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam; & Stephanus imitator Domini sui, & primus Martyr in Christo pro persecutoribus veniam deprecatur; & postquam cum Christo esse cœperint, minus valebunt?*

Obj 1°. Canone 35 antiquissimi Concilii Laodiceni, cultus Angelorum, velut idololatricus, prohibetur.
T. 1. Conc. p.1503. A. En verba: *Quod non oportet Christianos, relictâ Dei Ecclesiâ, abire, & Angelos nominare vel congregationes facere, quod est prohibitum. Si quis ergo inventus fuerit huic occultæ idololatriæ vacare, sit anathema.*

Confirmatur ex Theodoreto, qui in ista Apostoli verba, ad Colossenses c. 2. v. 18. *Nemo vos seducat volentes*
T. 3. p.355. B. C. *in humilitate, & religione Angelorum quæ non vidit ambulans*, hæc scribit: *Qui legem defendebant, eos etiam Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam. Mansit autem diu hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Proinde Synodus quæ convenit apud Laodiceam, quæ est Phrygia, lege prohibuit nè precarentur Angelos. Et in hodiernum usque diem Oratoria sancti Michaëlis apud illos illorumque finitimos videre est. Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse; & oportere per Angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.*

R. cum Bellarmino, Lib. 1. de beatitudine Sanctorum, c. 20. Apostolum, & posteà Synodum Laodicenam, damnare hæresim Simonis magi, qui Platonicos secutus, docuit quosdam Angelos adorandos quasi minores deos, qui & mundum fabricarunt, & per Pro-

phetas locuti ſunt, nec poſſe placari ſummum Deum niſi per hos Angelos. Et vero S. Hieronymus, quæſt. 10. ad Algaſiam, & Haymo in hunc locum, docent reprehendi eos, *qui ſacrificabant Angelis*; nec ab iis diſſentit Theodoretus, imo ipſe clariſſime omnium docet notari hic Simonianos. qui dicebant, Deum apprehendi non poſſe, ſed per Angelos placandum. Huic interpretationi favet quod certo conſtet ex Epiphanio, hæreſi 60. & Auguſtino, hæreſi 39. extitiſſe olim Hæreticos *Angelicos*, ſic dictos, quod Angelos adorandos, cultuque latriæ ſoli Deo debito colendos eſſe docerent.

Cenſet tamen Baronius ad an. Chriſti 60. n. 15. & ſeq. citato Canone, religioſam venerationem falſorum deorum, illorum nempe quos ſub Geniorum nomine Gentiles & Magi venerabantur, Chriſtianis interdictam eſſe; idque ſic probat: Præcedente Canone 34. veri Martyris cultus religioſus recipitur, falſorum vero Martyrum ſuperſtitioſa veneratio prohibetur: dum ergo ſequente Canone ſubjungitur Decretum ad cultum Angelorum reformandum pertinens, manifeſtum eſt Synodum voluiſſe, ut veri Angeli, qui æternam ſalutem adepti ſunt, ſicut veri Martyres colantur; falſorum autem Angelorum, ſicut & Pſeudomartyrum, cultus ſub pœna anathematis vitetur. Neutra ſolutio nobis adverſatur.

Obj, 2°. Rom. 10. v. 34. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* atqui in Deum ſolum credimus; ergo & hunc ſolum invocare debemus. Unde Chriſtus formam orandi præſcribens, ait: *Orantes dicite, Pater noſter*, &c.

R. diſt. maj. Non poſſumus invocare ut primum ſalutis fontem, niſi eum in quem credimus, C. ut ſalutis coadjutorem ſecundarium, N. Porro non petimus à Sanctis, ut tanquam ſalutis noſtræ arbitri cæleſtia dona nobis ipſi conferant, abſit; ſed ut à Deo ea pro nobis impetrent. Id autem quid habet mali?

Nec obeſt quod additur: nam Chriſtus orandi quidem formam præſcribit: at non ideo damnat laudabilem Sanctos invocandi morem; aliàs nec Spiritus ſanctus, vi laudati textûs, invocandus foret, quia tantùm dicitur, *Orantes dicite, Pater noſter*, &c.

Obj. 3°. Superfluum eſt invocare eos, qui preces noſtras audire non poſſunt: atqui Sancti preces noſtras, eas præſertim quas ſolâ mente fundimus, audire non poſſunt: 1°. quia ſolus Deus ſcrutatur *corda & renes*, III. Reg. c. 8. v. 39. 2°. Job. 14. de mortuo

homine dicitur: *sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelliget*; 3°. de omnibus vitâ functis sic pronuntiat Sapiens, Eccles. 9. v. 5. *Viventes sciunt se esse morituros; mortui vero nihil noverunt amplius.*

R. 1°. neg. maj. Ut enim Sancti, etsi preces nostras non audire supponantur, invocari possint, sufficit ut pro iis orent à quibus orantur.

R. 2°. neg. min. & dico solum Deum propriâ quidem autoritate corda scrutari; Angelos vero & Sanctos ex notitiâ à Deo concessâ.

Ad 2. & 3. eadem est responsio: nisi malueris verba Sapientiæ sic exponere; nempe mortuos insito naturæ lumine, propriaque vi, non magis rescire quæ hic aguntur, quàm nos sciamus quid agant mortui in vita altera.

§. III. *De Cultu Crucis.*

Summo religionis sensu Christi crucem, tanquam salutis nostræ instrumentum prosecuti sunt Christiani, cujus etiam signum omni ferè occasione in se exprimunt, atque in omni Ecclesiasticâ cæremonia usurpant.
Pag. *Ad omnem progressum*, ait Tertull. L. de corona mili-
102. A. tis, c. 3. *atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad lavacra, ad mensas ad lumina, ad cubicula, ad sedilia, quandocumque nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus.* Et S.
T. 3. August. Tract. 11. in Joan. *Quid est, quod omnes nove-*
part. 2. *runt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi*
p. 801. *adhibeatur, sive frontibus credentium; sive ipsi aquæ ex*
E. *qua regenerantur; sive oleo quo chrismate unguntur; sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum ritè perficitur.* Operatur autem signum crucis tùm ex opere operantis, ratione fidei pietatis & orationis eorum, qui illud adhibent; tùm interdum ex opere operato pellendo dæmones, morbos sanando, &c. Deo ità liberaliter concedente. Dico *interdum*; namque infallibili Dei promissione effectus illi signo crucis, aut aquæ benedictæ, ceterisque Sacramentalibus annexi non sunt.

Constat apud Catholicos omnes crucem Christi aliquo honore donandam esse: atqui id probat ingens illa seu crucem, seu aliquas crucis particulas videndi cupido, quàm semper habuêre Fideles. Et verò, si locus
Josue in quo Angelus stetit *terra sancta* erat, cur non magis
5. crux, ubi stetit Christus? si sudaria & semicinctia Pauli
Exod. honorabantur propter contactum, cur non magis crux
3. Christi sanguine respersa! si Sacramenta honorantur,

quia instrumenta gratiæ, cur non crux, quæ instrumentum est redemptionis? Quæstio igitur est an vera crux, ejusve imago adoranda sit cultu latriæ. Asserit S. Thomas 3. p. q. 25. a. 4. sed negant alii plures, quorum in opinionem propendebat Ill. Bossuetus in Epistola de Adoratione crucis scriptâ an. 1691. Sit

Conclusio. Neque vera Christi crux, neque ejus Imago adoratione latriæ est adoranda.

Prob. 1°. quia latriæ cultus supremus est ac soli Deo debitus; ergo nulli creaturæ deferri potest.

Neque dicas cultum latriæ quo vera Christi crux honoratur, esse duntaxat improprium ac relativum, qui non cruci propter se, sed propter Christum impenditur. Namque, aït Bellarminus, de essentia veræ latriæ est exhiberi propter se, latria enim dicitur summus cultus, qui debetur vero Deo ut primo principio rerum omnium; implicat autem contradictionem, exhiberi summum cultum primo principio propter aliud. Nam si primo principio, non ergo propter aliud: si propter aliud, non primo principio; ergo vel cruci exhibetur cultus latriæ propter se, & hæc esset vera idololatria; vel non exhibetur propter se, & tunc cultus ille non est veræ latriæ. Præterea, vel ista latria, quæ exhibetur cruci propter aliud, est idem cultus cum eo qui exhibetur Deo, vel alius minor: si idem; ergo æque colitur creatura ac ipse Deus, quæ certe idololatria est: nam idololatria non solum est, cùm adoratur idolum relicto Deo, sed etiam cùm adoratur idolum simul cum Deo: *Deos aureos & deos argenteos non facies mecum.* Si vero cultus ille minor est, non ergo est latria: hæc enim summus cultus est.

Prob. 2°. autoritate Concilii Nicæni II. anno 787. Act. 7. ubi Patres statuunt omnibus Imaginibus, etiam Christi, non aliam quàm honorariam impendi adorationem. *Et ad honorariam*, inquiunt, *his adorationem tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet impartiendam: ità ut istis, sicuti figuræ prætiosæ ac vivificæ crucis, & sanctis Evangeliis, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem efficiendum exhibeatur.* Et actione 3. ejusdem Concilii, Basilius Ancyranus & Constantinus Cypri Episcopus, abjurantes hæresim, dicunt se recipere & colere Imagines, non tamen latriâ. Hanc Concilii definitionem haud dubie ignoravit S. Thomas, quam nullibi laudat.

T. 8. Conc. part. 555. D. E.

Obj. 1°. De cruce Ecclesia canit: *O crux ave spes unica: auge piis justitiam, reisque dona veniam.* Rursus: *O crux adoranda; tuam crucem adoramus, &c.* ergo.

R. Vel his verbis accipi crucem pro ipso Christo, à quo salutis præsidia petimus; vel ea verba figuram rhetoricam continere, quâ Ecclesia crucem alloquitur, eo modo, quo Moyses alloquitur cælum & terram, cùm ait, Deuter. 32. *Audite cæli quæ loquor*; & eo etiam modo quo beatus Andræas crucem alloquebatur, cùm diceret, *O crux pretiosa, diu desiderata, &c.* hâc autem figurâ significamus, nos desiderare fructum crucis, id est, æternam salutem per merita Christi, qui in cruce pro nobis passus est. *Mihi absit gloriari*, ait Apostolus, Galat. 6 *nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

Obj. 2°. Honor Imaginis transit in exemplar; ergo idem est honor Imaginis & exemplaris: adeoque si exemplar colitur latriâ, ità & Imago.

R. nego conseq. Licet enim honor Imaginis transeat in exemplar, licet eodem actu anima feratur in Imaginem & prototypum, (de quo tamen non consentiunt omnes Theologi) non sequitur eodem honore Imaginem cum prototypo honorari. An non, quæso, major ipsi Regis personæ reverentia debetur, quàm aut ipsius Imagini, aut vestimentis? Equidem crux ex contactu corporis Christi majorem in ordine cultûs religiosi cultum haud dubie meretur; at non latriæ seu supremæ adorationis. An calix qui Christi verum continet sanguinem, an corporalia & patenæ, quæ verum Christi corpus tangunt, cultu latriæ adorantur? non certe; ergo neque crux dominica; ergo falso prorsus Novatores idololatriæ nos accusant, quod crucem adoramus, eam certe, seu lignum in se non adoremus, sed Christum nobis animo præsentem, qui in cruce pependit.

§. IV. *De cultu sanctarum Reliquiarum.*

Conclusio. Reliquiis Sanctorum merito ac licite religiosus cultus impenditur.

Prob. quia ità fert antiqua Ecclesiæ praxis ac traditio, quæ innumeris fere monumentis demonstrari posset. Ità Eusebius scribit summâ cum reverentiâ in Ecclesia Hierosolymitana servatam esse S. Jacobi Cathedram. Sancti etiam Ignatii Martyris Reliquias summâ curâ collegerunt & asservarunt Presbyteri & Diaconi Ecclesiæ Antiochenæ. Ruffinus, L. 2. Hist. c. 26. scribit S. Joannis Baptistæ Reliquias Sebastæ summo

eum honore servatas fuisse. Hinc est quod Celestinus S. P. in Epistola ad Concilium Ephesinum, Patribus hujus Concilii sic gratulatur: *Vos Joannis Apostoli Reliquias præsentes veneramini*: atqui cultus ab ipso Ecclesiæ exordio inductus, non sine ignorantiâ aut calumnia, velut idololatricus, à Novatoribus traducitur. Certe ideo honos defertur Sanctis, ait Tridentinum, Sess. 25. quia *viva membra fuerunt Christi, & templum Spiritûs sancti*: neque spem nostram in illis ponimus, sed in solo Deo, à quo per merita Christi & intercessionem Sanctorum, opem imploramus. *T. 3. Conc. p. 615. D.*

In his vero potissimùm consistit cultus qui SS. Reliquiis exhibetur: 1°. quod sollicite quærantur, ac cum honore asserventur; 2°. quod in Ecclesiis honorifice collocentur; 3°. quod Sanctos, ad earum Reliquiarum conspectum, pro magistris ac doctoribus habere nos profiteamur; 4°. quod eas osculis, contactu, luminaribus, thure, peregrinatione, solemnitate festorum, pro more & usu Ecclesiarum probato, honoremus.

Duo hìc quæruntur, 1°. an usus Imaginum antiquus sit in Ecclesia; 2°. an licitus sit? Licitum esse negarunt Iconoclastæ, quos inter cæteris furentior Imperator Leo Isauricus, Judæorum instigatione, publico Edicto, anno 730. Imaginum usum penitùs aboleri jussit, unde Iconomachi cognomen sortitus est. Huic forti animo restitêre Germanus CP. Patriarcha, Joannes Damasc. Gregorius II. S. Pontifex, qui convocatâ Romæ, an. 732. Synodo Episcoporum 93. recentem hæresim proscripsit. Nos ut totam quæstionem paucis complectamur, sequentia statuimus.

Conclusio I. Non ità quidem frequens, attamen fuit aliquis apud Christianos tribus primis Ecclesiæ seculis, Imaginum usus.

Prima Conclusionis pars, vel solo Veterum silentio demonstratur. Et vero ex utroque populo, Gentili, ac Judæo, formanda erat Ecclesia, omnisque scandali & offensionis occasio procul ab iis removenda. Porro Judæi ex Legis suæ præscripto, ab omni simulacro seu imagine toti erant alieni: ex alia parte Gentiles statuis, imaginibus, idolis toti immersi, in quibus aliquid divini latere arbitrabantur, ab illorum cultu avocandi erant, ut verum Deum in spiritu ac veritate adorarent; ergo sapienter omnino Ecclesia voluit ab eorum oculis certo tempore Imagines removeri, nec illis ad cultum proponi.

Prob. 2. pars variis exemplis, & 1°. Statuæ æneæ, quam in honorem Christi erexisse fertur mulier à profluxu sanguinis liberata, Matth. 9. Rem sic narrat Eusebius, Lib. 7. Hist. c. 18. *Non incongruum fuit rem quamdam memoriâ in primis dignam posteris tradere. Etenim mulierem illam sanguinis profluvio laborantem, quam ex sacris Evangeliis discimus à Servatore nostro curatam fuisse, ex hac civitate* (Paneade) *originem traxisse ferunt, domumque ejus ibidem conspici; & collati in eam à Servatore nostro beneficii illustria extare monumenta. Quippe juxta januam domûs illius, æneæ mulieris effigies stare dicitur columnæ lapideæ imposita, genibus flexis, protensisque manibus instar supplicantis. Ex adverso autem effigies viri ex eodem metallo conflata, stantis ac diploide decenter induti, manumque mulieri porrigentis: ad cujus pedes in ipsa basi ignota quadam nasci dicitur planta, quæ ad fimbriam usque æneæ diploïdis assurgens, depellendis omnis generis morbis præsentissimum remedium est. Hanc statuam Jesu Christi speciem referre aïebant. Mansit porro ad nostra usque tempora, nosque adeo urbem illam ingressi, ipsam conspeximus. Nec vero mirandum est, Gentiles à Servatore nostro beneficiis affectos hæc præstitisse, cum & Apostolorum Petri & Pauli, Christique ipsius pictas Imagines, ad nostram usque memoriam servatas in tabulis viderimus. Quippe prisci illi, absque ullo discrimine, cunctos de se benè meritos gentili quâdam consuetudine tanquam servatores colere hujusmodi honoribus consueverant.* Hactenus Eusebius, qui propriis oculis inspexerat, & statuam, quam mulier à Christo sanata in honorem ejus Paneade erexerat, & Imagines tum Christi, tum Apostolorum Petri & Pauli depictas.

(*Pag.* 26.)

Secundum exemplum suppeditat Tertullianus, Christi scilicet sub specie pastoris ovem amissam ad ovile humeris suis reportantis, depicti in calicibus. Denique Concilium Eliberitanum prohibens, canone 29. picturas in Ecclesia fieri, non obscurè indicat picturas in Ecclesia fuisse, quas certis de caussis posteà referendis prohibet. (*L. de pudic. c. 7. p.* 559.)

Conclusio II. Licitus est Imaginum cultus, nec idololatriæ incusandus. (*T.* 1. *Conc. p.* 974. D.)

Prob. 1°. autoritate Scripturæ. Quamvis enim Deus Judaico populo ad idololatriam proclivi, omne simulacrum prohibuisset, attamen, Exodi 25. duo Cherubim super arcam ponuntur, & procul dubio aliquo in honore habebantur ab iis qui proni Arcam adorabant.

Quanto cultu à Judæis Arca Domini honorata fuerit, nemo nescit. Deuter. 10. v. 8. *Separavit Moyses Tribum Levi, ut portaret Arcam Domini*. Josue 3. v. 4. dum Arca portaretur, *Cavete*, aïebat Josue, *nè appropinquetis ad Arcam*. Idem c. 7. v. 6. *Josue pronus cecidit in terram coram Arcâ Domini usque ad vesperam, tam ipse quàm omnes senes Israël*. 1. Regem 6. v. 19. *Percussit Deus de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent Arcam Domini*. Et Lib. II. Reg. c. 6. v. 7. cùm Oza manum suam ad Arcam, nè forte caderet, extendisset, *percussus est à Domino super temeritate suâ*. Narratur ibidem, quàm insigni pompâ David in civitatem Sion Arcam induxerit. Ex iis sic: Nihil erat Arca, nisi opus ex lignis manufactum: atqui tamen magno cultu ac reverentiâ Judæi eam venerabantur; ergo non ex se illicitus est cultus, qui rebus inanimatis & fictis impenditur, propter exemplar quod repræsentant.

Prob. 2°. Ecclesiæ Traditione & usu antiquo.

Philostorgius, Hist. L. 7. c. 3. testatur æneam Christi statuam, de qua Eusebius paulo autem citatus, in diaconico loco decenti collocatam, non sine honore aliquo ac reverentiâ à Christianis habitam fuisse. S. Hieronymus, in vita Paulæ, ait illam ante crucem Christi prostratam, adorasse, quasi pendentem in ea Christum vidisset; & Epist. 44. aliàs 17. *Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, quia ubi erant Cherubim & Propitiatorium, & Arca testamenti... Nonne venerabilius tibi videtur sepulchrum Domini?* S. Ambrosius Oratione de obitu Theodosii, *Sapienter*, inquit, *Helena egit, quæ crucem Christi in capite regum levavit & locavit, ut crux Christi in regibus adoretur*. Et Serm. 10. in Psalm. 118. *Qui imaginem coronat Imperatoris, utique illum honorat, cujus Imaginem coronavit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique cujus statuam consputaverit, fecisse videtur injuriam*. Ceteros omitto.

Ed. Vales. p. 583. A.
T. 4. *part.* 2. *p.* 673.
Ib. p. 548.
T. 1. *p.* 211. D.
T. 1. *p.* 1095. D.L.

Prob. 3°. ex Conciliis generalibus. Nicænum II. quod septimum est œcumenicum, ex professo contra Iconomachos pro cultu & honore Imaginum, an. 787. convocatum, Act. 7. in definitione fidei sic pronuntiat: *Definimus in omni certitudine & diligentiâ, sicut figuram pretiosæ ac vivificæ crucis, ita venerabiles & sanctas Imagines proponendas. Non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet impertiendam; ità ut istis, sicut figuræ*

T. 7. *Conc. p.* 555. C.

pretiosæ ac vivificæ crucis & sanctis Evangeliis & Reliquiis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem conficiendum exhibeatur, quemadmodum & antiquæ piæ consuetudinis erat. Imaginis enim honor ad primitivum transit; & qui adorat Imaginem, adorat in ea depicti subsistentiam. Sic enim robur obtinet Sanctorum Patrum nostrorum doctrina, id est Traditio sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, quæ à finibus usque ad fines terræ suscepit Evangelium.

Tom. 8. *Conc.* p.1870. B. C. Concilium CP. IV. quod est VIII. generale, Act. 10. Can. 3. de cultu Imaginum sic decernit: *Quicumque Christi Salvatoris Imaginem non adorat, in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem. Eâdem ratione intemeratæ Genitricis illius effigiem, sanctorumque Angelorum, quemadmodum illos sacrarum litterarum paginæ describunt, ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.*

Denique Conc. Trid aliorum vestigiis inhærens, fidem Ecclesiæ nitidè exponit, Sess. 25. *Imagines Christi*, ait, *Deiparæ & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas ac retinendas, eisque debitum honorem & reverentiam impertiendam: non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab iis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in Imaginibus figenda, veluti olim fiebat à Gentibus quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos qui eis exhibetur, refertur ad prototypa quæ illæ repræsentant: ità ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.*

Prob. 3°. ratione: 1°. quia Imaginum cultus nihil in se continet, quod sit intrinsecè malum. *Non enim aliquam in illis aut divinitatem, aut virtutem agnoscimus*: in illis spem nullam ponimus; sed propter exemplaria quæ repræsentant, eas honoramus; per illas nostrum in Christum amorem & grati animi sensum propter tot beneficia quibus nos cumulavit, significandum excitamur; præclara SS. facta in memoriam revocamus, & ad eorum imitationem accendimur. *Tri-dent.*

2°. Si Imperatorum Imaginibus civilis cultus exhiberi debet; quidni Imaginibus Christi, B. Virginis & aliorum Sanctorum cultus aliquis impertiendus sit? non latriæ quidem, nec etiam merè civilis, sed inter utrumque quasi medius, qui religionis dicitur, ob excellentiam eorum quos repræsentant.

3°. Calvinistarum hæc est disciplina, ut *reverenter seu dignè, cum summa humilitate ac reverentia Eucharistia suscipiatur*: Atqui tamen Calvinistæ docent Eucharistiam esse tantùm figuram corporis Christi, per fidem duntaxat non verè ac realiter præsentis; ergo panem & vinum, meram corporis Christi figuram, ac imaginem, cultu quodam religioso ipsi colunt & honorant. Nec eos juvat, quod Christus ipse figuram illam instituerit. Quid enim inde? nisi in cultu, qui figuræ defertur, nihil ex se erroris ac periculi esse. Neque vero ad abusum, si quis sit, rudioris populi, attendi debet, sed ad publicam Ecclesiæ doctrinam, qualem exposuêre mox laudata Concilia, Tridentinum in primis. *Albertin. de Euch. p. 452.*

4°. Denique in templis honorificè collocatas esse & Martyrum Reliquias & SS. Imagines, testantur ex Veteribus, S. Gregorius Nyssenus, Oratione de S. Theodoro Martyre; S. Asterius Amaseæ Episcopus, Sermone in sanctam Euphemiam Martyrem; S. Paulinus, Epistolâ 32. aliàs 12. ad Severum, n. 2. S. Aug. L. 22. contra Faustum, c. 73. S. Ambrosius, Epist. 53. & alii plures: atqui antiqua hæc praxis religiosum cultum importat; ergo.

Obj. 1°. Deut. 5. Deus expressè prohibet ne ullum fiat sculptile: *Non facies tibi sculptile; nec similitudinem omnium, quæ in Cœlo sunt desuper, & quæ in terra deorsum, &c.* sed qui fabricam sculptilis prohibet, à fortiori prohibet cultum ejus.

R. dist. maj. Prohibet nè fiat sculptile, ut adoretur, unde statim addit: *Non adorabis ea, & non coles*, ut faciunt Ethnici: *Ego enim sum Dominus tuus, Deus æmulator*; C. prohibet simpliciter, subd. prohibet quantùm ad Judæos, & lege positivâ, C. lege invariabili & perpetuâ, N. Sicut ergo prohibuit Deus usum sanguinis & suffocati, & tamen utroque vesci possunt Christiani, sic & imagines habere possunt.

Inst. cum Calvino: Supponit pars prima responsionis nostræ, Gentiles olim ipsa sua simulacra adorasse, non autem tantùm Deos suos in illis: atqui id absurde supponitur. Quis enim adeo bardus, ut lignum vel aurum adoret?

R. 1°. reos futuros fuisse Gentiles, etsi Deos suos adorassent in simulacris, quia & dii illi, ut Jupiter, Mars, Bel, Dagon, dæmonia erant, aut dæmoniorum simillima.

R. 2°. neg. min. licet enim è Gentilibus nonnulli

ceteris oculatiores clam & apud se taciti popularem idolorum cultum irriserint, quod de Socrate narratur; at vulgus universum in eâ crassâ & supinâ versabâtur sententiâ. Hinc tam vehemens & acris Prophetarum, Apostolorum, SS. Patrum in Gentiles censura; imò
T. 3. jocularis eorum irrisio, Psal. 113. Isaiæ 46. Habach. 6.
patr. 2. *Simulacra venerantur*, aït S. August. L. 3. de Doctrina
p. 48. Christiana, c. 7 *vel tanquam deos, vel tanquam signa*
E. *& imagines deorum.* Et Lactantius, Lib. 2. c. 2, *Quæ*
p. 82. *igitur*, inquit, *amentia est, aut ea fingere, quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint?* Arnobius
Ad cal- denique, Lib. 1. contra Gentes. *Venerabar*, inquit, ô
cem. *cæcitas, nuper simulacra modo ex fornacibus prompta,*
Oper. *in incudibus deos, & ex malleis fabricatos.* Et infrà;
S. Cy- *Tanquam inesset vis præsens, adulabar, & beneficia po-*
pr. p. 1. *scebam. . . . deos esse credebam ligna, lapides, ossa, aut*
Ibidem *in hujusmodi rerum habitare materiâ.* Nihil expressius ad confutandam Calvini evasionem proferri potest.

S. Augustinus Serm. 1. in Psal. 113. aït nonnullos subtiliores, qui videbantur sibi defæcatioris ac purioris
T. 2. p esse religionis, dicere solitos, *se nec simulacrum, nec*
3661. *dæmonium colere, sed per effigiem corporalem ejus rei*
E. *signum se intueri, quam colere deberent.* Verùm & hi multiplicis sceleris in eo ipso rei erant: tum quod effigiem Dei veram se habere jactitabant, eamque corpoream; tum quod eam proni adorarent maximo quo poterant cultu: tum denique quod ab ipsa peterent aliquid ac sperarent.

Obj. 2°. Canonem 36. Concilii Eliberitani. quo sta-
Tom. 1. tuitur *picturas in Ecclesia esse non debere, nè quod coli-*
Conc. *tur & adoratur in parietibus depingatur.*
p. 574. R. varias esse hujusce Canonis interpretationes. Prima est, hoc Canone rejectas esse Imagines pictas, non sculptas, propter idololatriæ metum; ut de Salvatore in forma Jovis picto, narrat Nicephorus Lib. 15. c. 23. Secunda, nè imminente persecutione, Christiani auferre eas secum, aut occultare non possent; & ità pictæ Judæis & Paganis ludibrio essent. Tertia, nè picturæ facile deformentur parietum crustis dejectis, & inde amissâ venerabili formâ, potiùs contemptui sint, quàm venerationi. Quarta, propter periculum idololatriæ, quod his temporibus fortè imminebat. Quinta, aït Ill. Albaspinæus, nè Deus ac Trinitas divinarum personarum depingatur. Nempe vero varia fuit Ecclesiarum circa pingendas Dei & Trinitatis Imagines disciplina, pro variis temporum, locorum ac personarum circum-

ſtantiis. Quoties periculum fuit nè aut Imaginibus illis latriæ cultus impenderetur, aut injiceretur ſuſpicio Deum corporeum eſſe, prohibitæ ſunt hujuſmodi depictæ Dei & Trinitatis Imagines. Eas improbarunt Tertullianus, Lib. de Spectaculis, cap. 23. Clemens Alexandr. Lib. 6. Stromatum; Origenes, Lib. 8. contra Celſum; Minutius Felix, in Dial. Lactantius, Lib. 2. Inſtit. cap. 2. Auguſtinus, Lib. de Fide & Symbolo, c. 7. *Nefas eſt Chriſtiano*, inquit, *ſimulacrum Deo collocare in Templo.* Eas vero aliquando probavit, aut ſaltem toleravit Ecclesia, cùm paſſa eſt Patrem divinum ſub ſpecie ſenis, Spiritum ſanctum ſub figura columbæ delineari. Amphilochio teſte, S. Baſilius columbas Spiritum ſanctum repræſentantes ſuſpenſas habuit: S. Paulinus in Baſilica S. Felicis Trinitatis Imaginem depingi permiſerat. Denique uſus ille, omni tandem depulſo erroris periculo, ubique obtinuit, quem ſupponit Concilium Trid. Seſſ. 25. Decreto de Imaginibus. Hinc proſcripta ab Alexandro VIII. an. 1690. propoſitio iſthæc n. 25. *Dei Patris ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.* T. 6. p. 157. D.

Obj. 1°. S. Irenæus, L. 1. c. 24. ponit inter hæreſes Carpocratis, quod coleret Imaginem Chriſti & Pauli. Tertullianus, L. de Idololatr. c. 3. invehitur in artifices *Statuarum & Imaginum, quos diabolus*, inquit, *ſeculo intulit.* S. Epiphanius, hæreſi 76. ait Hæreticos eſſe, *qui imaginem beatæ Mariæ Virginis circumferunt & colunt.* S. Ambroſius de obitu Theodoſii, ait Helenam, *Crucem Domini Regem adoraſſe, non lignum, quia hic gentilis error eſt.* S. Hieronymus, in caput tertium Danielis, *Cultores Dei*, ait, *eam* (ſtatuam) *adorare non debent.* Sanctus Auguſtinus, Lib. de moribus Eccleſiæ cap. 34. *Nolite*, inquit, *conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera Religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ità libidinibus dediti, ut obliti ſint quidquid promiſerint Deo. Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores.* Sanctus Gregorius Magnus, in duabus ad Serenum Epiſtolis, eum reprehendit, quod Imagines fregiſſet, laudat vero, quod eas adorari non permiſiſſet, quæ ad hiſtoriam duntaxat, ad memoriam & doctrinam populi, non ad cultum poſitæ ſunt; ergo.

R. eum duntaxat Imaginum cultum à citatis Patribus reprobari, qui vel ſuperſtitioſus, vel ad morem Gentilium effectus, favebat idololatriæ; vel inſolitus Chriſtianis, offenſioni propter Gentiles eſſe poterat;

non vero cultum legitimum, certis limitibus adstrictum, qualem agnoscit Ecclesia.

S. Irenæus Carpocratem non redarguit, eo quia Imaginem Christi haberet, sed quod eam ipso modo coleret, quo Gentes idola colunt, nimirum sacrificiis: ut clariùs exponunt SS. Epiphanius, hæresi 27. & Augustinus, hæresi 7. Accedit quod Hæreticus ille Imaginem Christi & Pauli eodem loco haberet, quo Imagines Homeri, Pythagoræ, Platonis & Aristotelis.

Tertullianus agit contra Idololatras, qui imagines tanquam deos, aut deo plenas, infando cultu adorabant: & cùm ille animi esset fervidioris, contra ipsam sculptorum ac pictorum artem vehementer invehitur; sed hæc ad nos non pertinent.

S. Epiphanius similiter hæresi 19. reprehendit Collyridianos, non quod imaginem B. Virginis, & ipsam Virginem honorarent, sed quod eam pro Dea haberent, eique offerrent sacrificium, quod uni Deo debitum est.

S. Ambrosius merito dicit, Helenam lignum crucis non adorasse; (nempe latriæ cultu) sed Christum ipsum: nihil certè verius ac consultius.

S. Hieronymus loquitur de his, qui statuas Imperatorum, quos pro diis habebant, divinis honoribus afficiebant: arguit enim eos qui id faciunt, quod tres pueri facere recusârunt in Babylone.

S. Gregorius, citatis ád Serenum Epistolis, eam solùm damnat Imaginum adorationem, quam imperiti aliqui nimio zelo accensi inconsiderate iis impendebant; quo abusu in extremam partem adductus Serenus, jusserat Imagines illas à Templis tolli ac frangi.
T. 2. *Non tibi*, ait Gregorius, *ipsa visio Historiæ quæ pictu-*
p. 1101. *râ teste pendebatur, displicuit, sed illa adoratio quæ*
A. *picturis fuerat incompetenter exhibita....sed hoc sollicitè fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, & in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis, humiliter prosternantur.*

Obj. 4°. duo Concilia Constantinopolitana: unum sub Leone Iconomacho, alterum sub Constantino Copronymo, cui interfuêre Episcopi 338. Paulo Diacono teste, Lib. 22. rerum Romanorum. Utrumque autem istud Concilium definivit abolendas prorsus esse Imagines.

R. 1°. Plus ex duplici illo Concilio probaretur, quàm vel ipse Dallæus velit; nempe penitus frangendas esse Imagines: eæ tamen, ex Novatorum confesso,

faltem valent ad memoriam historiæ præteritæ, ad ornatum, & ad instructionem rudiorum.

R. 2°. prorsus illegitima fuisse ista Concilia, seu meliùs Conciliabula: 1°. quia, ut ait Joan. Diaconus, Act. 6. VII. Concilii, *Eam*, (Synodum sub Copronymo) *non receperunt, neque concordarunt reliquarum Præsules Ecclesiarum, sed anathemati hanc transmisefrunt: non habuit adjutorem Papam . . . . neque etiam per Vicarios ejus. . . . neque per encyclicam Epistolam , . . . sed nec consentientes sibi Patriarchas Orientis, Alexandriæ scilicet, Antiochiæ, & sanctæ Civitatis;* 2°. Imperator, violatâ libertate, ac prætermissâ electionis viâ, propriâ suâ autoritate ascendens in ambonem, in Patriarcham CP. nominavit quemdam Monachum, nomine Constantinum, flagitiis coopertum; 3°. illius Concilii Acta rescissa sunt à Stephano summo Pontifice; & postmodum ab universa Ecclesia in septimo Concilio generali. Defuêre igitur huic Concilio requisitæ conditiones: legitima convocatio, Romani Pontificis ac Patriarcharum Orientis consensus: libertas suffragiorum, Ecclesiæ denique totius acceptatio.

T. 7. Conc. p. 195. C. D.

Obj. 5°. autoritatem Caroli Magni in Libris quatuor, qui Carolini dicuntur, quos Imperator aut exaravit, aut exarari jussit contra definitionem Concilii Nicæni II. In his Libris pius Imperator, consentientibus omnibus ditionis suæ Episcopis, summo ardore invehitur in Nicænam Synodum II. & in cultum Imaginum ab ea definitum. Neque vero latriæ tantùm, sed & omnem penitùs denegat sacris Imaginibus cultum & honorem. *Cultum* quidem, Lib. 3. c. 23. *observationem*, L. 3. c. 18. *venerationem*, L. 2. c. 27. *honorem qui collo inflexo vel capite submisso exhibetur*, ibidem c. 1. *thuris & luminarium oblationem*, ibidem c. 11.

Non una est ad hanc Objectionem responsio:

1°. Ubi primùm Libri Carolini lucem aspexerunt operâ Tilii Meldensis Episcopi, anno 1549. multi commoti sunt inter Orthodoxos, variasque in partes distracti. Eos alii à lutheranis confictos asseruerunt: alii, ætate quidem Caroli exaratos, & Carolo oblatos, ut ad Adrianum Pontificem eos transmitteret, ab eo confutandos. Alii, ut Cointius, eos subinde corruptos fuisse censuerunt. Bellarminus, Lib. 2. de Imaginibus, c. 15. ait, *eos neque esse Caroli, neque hujusmodi, quibus ulla fides haberi possit . . . .* siquidem, ait, *Libri isti sunt hominis barbari, imperiti, levis, ac penè stulti. Nam Constantinopolim urbem notissimam in Bithinia esse di-*

T. 6. ann. 794.

cit, cum nemo nesciat esse in Thracia . . . Deinde Concilium pro cultu Imaginum Constantinopoli celebratum asserit, cum tamen Nicœnæ celebratum nemo sit qui nesciat, nisi qui nihil legit; & quod gravius est, per calumniam & mendacium multa tribuunt isti Libri Nicœnis Patribus, quæ nunquam dixerunt: & interdum quæ adversaria dixerant; quale est istud, quod Eucharistia sit Imago Corporis Christi, quod non solum Patres Nicœni non defendunt, ut iste Autor somniat, sed etiam ex professo refellunt.

Omissâ tamen hâc responsione, tum quia constat ex Synodo Parisiensi anno 824. Carolini Operis excerpta quædam ad Adrianum transmissa à Carolo fuisse per Engilbertum, tum quia Hincmarus Remensis, Lib. contra Hincmarum Laudunensem, cap. 20. de Synodo septimâ ait: *De cujus destructione non modicum Volumen, quod in Palatio adolescentulus legi, ab eodem Imperatore Carolo Romam est per quosdam Episcopos missum*, quibus momentis præponderare non debet error circa Geographiam; neque etiam quod Autor Synodum Nycænam secundam, appellet Constantinopolitanam: id enim factum, quia Constantinopoli primùm indicta fuisset Synodus, tum Nicææ absoluta.

Operum Hincmar T. 2. p 457.

R. Nicænam Synodum II. à Carolo Imperatore, à Concilio Parisiensi & à Francofordiensi rejectam duntaxat fuisse errore facti, quod nempe existimarent à Patribus Nicænis eundem prorsus latriæ cultum pro Imaginibus decretum fuisse, qui Deo ac vivificæ Trinitati debitus est. Hujus persuasionis occasio fuit, tum æquivoca vox *adorationis*, quâ tam frequenter Patres Nicæni utuntur; tum infida in Latinum sermonem Actorum Concilii translatio ad Gallos transmissa. Nempe Act. 3. Constantinus Cypri Episcopus dixerat, catholico certe sensu: *Ego* (his decretis) *consentio . . . suscipiens & amplectens sanctas & venerabiles Imagines: atque adorationem quæ fit secundum latriam . . . soli substantiali & vivificæ Trinitati impendo.* Infidus autem interpres sic è contra reddiderat, sicut refertur, L. 3. Carolino, cap. 17. n. 33. *Suscipio & amplector honorabiliter sanctas & venerandas Imagines, secundum servitium adorationis, quod consubstantiali Trinitati emitto.* Quapropter hic titulus præfigitur, cap. 17. n. 532. Lib. 3. Carolini: *Quod infaustè ac præcipitanter, sive insipienter Constantinus Constantiæ Cypri Episcopus dixit*, &c. ut mox.

T. 7. Conc. p. 187. C.

Ceterùm non omnem ab Imperatore Gallicanisve E-

piscopis Imaginum honorem reprobatum fuisse, imo & ab eis admissum fuisse quoad substantiam eum, quem ipsis inspiciebant Græci moderatiores, multa persuadent. Nam 1°. Lib. 3. c. 16. n. 81. Carolini operis hæc leguntur: *Nihil nos in Imaginibus spernimus præter adorationem, quippe qui in basilicis Sanctorum Imagines, non ad adorandum, sed ad memoriam rerum gestarum & venustatem parietum habere permittimus*. At in hoc ipso cultus aliquis & honos Imaginibus defertur; 2°. ipsummet cultum quo erga Imagines Græci utuntur, ubi nihil periculi imminet, doctis permittit. *Nam etsi*, ait, *à doctis quibusque vitari possit, hoc, quod illi in adorandis Imaginibus exercent: qui videlicet, non quid sint, sed quid innuant, venerantur; indoctis tamen quibusque scandalum generant, qui nihil aliud in his, præter id quod vident, venerantur & adorant*; 3°. in excerptis illius Operis quæ ad Adrianum transmissa sunt, capitulo ultimo sic legimus. *Ultimum capitulum* T. 7.
est, ut sciat Dominus Apostolicus & Pater noster..... Conc.
ut secundum quod continetur in Epistola beatissimi Gre- p. 960.
gorii.....permittamus Imagines Sanctorum, quicumque B.
eas formare voluerint, tam in Ecclesia quàm extrà Ecclesiam, propter amorem Dei & Sanctorum ejus. Adorare verò eas nequaquam cogimus, qui noluerint; frangere verò vel destruere eas, etiamsi qui noluerint, non permittimus.

Obj. 6°. Conventus Parisiensis, jussu Ludovici Pii convocatus anno 824. Adriani Papæ ad Constantinum & Irenem de Imaginum cultu Epistolam carpit, & Imaginum cultum, non tantùm quem Græci, sed etiam Itali usurpabant his improbat verbis: *Sicut justè re-* Conc.
prehendit, Adrianus, *illos qui Imagines Sanctorum te-* Gal.
merario ausu in illis partibus Græcorum, *confringere* Suppl.
& penitùs abolere præsumpserunt: sic indiscretè nosci- p. 909.
tur fecisse in eo quod superstitiosè eas adorari jussit: Col. 1.
pro quarum etiam causa Synodum congregari præcepit, D.
& suâ autoritate sub jurejurando censuit, ut erigerentur, adorarentur, & sanctæ nuncuparentur; cum eas erigere licitum, adorare verò nefas sit. Inseruit etiam in eadem Epistola quædam testimonia Sanctorum Patrum, quantum nobis datur intelligi, valde absona, &c. ergo.

R. dist. Damnant Gallicani Præsules cultum *indi-* Ibid.
scretum & superstitiosum, C. damnant quantùm ad P. 110.
substantiam, N. Sic enim loquuntur illi in Epistola ad n. 2. C.
Ludovicum Pium: *Imagines Sanctorum stultâ præsumptione non sunt confringendæ, & ad injuriam Sanctorum*

abolendæ . . . . . . nec assertione superstitiosâ colendæ & adorandæ, sed potius hujuscemodi superstitione remotâ, juxta veram Religionem, memoriæ & amoris causâ, ob recordationem eorum quorum Imagines habendæ, sicut à beatissimo Gregorio, satis catholicè perspicuéque declaratur.

Hæc profectò ad finem Ecclesiæ circa Imagines sufficiunt: inter duo extrema hæret veritas. Aboléri ac frangi non debent Imagines, nec etiam cultu latriæ honorandæ, sed cultu longè inferiori, qui in eo potissimùm positus est, ut in Templis decenter & honorificè collocentur, *ad memoriam & honorem eorum quorum Imagines sunt.*

Obj. 7°. Canonem secundum Concilii Francofordiensis quod Carolus Magnus Francofordiæ ad Mœnum convocavit, anno 794. ex Episcopis Galliæ, Germaniæ, Italiæ, Britaniæ, ad confodiendam Felicis & Elipandi hæresim. Hi porro cultum Imaginibus à Græcis constitutum *omnimodis renuentes contempserunt, atque consentientes condemnaverunt*; ergo.

R. Patres Francofordienses, eum duntaxat cultum rejecisse, quem falso, & errore facti à Patribus II. Synodi Nicænæ definitum fuisse, nempe latriæ cultum arbitrabantur. Hoc ipso sensu exponendi sunt, Hincmarus Remensis, Agobardus Lugdunensis, Jonas Aurelianensis, Dungalus, Walafridus, Strabo, quos opponit Dallæus.

Atque hìc finem facimus primo huic volumini, in quo si quid nobis incautis minùs rectum aut sanum excidisse deprehendatur, pro non dicto ac revocato habemus.

FINIS.











